Ad Usum
Fris Josephi Vincentij Masieri

Digitized by Google

THEOLOGIA
SCHOLASTICO-DOGMATICA
JUXTA MENTEM
D. THOMÆ
AQUINATIS
AD USUM DISCIPULORUM
EJUSDEM ANGELICI PRÆCEPTORIS
ACCOMMODATA

PER F. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI
Bononienſem, Ordinis Prædicatorum, in Patria Univerſitate
Controverſiarum Fidei Profeſſorem
NUNC
SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM
ET PATRIARCHAM HIEROSOLYMITANUM.

TOMUS V. IN PRIMAM PARTEM
De Deo Creatore, & de Angelis.



BONONIÆ MDCCXXVIII.
Ex Typographia Bononienſi Sancti THOMÆ AQUINATIS.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

CATALOGUS

Eorum, quæ hic Quintus Tomus in Primam Partem complectitur.

TRACTATUS DE DEO CREATORE GENERALITER.

QUÆSTIO PRIMA.

De Proceſſione creaturarum à Deo, & modo Proceſſionis.

DUBIUM PRIMUM.

An Deus ſit omnium rerum cauſa?

§. I.	*Referuntur errores.*	pag. 1.
§. II.	*Prima aſſertio.*	2.
§. III.	*Secunda, & tertia aſſertio.*	4.

DUBIUM SECUNDUM.

An Deus fuerit cauſa omnium per creationem?

§. I.	*Quid ſit creatio.*	6.
§. II.	*Referuntur errores.*	7.
§. III.	*Aſſertio Catholica.*	9.
§. IV.	*Contrariorum ſolutio.*	10.

DUBIUM TERTIUM.

An potentia creandi, vel actus creationis ſit alicui creaturæ communicabilis?

§. I. *Cui ſit connaturalis vis creativa.* 14.
§. II. *An vis creativa ab aliqua creatura participari poſſit?* 16.
§. III. *Contraria proponuntur, & ſolvuntur.* 18.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Principio durationis rerum creatarum.

DUBIUM PRIMUM.

An univerſitas Creaturarum ſemper fuerit?

§. I. *Veterum opiniones.* 22.
§. II. *Aſſertio Catholica.* 24.
§. III. *Veterum argumenta pro Mundi æternitate.* 25.
§. IV. *De poſſibilitate Mundi ab æterno.* 30.

DUBIUM SECUNDUM.

De Mundi unitate, & initio.

§. I. *An Mundus ſit tantùm unus?* 31.
§. II. *Quo anno conditus fuerit Mundus.* 34.
§. III. *Quo anni tempore Mundus conditus fuerit.* 37.

QUÆSTIO TERTIA.

De Opere ſex dierum.

DUBIUM PRIMUM.

An omnes dies, quibus Mundi creatio, & ornatus deſcribitur, ſint unus dies?

§. I. *Sancti Auguſtini Opinio.* 44.

§. II.

§. II. *Aſſertio communis.* 45.
§. III. *Fundamenta contraria.* 47.

DUBIUM SECUNDUM.

De Opere primæ Diei.

§. I. *Exponitur verbum*: In principio. 51.
§. II. *Verba*: Creavit Deus Cœlum, & terram. 53.
§. III. *De Terra inani, & vacua &c. Et de Spiritu qui ferebatur ſuper aquas.* 57.
§. IV. *De productione Lucis.* 59.

DUBIUM TERTIUM.

De Opere ſecundæ Diei.

§. I. *Quid nomine Firmamenti Moyſes intellexerit.* 64.
§. II. *De Aquis, quæ ſunt ſuper Firmamentum.* 67.
§. III. *Numerus Cælorum.* 69.

DUBIUM QUARTUM.

De Opere tertiæ Diei.

§. I. *Aquarum congregatio in locum unum.* 70.
§. II. *Germinatio herbarum, ac plantarum.* 72.

DUBIUM QUINTUM.

De Opere quartæ Diei.

§. I. *Productio Luminarium.* 74.
§. II. *An Orbes Cæleſtes ſint animati?* 75.

DUBIUM SEXTUM.

De Opere quintæ Diei, & ſextæ.

§. I. *De opere quintæ Diei.* 77.
§. II. *De opere ſextæ Diei.* 78.

TRACTATUS
DE DEO CREATORE ANGELORUM.

QUÆSTIO PRIMA.

De Exiſtentia, & Creatione Angelorum.

DUBIUM PRIMUM.

An dentur Angeli?

§. I. *Exiſtentia Angelorum aſſeritur ex ratione.* 80.
§. II. *Angelorum exiſtentia aſſeritur ex Scripturis.* 83.

DUBIUM SECUNDUM.

Quo tempore, & loco Angeli creati ſint.

§. I. *Angeli ſunt creati, non tamen ab æterno.* 86.
§. II. *Reſolvitur de tempore creationis Angelorum.* 87.
§. III. *Fundamenta contraria.* 89.
§. IV. *De loco, in quo creati ſunt Angeli.* 93.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Natura Angelorum.

DUBIUM PRIMUM.

An Angeli naturâ ſint ſpirituales?

§. I. *Notantur aliqua, & referuntur opiniones.* 95.
§. II. *Veritatis aſſertio prima.* 97.
§. III. *Aſſertio ſecunda.* 100.
§. IV. *Rationes Veterum pro corporeitate Angelorum.* 102.

DU-

DUBIUM SECUNDUM.

An natura Angelorum ſit multiplicabilis, & quomodo?

§. I. *De numero Angelorum.* 110.
§. II. *An omnes Angeli differant ſpecie?* 115.
§. III. *An ſaltem divinâ potentiâ fieri poſſit, ut plures Angeli ſint in eadem ſpecie atoma?* 122.

DUBIUM TERTIUM.

An Angeli ex natura ſua ſint incorruptibiles, & immortales?

§. I. *Reſolvitur de facto.* 127.
§. II. *Quomodo Angeli ſint incorruptibiles.* 128.
§. III. *Reſpondetur ad ea, quæ tertiam aſſertionem impugnant.* pag. 131.

QUÆSTIO TERTIA.

De Loco Angelorum, & locali motu.

DUBIUM PRIMUM.

Per quid Angelus proximè conſtituatur in loco.

§. I. *Angeli ſunt in loco.* 134.
§. II. *Quotuplex ſit Angelorum locus.* 136.
§. III. *Quænam ſit ratio proximè fundans Angeli præſentiam in loco connaturali.* 140.
§. IV. *Rationes Scoti contra præfatas aſſertiones.* 144.
§. V. *Ratio fundans Angeli præſentiam in loco violento, ſeu ptæternaturali.* 153.

DUBIUM SECUNDUM.

An unus Angelus poſſit eſſe in pluribus locis, & plures in uno loco?

§. I. *Reſolutio primæ partis.* 154.
§. II. *Reſolvitur ſecunda pars.* 160.

DU-

DUBIUM TERTIUM.

De motu locali Angelorum.

§. I. *Angeli localiter moventur.* 162.
§. II. *Angelus moveri poteſt motu continuo, & diſcreto.* 165.
§. III. *De tranſitu Angeli ab uno ad aliud extremum non tranſeundo per medium.* 167.
§. IV. *An motus localis Angeli perfici poſſit in uno inſtanti?* pag. 170.

QUÆSTIO QUARTA.

De quidditate, medio, & modo angelicæ cognitionis.

DUBIUM PRIMUM.

An Angeli ſubſtantia ſit ſuum intelligere; an intelligere ſit ſuum eſſe; & an ſit ſua virtus operativa?

§. I. *Reſolutio primæ partis.* 174.
§. II. *Reſolutio ſecundæ, & tertiæ partis.* 175.

DUBIUM SECUNDUM.

An Angelus ad cognoſcendum ſe aliquâ ſpecie indigeat?

§. I. *Neceſſitas ſpeciei ad intelligendum.* 177.
§. II. *Reſolvitur de ſpecie, quâ cognoſcit Angelus ſubſtantiam ſuam.* 178.
§. III. *Contraria proponuntur, ac ſolvuntur.* 179.
§. IV. *Alia reſolvuntur.* 181.

DUBIUM TERTIUM.

An ad cognoſcendum alia à ſe indigeat Angelus ſpeciebus, an verò ea per ſuam ſubſtantiam cognoſcat?

§. I. *Referuntur opiniones.* 184.
§. II. *Sententia D. Thomæ præfertur.* ibid.
§. III. *Contrariis reſpondetur.* 186.

DU-

DUBIUM QUARTUM.

An ſpecies, quibus Angelus cognoſcit alia à ſe, ſint illi à Deo infuſæ; an à rebus ipſis acceptæ?

§.	I.	*Opiniones recenſentur.*	190.
§.	II.	*Reſolvitur de rebus materialibus.*	ibid.
§.	III.	*Corollaria ex dictis.*	192.
§.	IV.	*Reſolvitur de rebus immaterialibus.*	195.
§.	V.	*Fundamenta contra præfatas aſſertiones.*	197.
§.	VI.	*An ſpecies Angelis infuſæ poſſint dici eorum proprietates?*	201.

DUBIUM QUINTUM.

An Angeli per ſpecies univerſales intelligant, & eò magis univerſales, quò in natura ſunt ſuperiores?

§.	I.	*Quædam prænotantur.*	203.
§.	II.	*Reſolutio affirmativa.*	204.
§.	III.	*Fundamenta Scoti.*	207.
§.	IV.	*Corollaria ex dictis.*	210.

DUBIUM SEXTUM.

Varia circa modum cognitionis Angelorum.

§.	I.	*An ſemper ſint in actu ſecundo cognoſcendi?*	212.
§.	II.	*An Angeli ſimul multa cognoſcant?*	213.
§.	III.	*An Angeli intelligant diſcurrendo?*	215.
§.	IV.	*An Angelus intelligat componendo, vel dividendo?* pag.	220.
§.	V.	*In intellectu Angeli nequit eſſe per ſe falſitas.*	221.
§.	VI.	*De cognitione Matutina, & Veſpertina.*	222.

QUÆSTIO QUINTA.

De Objecto cognitionis Angelicæ.

DUBIUM PRIMUM.

An inferior Angelus comprehendat ſuperiorem?

§. I. *Sententia affirmativa proponitur.* 225.
§. II. *Sententia negans.* 226.
§. III. *Reſpondetur rationibus pro ſententia affirmativa ſuperiùs adductis.* 227.

DUBIUM SECUNDUM.

An Angelus naturaliter cognoſcere poſſit futura contingentia, ſeu libera?

§. I. *Futurorum varia genera.* 229.
§. II. *Reſolutio negans.* 230.
§. III. *Contraria ſolvuntur.* 231.

DUBIUM TERTIUM.

An Angelus naturaliter cognoſcere queat ſecreta cordis alterius, ſive hominis, ſive Angeli?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 235.
§. II. *Proponuntur, & ſolvuntur contraria.* 237.

DUBIUM QUARTUM.

An Angeli naturaliter cognoſcant Myſteria gratiæ?

§. I. *Reſolutio Dubii.* 240.
§. II. *Quorumdam reſolutio.* 242.

QUÆ-

QUÆSTIO SEXTA.

De Voluntate Angelorum.

DUBIUM PRIMUM.

De exiſtentia, & natura voluntatis in Angelo.

§. I. *Voluntas Angelo aſſeritur.* 243.
§. II. *Alia circa naturam voluntatis angelicæ.* 245.

DUBIUM SECUNDUM.

An Angelus diligat ſeipſum, & Deum amore neceſſario?

§. I. *Aliqua ſupponuntur.* 246.
§. II. *Reſolutio Dubii.* 247.
§. III. *Contrariæ opinionis fundamenta.* 249.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Perfectione Angelorum in eſſe Gratiæ, & Gloriæ.

DUBIUM PRIMUM.

An Angeli fuerint in ſua creatione beati?

§. I. *De Beatitudine naturali.* 251.
§. II. *De Beatitudine ſupernaturali.* 252.

DUBIUM SECUNDUM.

An Angelis neceſſaria fuerit Gratia; & quando, ac quomodo illam acceperint?

§. I. *Neceſſitas Gratiæ in Angelis.* 255.
§. II. *Quando Angeli Gratiam habuerint.* 256.
§. III. *Quomodo Angeli Gratiam acceperint.* 258.

DUBIUM TERTIUM.

De Merito, & Via Angelorum.

§. I. *De merito Angelorum.* 260.
§. II. *De via Angelorum.* 262.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Angelorum malitia quoad culpam.

DUBIUM PRIMUM.

Utrum malum culpæ poſſit eſſe in Angelis.

§. I. *Explicatio difficultatis.* 263.
§. II. *An detur, vel dari poſſit natura creata impeccabilis tam contra finem naturalem, quàm ſupernaturalem?* 264.
§. III. *An Angeli per ſe primò, & directè peccare poſſint contra legem naturalem?* 268.

DUBIUM SECUNDUM.

Quodnam fuerit primum peccatum Angelorum?

§. I. *Quædam notantur.* 271.
§. II. *Reſolutio Dubii.* 272.

DUBIUM TERTIUM.

Quid appetierit Diabolus peccando? an æqualitatem cum Deo?

§. I. *Aliqua præmittuntur.* 275.
§. II. *Prima aſſertio contra Scotum.* 276.
§. III. *Aliæ aſſertiones refutantur.* 279.
§. IV. *Noſtra Aſſertio ſtatuitur.* 281.
§. V. *Quâ viâ peccatum in Angelos irrepſerit.* 284.

DUBIUM QUARTUM.

Quandonam peccaverit Angelus.

§. I. *An Dæmones ſint naturâ mali, an voluntate?* 286.
§. II. *An Diabolus in primo inſtanti ſuæ creationis fuerit malus per culpam ſuæ voluntatis?* 288.

DUBIUM QUINTUM.

An Angelus peccare potuerit in primo ſuæ conditionis inſtanti?

§. I. *Reſolutio negativa.* 289.
§. II. *Fundamenta contraria.* 292.
§. III. *An ſupremus inter Angelos peccantes fuerit ſupremus inter omnes Angelos?* 296.
§. IV. *An peccatum primi Angeli fuerit aliis cauſa peccandi?* 297.
§. V. *An tot peccaverint, quot remanſerunt: Et an ex ſingulis Ordinibus aliqui Angelorum ceciderint?* 299.

QUÆSTIO NONA.

De Pœna peccati Angelorum.

DUBIUM PRIMUM.

De pœna in intellectu.

§. I. *An intellectus Dæmonum fuerit obtenebratus circa naturalia?* 300.
§. II. *An fuerit obtenebratus circa ſupernaturalia?* 302.

DUBIUM SECUNDUM.

De pœna in voluntate.

§. I. *An Dæmones ſint obſtinati in malo?* 303.

§. II.

Digitized by Google

§. II. *Ratio D. Thomæ pro obſtinatione Dæmonum defenditur.* 304.
§. III. *Solvuntur aliqua contra dicta.* 308.
§. IV. *An dolor ſit in Dæmonibus?* 310.

DUBIUM TERTIUM.

De pœna ignis, quâ Dæmones torquentur.

§. I. *An in Inferno ſit ignis corporeus crucians?* 312.
§. II. *Catholica veritas.* ibid.

DUBIUM QUARTUM.

Quomodo Dæmones ab igne corporeo torqueantur.

§. I. *Explanato dubio, Opiniones referuntur.* 316.
§. II. *Reſolutio Dubii.* 317.
§. III. *An ignis alliget Dæmones, phyſicè aliquid in eis producendo?* 320.

DUBIUM QUINTUM.

An Dæmonum pœna futura ſit æterna?

§. I. *Quædam prænotata.* 322.
§. II. *Catholica veritas.* 324.

QUÆSTIO DECIMA.

De Illuminatione, & Locutione Angelorum.

DUBIUM PRIMUM.

An unus Angelus alium illuminet, & quomodo?

§. I. *Reſolutio primæ partis.* 327.
§. II. *Reſolutio ſecundæ partis.* 330.

DUBIUM SECUNDUM.

An, & quomodo unus Angelus alteri loquatur?

§. I. *Reſolutio de locutione Angelorum.* 332.
§. II. *Modus, quo fit Angelica locutio.* 335.
§. III. *Solutio eorum, quæ contraria ſunt.* 338.

Vidit

Digitized by Google

Vidit D. Auguſtinus Maria Alfieri Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino D. Cardinali Jacobo Boncompagno Epiſcopo Albanenſi, Archiepiſcopo Bononiæ, ac Sacri Romani Imperii Principe.

Die 3. Maii 1728.

IMPRIMATUR.

Fr. Bernardinus Cadolini S.T.M. Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

THEO-

Digitized by Google

THEOLOGIÆ SCHOLASTICO-DOGMATICÆ.

TRACTATUS DE DEO CREATORE GENERALITER.

EGimus de proceſſione Divinarum Perſonarum in Deo, quę eſt intra Deum, nunc agere incipiemus de proceſſione creaturarum à Deo. (quæ eſt ad extra, ſeu extra Deum) Hoc prætabimus primò oſtendendo, Deum eſſe omnium Creatorem, ſecundò tempus creationis, tertiò modum creationis, & hoc cum Angelico noſtro Magiſtro *1. par. qu. 44. qu. 45. 46. 66. 67. &c.*

QUÆSTIO I.

De Proceſſione creaturarum à Deo, & modo Proceſſionis.

QUamvis ex dictis de Dei exiſtentia, quam inter cætera ex ratione primi efficientis probavimus, conſtet omnia creata, à Deo ut primo efficiente proceſſiſſe: quia tamen etiam ex iis, qui Deum admiſerunt, aliqui non defuerunt, qui, Deum fuiſſe cauſam omnium negaverunt: ideò pro majori hujus veritatis firmitate, Deum omnium prorſùs, quæ ſunt, Conditorem ſtatuemus, & inſuper ea ex nihilo feciſſe oſtendemus.

DUBIUM I.

An Deus ſit omnium rerum cauſa?

§. I.

Referuntur errores.

I. SImon Magus omnium hæreſeon parens, inter alia blaſphemavit, Deum non feciſſe mundum, ut refert S. Auguſt. *lib. de hæreſ. cap. 1.* Ejus Diſcipulus Menander, etiam ipſe Magus, Magiſtri ſui errorem velut explicans, mundum aſſeruit, non à Deo, ſed ab Angelis factum. Ita idem *S. Aug. cap. 2.* qui *cap. 3.* in eundem errorem impegiſſe ſcribit Saturninum, Simonianæ labis in Syria propagatorem: dùm ait, à ſolis Angelis ſeptem conditum fuiſſe mundum, præter ſcientiam Dei Patris. Quo eodem errore laboraſſe refert *cap. 5.* Nicolaitas; *cap. 7.* Carpocratianos; *cap. 8.* Cerinthianos, omnes primi ſeculi hæreticos multas fabulas in mundi creatione intermiſcentes.

II. Seculo verò tertio Manes Sectæ Manichæorum princeps, qui, ut ſuperiùs diximus, duos Deos, unum bonum, alterum malum, commentus eſt, multa addidit fabuloſa, & Deo indigna de mundi conditione, quæ refert S. Auguſt. *in actis contrà Fortunatum Manichæum cap. 1.* nimirùm. Gentem quandam tenebrarum adversùs Dei regnum rebellaſſe; unde Deus videns, quanta labes, & vaſtitas immineret regnis ſuis, miſit virtutem (quam dicebat Dei animam) ex cujus commixtione cum malo, ſeu cum Gente tenebrarum fabricatus eſt mundus. Hinc eſſe, *quòd hìc anima bona la-*

laborant, ſerviunt, errant, corrumpuntur, ut neceſſarium haberent liberatorem, qui eas ab errore purgaret, & à ſervitute liberaret: Ipſam tamen fabricam mundi Deo tribuiſſe teſtatur idem S. Auguſtinus *lib.* 3. *oper. Imperfect. contrà Julian. cap.* 186. dicens: *Manichæus ex commixtione duarum naturarum coæternarum, boni ſcilicet & mali, non ſolum hominem, ſed univerſum mundum conſtare dicit, & ad eum omnia pertinentia; ità ſanè, ut ipſam fabricam Mundi, quamvis ex commixtione boni, & mali, Deo bono artifici tribuat; animalia verò & cuncta, quæ naſcuntur è terra, & ipſum hominem, opera eſſe dicat malignæ mentis, quam Genti adtribuit tenebrarum*. Volebat enim, animam primam à Deo lucis manaſſe, tanquam ipſius Dei partem, & naturam, & accepiſſe iſtam fabricam corporis, ut eam ſuo fræno regeret: ſed in homine præſertim deceptam, ac fœdatam fuiſſe. Carnem autem quia videbat repugnantem ſpiritui, dicebat non eſſe à Deo lucis, ſed à Gente tenebrarum Deo bono contrariâ, neſciens diſtinguere inter ſubſtantiam, & vitium ſubſtantiæ, carnem pro ut à Deo exivit, & carnem, qualis vitio ſuo facta eſt. Quod *Falſum eſt, hæreticum eſt, blaſphemum eſt* (ait S. Auguſt. ſerm. 30. aliàs 12. de Verb. Apoſt. cap. 3.) *mentis & carnis unus eſt artifex. Ipſe quando hominem creavit, utrumque fecit, utrumque conjunxit: carnem animæ ſubdidit, animam ſibi. Si ſemper illa ſtaret ſub domino ſuo, ſemper & iſta obediret dominæ ſuæ.*

III. Huic errori quarto ſeculo ſubſcripſere Priſcillianiſtæ in Hiſpania Gnoſticorum, & Manichæorum miſera ſoboles, qui inter alia, referente S. Auguſt. *lib. de hæreſ. cap.* 70. carnis opificium non Deo bono, & vero, ſed malignis ſpiritibus tribuebant, à carnis propterea cibis abhorrebant, conjugeſque à viris, viroſque à conjugibus, etiam nolentes, hoc ſuperſtitioſo dogmate disjunguentes, in alia turpiora nefandioraque crimina prolabebantur. Sed inſanos dimittamus.

Deum eſſe omnium entium Opificem ſemper credidit Catholica Eccleſia, & nedùm cauſam eorum efficientem, ſed & exemplarem, ac finalem, ut ſtatim dicemus.

§. I I.

Prima aſſertio.

IV. Dico primò. Deus eſt cauſa omnium efficiens. Nihil apertius in Sacris Litteris, quæ ab hac veritate exordium ſumunt *In principio* (inquit Moyſes Gen. 1. v. 1.) *creavit Deus Cœlum & terram. Deus*, ait, *ſolus*: non materiâ, non Angelis adjutus, ut Simon Magus, Menander, aliique ſuperiùs relati ſomniarunt. *Cœlum*: ideſt res omnes Cœleſtes, etiam Angelos: & *Terram*, omnes ſcilicet res inferiores, quæ ſubtus Cœlos ſunt. Unde Exodi 20. v. 11. *ſex diebus fecit Dominus Cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt*. Quod repetitur *Pſalm.* 145. *v.* 5. *Act.* 14. *v.* 14. & *Apoc.* 14. *v.* 7. Iſaiæ quoque 44. *v.* 24. *Ego ſum Dominus, faciens omnia, extendens Cœlos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum*. Eccleſiaſtici 18. v. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*. Quod clarè expreſſit ſeptem Machabæorum mater 2. Machab. 7. v. 28. *Peto nate, ut aſpicias ad Cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt; & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.*

Id etiam conſtat ex novo Teſtamento Joann. 1. v. 3. *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*. Ad Rom. 11. v. 36. *Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*: & Act. 17. v. 24. *Deus, qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt.*

V. Hanc veritatem quovis ſeculo confeſſa fuit Eccleſia Catholica, quæ in ſuis Symbolis, Apoſtolico, Nicæno, Conſtantinopolitano, profitetur ſe cre-

Digitized by Google

credere in Deum factorem Cœli, & Terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Quod etiam in Lateran. IV. cap. *Firmiter* expreſſit dicens: *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd unus ſolus eſt verus Deus.... qui ſuâ omnipotenti virtute, ſimul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam &c.* Idem ſtatuerat Concil. Bracarenſe primum contra Priſcillianiſtas anno 561. *Can.* 13. his verbis: *Si quis dixerit, creationem univerſæ carnis non opificium eſſe Dei, ſed malorum Angelorum, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt; anathema ſit.* Et S. Auguſtinus lib. de Geneſ. ad litteram imperfect. cap. 1. *Hanc* (inquit) *Trinitatem dici unum Deum, eumque feciſſe, & creaſſe omnia, quæ ſunt, inquantùm ſunt, catholica diſciplina dici jubet: Ita ut creatura omnis, ſive intellectualis, ſive corporalis: vel, quod breviùs dici poteſt ſecundùm verba divinarum Scripturarum, ſive inviſibilis, ſive viſibilis, non de Dei natura, ſed à Deo ſit facta de nihilo.*

VI. Porrò Manichæorum, Priſcillianiſtarum, & aliorum negantium, naturas aliquas à bono Deo proceſſiſſe, errorem ortum habuiſſe ex deceptione, quâ neſcientes diſtinguere inter naturam, & vitium naturæ, vitium, quod inveniebant in rebus, in earum naturas refundebant; ideòque aliqua eſſe naturâ ſuâ mala dicebant, docet nos D.Th. opuſc. 5. non procul ab initio his verbis: *Primus eſt error Manichæorum, qui dicunt, quòd omnia viſibilia creata ſunt à Diabolo. Et ideò Deo ſolùm attribuunt creationem inviſibilium. Et cauſa hujus erroris eſt, quia ipſi Deum aſſerunt ſummum bonum, ſicut & verum eſt, & omnia, quæ à bono ſunt, bona eſſe. Unde neſcientes diſtinguere, quid ſit malum, & quid bonum, crediderunt quòd omnia illa, quæ ſunt aliqualiter mala, ſimpliciter eſſent mala: ſicut ignis, quia urit dicitur ab eis ſimpliciter malus, & aqua quia ſuffocat, & ſic de aliis. Unde quia nihil iſtorum ſenſibilium eſt ſimpliciter bonum, ſed aliqualiter malum, & deficiens, dixerunt, quòd viſibilia omnia non ſunt facta à Deo bono, ſed à malo. Contrà hos ponit Auguſtinus tale exemplum. Si aliquis intraret domum Fabri, & inveniret inſtrumenta, in quæ impingeret, & læderent eum; & ex hoc reputaret illum Fabrum malum, quia tenet talia inſtrumenta, ſtultus eſſet, cùm Faber ea teneat ad opus ſuum. Ita ſtultum eſt dicere, quòd per hoc creaturæ ſint malæ, quia ſunt in aliquo nocivæ. Nam quod uni eſt nocivum, alteri eſt utile.* Hæc D. Thomas. Quibus & Manichæum detegit errorem, & modum miniſtrat illum validè confutandi.

VII. Probat inſuper D. Thomas veritatem hanc 1. *par. quæſt.* 44. *art.* 1. ſic: Quidquid eſt per participationem debet eſſe cauſatum ab eo, quod eſt tale per eſſentiam, ſicut quidquid eſt calidum per participationem, debet eſſe cauſatum ab igne, quod eſt calidum per eſſentiam: ſed ſolus Deus eſt ens per eſſentiam, ideſt in tota plenitudine eſſendi, quia eſt ipſum eſſe per ſe, & à ſe ſubſiſtens, ut ſuperiùs probatum eſt, omne autem aliud à Deo habet eſſe per participationem; ergo omne aliud à Deo debet eſſe cauſatum à Deo.

Quæ ratio in Manichæos converti poteſt ſic. Omnis natura à Deo diſtincta eſt aliqua participatio entis; ergo bona, quia ens, & bonum convertuntur; ergo eſt à Deo per eſſentiam bono.

VIII. Porrò cum dicimus, Deum eſſe ens per eſſentiam, non ſolùm intendimus, quòd ratio entis eſſentialiter conveniat Deo (ſic, & homo, ſicut eſt eſſentialiter animal, ita eſt eſſentialiter ens) ſed intendimus, hoc prædicatum ens convenire Deo ſecundùm totam amplitudinem, & plenitudinem eſſendi: unde aliud eſt dicere: Deus per eſſentiam eſt ens, & aliud: Deus eſt ens per eſſentiam; hoc enim ſigni-

Digitized by Google

ficat, Deum poſſidere hoc prædicatum ens in tota plenitudine. Alias rationes poterit Studioſus legere apud D. Thom. *qu.* 3. *de pot. art.* 5. *&* *lib.* 2. *contrag. cap.* 15. quas omittimus, cùm ſuperiùs agentes de exiſtentia Dei tetigerimus.

IX. Duo tamen noto pro ſolutione argumentorum. Unum, quòd eſto ordo ad cauſam non intret definitionem entis, cùm inveniatur ens à nullo cauſatum, nempè Deus, conſequitur tamen rationem entis participati; ex hoc enim, quòd aliquid per participationem eſt ens, ſequitur, quòd ſit ab alio cauſatum. Ita D. Thomas *hic ad* 1.

Alterum eſt, quòd ea, quæ neceſſariò eveniunt, eſto non indigeant causâ, quia indifferenter ſe habeant ad eſſe, & non eſſe: eâ tamen indigent, quia non eſſent, niſi aliqua cauſa eſſet, quæ faceret illa eſſe. Sic concluſiones, etſi neceſſariæ, non eſſent, niſi principia eſſent, ex quibus inferrentur. Ita S. Doct. loco citato *ad* 2.

Supereſſet ſtatuere etiam, materiam primam, ex qua omnia iſta corporalia facta ſunt, & conſiſtunt, ab ipſo productam fuiſſe. Sed quia de hoc agemus inferiùs contra Hermogenem, alioſque eam Deo coæternam ponentes. Et quia cùm & ipſa ens participatum ſit, conſtat, & ipſam à Deo primo, & per eſſentiam ente produci indiguiſſe; ideò hoc omittimus pro præſenti.

§. III.

Secunda, & Tertia aſſertio.

X. Dico ſecundò. Deus eſt prima cauſa exemplaris omnium rerum. Probo ratione D. Thomæ hic *art.* 3. Deus eſt primus, & ſupremus artifex, qui ſuâ ſapientiâ cuique rei debitam, ac determinatam formam præfixit, quique omnia in Univerſo debito ordine collocavit, & ſapientiſſimè regit; ergo oportet, ut in ipſo adſint rationes, ſeu exemplaria omnium, ad cujus imitationem omnia, & facta ſint, & conſiſtant. Sicut enim in artifice creato præexiſtere debet idea, quam artefactum imitetur, ex qua determinatam formam accipiat, ne dicatur, caſualiter, & præter intentionem evenire; ita & multò magis in Deo præexiſtere debent rationes, & ideæ, quarum omnia ab ipſo creata imitationes ſint, & ex quibus determinatas formas non caſualiter, ſed ex præconcepta intentione recipiant. Sed quidquid in Deo eſt, Deus eſt; ergo Deus non ſolùm habet, ſed eſt idea, & cauſa exemplaris omnium rerum. Quæ nihil aliud eſt, niſi ſua eſſentia, ut diverſimodè participabilis; ideòque eſto in Deo una omnium realiter ſit idea, & unum exemplar, multiplicantur tamen rationes, & ideæ ſecundùm reſpectum ad res, quæ divinam eſſentiam participant, & imitantur.

Quamvis autem nulla creatura poſſit pertingere ad ſimilitudinem in ſpecie cum Deo, poteſt tamen eſſe ſimilitudo participativa rationis à Deo præconceptæ, quam imitatur; ſicut domus, quæ in materia exteriùs ponitur, eſt ſimilitudo domus, quæ eſt in mente artificis. Ita D. Tho. hoc art. *ad primum*.

XI. Dico tertiò. Deus, ſeu divina bonitas eſt ultimus omnium rerum finis. Ita D. Tho. hic *art.* 4. & probat ex illo Proverb. 16. v. 4. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*; non quidem, ut aliquid ſibi acquirat, quaſi illi aliquid deſit, ſed ut ſe ipſum, ſuamque bonitatem, quam ſibi intimè identificat, aliis communicet. Et in hoc ſenſu Deus dicitur agere propter finem. Non quidem appetendo ſibi finem, quaſi non habeat, ſed ut aliis communicet, & ut alia à ſe perducat ad finem, quem amat, & ſummè poſſidet, nempe bonitatem ſuam, ſe ipſum. Concluſio ſic explicata à D. Tho. probatur. Illud, quod primum agens in-

intendit omnibus communicare, quodque omnia creata intendunt conſequi, eſt finis omnium: ſed divina bonitas eſt illa, quam Deus intendit omnibus rebus communicare, & quam omnes res creatæ, ut poſſunt, intendunt conſequi; ergo divina bonitas eſt omnium rerum finis. Min. prob. nam primo Agenti non convenit agere propter acquiſitionem alicujus finis; ergo ſolùm intendit bonitatem ſuam in alia effundere. Rursùs unaquæque creatura tendit ad ſuæ perfectionis adeptionem: hæc autem non eſt, niſi participatio perfectionis, & bonitatis divinæ, ad quam quò magis accedit, eò magis perfecta eſt.

XII. Aliam rationem profert Divus Thomas lib. 3. contrag. cap. 17. ſic: *In omnibus finibus ordinatis oportet, quòd ultimus finis ſit finis omnium præcedentium finium: ſicut ſi potio conficitur, ut detur ægroto; datur autem, ut purgetur; purgatur autem, ut extenuetur; extenuatur autem, ut ſanetur: oportet, quòd ſanitas ſit finis, & extenuationis, & purgationis & aliorum præcedentium. Sed omnia inveniuntur in diverſis gradibus bonitatis ordinata ſub uno ſummo bono, quod eſt cauſa omnis bonitatis*; ergo *cùm bonum habeat rationem finis, omnia ordinantur ſub Deo, ſicut fines præcedentes ſub fine ultimo. Oportet igitur, quòd omnium finis ſit Deus*. Videantur aliæ D. Thomæ rationes ibi, & *cap.* 18.

XIII. Quapropter ineptè erravit Origenes qui in libris Periarchon, ut refert S. Hieron. *epiſt.* 59. *nunc* 94. *ad Avitum*, aſſerebat, mundum hunc corporalem à Deo conditum fuiſſe, ut animabus, & Dæmonibus, qui peccaverant, eſſet loco carceris, adeòque ſi ceſſaret peccatum, mundus iterum redigendus eſſet in nihilum. Quem ob hoc mirari non ceſſat D. Auguſtinus *lib.* 11. *de civit. Dei cap.* 23. his verbis: *Miror, hominem in Eccleſiaſticis litteris tàm doctum, & exercitatum, non attendiſſe primùm, quàm hoc eſſet contrarium Scripturæ hujus tantæ auctoritatis intentioni, quæ per omnia opera Dei ſubjungens*: & vidit Deus, quòd bonum eſt: *completiſque omnibus inferens*: & vidit Deus omnia, quæ fecit, & ecce bona valdè: *nullam aliam cauſam faciendi mundi intelligi voluit, niſi ut bona fierent à bono Deo. Ubi ſi nemo peccaſſet, tantummodo naturis bonis eſſet mundus ornatus & plenus: & quia peccatum eſt, non ideo cuncta ſunt impleta peccatis, cùm bonorum longè major numerus in cœleſtibus ſuę naturæ ordinem ſervet. Nec mala voluntas quæ naturæ ordinem ſervare noluit, ideò juſti Dei leges omnia benè ordinantis effugit. Quoniam ſicut pictura cum colore nigro loco ſuo poſita; ita univerſitas rerum, ſi quis poſſit intueri, etiam cum peccatoribus pulchra eſt, quamvis per ſe ipſos conſideratos ſua deformitas turpet.*

Deinde poſtquam oſtendit, quòd, ſi hæc corpora ideò condita fuiſſent, ut eſſent ergaſtula animabus peccantibus, ex gravitate, vel levitate peccati deberet anima graviori corpore includi, vel leviori, ut pœna reſponderet merito: quod tamen falſum eſt, cùm Dæmones, qui graviùs peccaverunt, aereum corpus (quod eſt levius per Origenem ipſum) ſortiti ſint. *Homo autem, & nunc licèt malus, longè minoris, mitiorisque malitiæ, & certè ante peccatum, tamen luteum corpus accepit*. Deinde ſubdit. *Quid autem ſtultius dici poteſt, quàm per iſtum Solem, ut in uno mundo unus eſſet, non decori pulchritudinis, vel etiam ſaluti rerum corporalium conſuluiſſe artificem Deum, ſed hoc potiùs eveniſſe, quia una anima ſic peccaverat, ut tali corpori mereretur includi?*

XIV. Noto pro dictorum perfecta intelligentia, quòd quamvis Deus ſit omnium rerum finis, & ſua bonitas, ut vera cauſa finalis comparetur ad res creatas, reſpectu tamen divinæ voluntatis, & operationis habere non poteſt veram rationem finis; ſed potius dici debere, quòd ſit Deo ratio volendi, & agendi. Quod probo primò. Quia verus finis debet realiter diſtingui ab iis,

quæ

Digitized by Google

quæ ad ipſum ordinantur, & debet eſſe magis amabilis, quàm illa: divina autem bonitas, nec realiter diſtinguitur, nec magis eſt, imò æquè, amabilis, ac divina operatio, Voluntas, Deus ipſe. Hinc S. Auguſt. lib. 1. de Geneſ. contra Manichæos cap. 2. *Cauſas* (inquit) *voluntatis Dei ſcire quærunt, cùm voluntas Dei omnium, quæ ſunt, ipſa ſit cauſa. Si enim habet cauſam voluntas Dei, eſt aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas eſt credere. Qui ergo dicit: quare fecit Deus Cælum & Teram? reſpondendum eſt ei, quia voluit. Voluntas Dei cauſa eſt Cæli & Terræ, & ideò major eſt voluntas Dei, quàm Cælum & Terra. Qui autem dicit: quare voluit Deus facere Cælum & Terram? Majus aliquid quærit, quàm eſt voluntas Dei: nihil autem majus inveniri poteſt.*

Addo, quòd tunc ſolùm unum eſt cauſa intelligendi, & volendi aliud, quando diverſo actu intelligit, & vult unum, ac alterum; quia idem non eſt cauſa ſui ipſius. Sed in Deo *ſicut intelligere cauſam non eſt cauſa intelligendi effectus: ita velle finem non eſt ei cauſa volendi effectus*; ergo *velle finem non eſt ei cauſa volendi ea, quæ ſunt ad finem*: Ita D. Th. 1. *par. qu.* 19. *art.* 5.

XV. Dici tamen poteſt divina bonitas ratio volendi, & agendi; quia ut unum ſit ratio alterius, non requiritur diſtinctio realis, ſed ſufficit diſtinctio virtualis, & per rationem, quæ inter divinam bonitatem, & voluntatem jure excogitari poteſt. Quare D. Tho. citatâ, *qu.* 19. *art.* 2. *ad* 2. *Cùm Deus* (inquit) *alia à ſe non velit niſi propter finem; qui eſt ſua bonitas, non ſequitur, quòd aliquid moveat voluntatem ſuam, niſi bonitas ſua.*

*** † ***

DUBIUM II.

An Deus fuerit cauſa omnium per creationem?

§. I.

Quid ſit creatio.

I. Tripliciter ſumi poteſt verbum *creare*, ſeu *creatio*. Primò latè pro quacumque rei productione; ſic Eccleſiaſt. 24. v. 14. ſapientia dicitur ab initio, & ante ſecula *creata*. Secundò creari dicitur, qui ad altiorem ſtatum evehitur, quomodo dicitur quis creari Epiſcopus, vel Cardinalis; & à Paulo Epheſ. 2. v. 10. dicimur *creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis*. Tertiò magis propriè, ut eſt totius entis ex nihilo productio: quomodo Pſalmo 148. v. 5. ipſe *mandavit & creata ſunt*: & ita accipitur illud Geneſ. 1. *In principio creavit Deus Cælum, & Terram*, ſi benè conferatur ly *creavit* cum ly *in principio*. Dicitur *creatio* totius entis productio, quia creatione tota rei ſubſtantia ſic producitur, ut nihil ejus præſupponatur, ad differentiam ſimplicis productionis, qualis eſt generatio, quæ materiam ſupponit. Dicitur quoque *ex nihilo*, quo diſcriminatur productio, quæ eſt ab univerſali agente ab ea, quæ eſt ab agente particulari, quòd iſta eſt ex non eſſe tale. Sic homo fit ex non homine, dùm generatur, & album ex non albo: illa verò eſt ex non eſſe omnino, & abſolutè, ità ut nullum ens ei præſuponatur. Unde hoc *art.* 1. *qu.* 45. *primæ partis* concludit S. Thomas: *ſicut igitur generatio hominis eſt ex non ente, quod eſt non homo; ita creatio, quæ eſt emanatio totius eſſe, eſt ex non ente, quod eſt nihil.*

II. Notat etiam D. Thomas laudato loco ad 3. *quòd cùm dicitur aliquid ex nihilo fieri, hæc præpoſitio ex non deſignat cauſam materialem, ſed ordinem tantùm. Sicut cùm dicitur ex mane fit me-*

Digitized by Google

meridies , ideſt poſt mane fit meridies . Notat rurſus, quòd præpoſitio *ex* , vel poteſt includere negationem importatam in hoc, quod dico *nihil*, vel includi à negatione . *Si primo modo , tunc ordo remanet affirmatus , & oſtenditur ordo ejus , quod eſt ad non eſſe præcedent . Si verò negatio includat præpoſitionem , tunc ordo negatur ; & eſt ſenſus : fit ex nihilo ; ideſt non fit ex aliquo : ſicut ſi dicatur : iſte loquitur de nihilo , quia non loquitur de aliquo .* Hinc ſi mundus eſſet æternus , eſſet ex nihilo hoc modo , non primo .

III. Patet etiam, cur generatio Filii Dei non ſit creatio , nedùm , quia Filius Dei eſt coæternus Patri,nec in eo adhuc ſecundùm modum concipiendi ſit ordo ſucceſſionis poſt nihil; ſed etiam , quia dici nequit eum produci ex nihilo, ideſt non ex aliquo, cùm ſit productus de aliquo, nempe de ſubſtantia Patris , quæ eſto ſecundùm rem non præſupponatur Filio, illi tamen præſupponitur ſecundùm noſtrum modum intelligendi , juxta D. Thomæ effatum 1. par. qu. 33. art. 3. ad 1. *communia abſolutè dicta ſecundùm ordinem intellectus noſtri ſunt priora, quàm propria .*

§. II.

Referuntur errores .

IV. **V**Eteres Philoſophi impoſſibilem eſſe creationem exiſtimarunt . Unde eorum axioma : *ex nihilo nihil fit .* Ad iſtos converſus Hermogenes , contra quem Tertullianus librum edidit , putavit , mundum ex præjacente materia factum fuiſſe , quæ non eſſet à Deo facta , ſed Deo coæterna . Unde Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 1. *A' Chriſtianis* (inquit) *converſus ad Philoſophos de Eccleſia in Academiam , & Porticum , inde ſumſit à Stoicis materiam cum Domino ponere , quæ & ipſa ſemper fuerit , neque nata , neque facta, nec initium habens nec finem, ex qua Dominus omnia poſtea fecerit .*

V. Dicebat enim , referente eodem Tertulliano ibi *cap.* 2. Deus , aut de ſemetipſo fecit cuncta , aut de nihilo , aut de aliquo . Non ea fecit de ſemetipſo , aliàs quæcumque feciſſet , partes ipſius fuiſſent , quod eſt contrà Dei naturam indiviſibilem , ac indemutabilem , quà idem ſemper omnino fuit, qui modò eſt. Rurſus , ſi quæ Deus fecit aliquid Dei ſunt , ea , quæ fierent , ex parte fierent, ex parte non fierent : fierent , ut ſupponitur ; non fierent , nam ex ea parte, quà aliquid Dei ſunt , non fierent , quia ſemper fuiſſent . Quòd ſi dicas , ea quæ fiunt non eſſe partem Dei , ſed totum Deum : urgebat ; ergo Deus, & totus erat , ut faceret ſemetipſum , & totus non erat , ut fieret de ſemetipſo .

Quòd verò quæ fecit , non fecerit ex nihilo , probabat ſic . Deus cum bonus ſit , & optimus , omnia quæ ſua voluntate , & arbitrio facit , bona , & optima facere vult , ſicut ipſe eſt . Cum ergo in Mundo aliqua mala ſint , hæc non arbitrio ſuo facit , ſed ex vitio alicujus alterius factum eſt , nempe ex materia , quæ præexiſteret . Tùm etiam , quia Deus ſicut ſemper fuit Deus : ita ſemper fuit Dominus ; ergo debuit ſemper aliquid eſſe , cujus Deus eſſet Dominus ; non enim potuiſſet ſemper Dominus eſſe , niſi aliquid retrò ſemper fuiſſet, cujus ſemper Dominus haberetur . Cùm ergo non ſemper fuerit mundus , fuit ſemper cum Deo materia , ex qua , quando voluit , fecit mundum . Ita ratiocinabatur Hermogenes .

VI. His reſpondet Tertullianus , concedendo, Deum ea quæ fecit , ex ſemetipſo non feciſſe , non tamen de materia ipſi coæterna , & ab eo non facta , ſed ex nihilo. Ad rationes ipſius dicit ; & primò quidem ad hanc ſecundam *cap.* 3. Deum quidem ſemper fuiſſe Deum , non tamen ſemper Dominum: quia *Deus*, ſubſtantiæ ipſius, ideſt divinitatis , quà exiſtit in ſemetipſo , nomen eſt . Dominus verò , non ſub-

ſubſtantiæ nomen eſt, ſed poteſtatis. Solùm ergo, ex quo eſſe cœperunt, in quæ poteſtas Domini ageret, ex illo per acceſſionem poteſtatis, & factus, & dictus eſt Dominus. Nam Deus, etiam judex eſt, non tamen ideò judex ſemper, quia Deus ſemper. Nam nec Judex eſſe potuit ante delictum. Hoc nobis adteſtatur Scriptura, quæ dùm deſcribit Deum creantem mundum, vocat eum Deum, quod fuit ſemper: In principio creavit Deus, fecit Deus, vidit Deus, & ſolùm ubi univerſa perfecit, tunc ei Domini nomen adjecit; Et accepit Deus hominem, quem finxit.

Inde retorquet argumentum adversùs ipſum. Nam materia, quam ſupponit Hermogenes Deo coæternam, non fuit nec à Deo nata, nec ab eo facta; ergo in eam non potuit ab æterno exercere dominium. Si enim naturâ æterna; ergo erat Deus: quis magis proprius Dei character eſt, quàm æternitas? ergo dùm ponit materiam Deo coæternam, eam ponit alium Deum, in quem Deus dominium non habet. Quomodo enim illius materiæ Deus Dominus eſt, ſi iſta impedire potuit, ne omnia Dei opera eſſent bona, & optima, ſicut ipſe Deus, ſed vitio ſuo ea coinquinavit?

VII. Ex dictis ruit prima Hermogenis ratio, quâ ponit, ideò materiam Deo coæternam, ut ab ipſa effluerent mala. Hoc enim eſt duos Deos ponere, unum bonum, & principium bonorum, alterum malum, & principium malorum. Hoc inſuper eſt facere Deum deſervire materiæ, & materiam dominari Deo, principium malum principio bono, ſi ab ea neceſſitatur, ut fiant mala, quæ ſuo arbitrio, & voluntate, quia bonus eſt, non fierent. Vel enim Deus bonus potuit impedire, ne ex materia, mala evenirent, vel non potuit. Si potuit; ergo potuit operari independenter à materia, & ſic ex nihilo omnia facere: ſi non potuit, qualis eſſet Deus, qualis Dominus, qui ob alterius obſiſtentiam, quam vincere non poteſt, neceſſitatur, ut fieri ſinat mala, quæ fieri nollet, quia bonus? Dicatur ergo, omnia à Deo facta eſſe, & omnia bona, & licèt aliqua naturæ particulari mala dicantur, abſolutè tamen in ſe bona ſunt, & quia entia ſunt, & quia Univerſi pulchritudini ſerviunt, & quia ex eis alia majora bona elicit Deus.

VIII. Hermogene devicto: quis ille fuerit, ſciſcitanti, dicam, quæ ex Baronio ad *ann.* 170. *num.* 1. ex quo deſcripſit Cave *in hiſt. litteraria* ad eundem annum, excerpſi. Hermogenis Patria incerta, eſto quidam eum fuiſſe Afrum exiſtiment. Docuiſſe in Africa certum eſt. Profeſſione Pictor, vel ſaltem ſtudio, artem hanc exercuit, adhuc dùm eſſet Chriſtianus: vixit ſeculo ſecundo, circa annum 170. quare doctrinam ejus novellam vocat Tertullianus *lib. adverſùs Hermogenem cap.* 1. Imò Tertulliani ætate adhuc ſuperſtes erat, ait ibid. Naturâ turbulentus, loquax, impudens, maledicus. Fortè ut adularetur M. Antonino Imperatori, qui Stoicam ſectam proſequebatur (putat Baronius) à Chriſtianis ad Stoicos converſus, ex eorum Schola in Eccleſiam invehere conatus eſt de materia ingenita errorem, factus hæreſiarcha, ex qua, non ex nihilo, omnia facta dicebat, unde ſequaces ejus *materiarii* dicti ſunt. Huic errori alios adjunxit, nimirùm Chriſti Corpus in Sole depoſitum fuiſſe ex illo Pſalmi 18. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*. Dæmones etiam in materiam refundendos. Libidini deditus legem Dei in libidinem defendebat. Ex Hermogenis hæreſi ortam fuiſſe ſectam Manichæorum docet Gregorius Nyſſenus.

Porrò quia Philaſtrius hæreſ. 55., & S. Auguſt. hær. 59. Hermogenem cum Sabellianis ennumerant, cenſent aliqui, eum fuiſſe tempore poſteriorem, nempè poteſt Sabellium ſeculo tertio erupiſſe. Sed niſi duos confinga-

ga-

gamus Hermogenes, conſtat ex Tertulliano, auctorem hæreſis, quam impugnavit, ſecundo ſeculo vixiſſe. Sed de hoc ſatis.

§. III.

Aſſertio Catholica.

IX. Dico. Deus ex nihilo omnia creavit. Id teſtatur Sacra Script. Gen. 1. *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram*, ſuper quæ D. Auguſt. lib. de Geneſ. imperfecto cap. 1. *Hanc ergo* (inquit) *Trinitatem dici unum Deum, eumque feciſſe, & creaſſe omnia quæ ſunt, in quantùm ſunt, catholica diſciplina credi jubet, ita ut creatura omnis ſive intellectualis, ſive corporalis.... non de Dei natura, ſed à Deo ſit facta de nihilo.* Rursùs. Cùm ex ſuperiùs dictis, res non ex præexiſtente materia factæ ſint, ſequitur, ex nihilo factæ fuerint.

X. Probatur ratione D. Thom. hâc *qu.* 45. *art.* 2. Quicumque facit aliquid ex aliquo, illud, ex quo facit præſupponitur actioni ejus, & non producitur per ipſam actionem; ergo ſi Deus non ageret niſi ex aliquo præſuppoſito, ſequeretur, quòd illud præſuppoſitum non eſſet cauſatum ab ipſo: nam ſi ab ipſo eſſet cauſatum, vel hoc eſſet eâdem actione, vel diverſâ: non eâdem; quia huic præſupponitur: non diverſâ; quia hæc, vel illud cauſaret ex nihilo, & ſic daretur creatio; vel ex aliquo, & de hoc idem quæri poſſet. Quare, vel in infinitum abeundum eſſet, vel tandem admittenda productio ex nihilo, vel aſſerendum, illud, ex quo Deus res fecit, non eſſe productum à Deo, ſicut nec lignum, ex quo artifex facit ſcamnum ab artifice producitur, ſed productum ſupponitur. Ant. explicatur à D. Thomâ exemplo artificis. Dùm enim artifex ex rebus naturalibus, ut ex ligno, & ære aliquid operatur, hæc per actionem artis non cauſantur, ſed actione naturæ ea cauſata ſupponuntur; & natura ipſa dùm cauſat res naturales quantùm ad formam, non cauſat tamen, ſed præſupponit materiam, ex qua illa cauſat.

Porrò talis non eſt Deus (inquit) S. Aug. lib. 1. de Gen. contrà Manich. cap. 6.) *non enim debemus eſſe ſimiles iſtis, qui, omnipotentem Deum non credunt aliquid de nihilo facere potuiſſe, cùm conſiderant fabros, & quoslibet opifices non poſſe aliquid fabricare, niſi habuerint, unde fabricent. Et ligna enim adjuvant fabrum, & argentum adjuvat argentarium, & aurum aurificem, & terra figulum adjuvat, ut poſſit perficere opera ſua. Si enim non adjuventur eâ materiâ, unde aliquid faciunt, nihil poſſunt facere, cùm materiam ipſi non faciant. Non enim faber lignum facit, ſed de ligno facit aliquid; ſic & cæteri omnes hujuſmodi opifices. Omnipotens autem Deus nullâ re adjuvandus erat, quam ipſe non fecerat, ut quod volebat efficeret. Si enim ad eas res, quas facere volebat, adjuvabat eum aliqua res, quam ipſe non fecerat, non erat omnipotens, quod ſacrilegum eſt credere.*

XI. Probatur ſecundò ratione ejuſdem S. Doctoris 1. *par. qu.* 44. *art.* 4. Si Deus non ex nihilo, ſed ex aliquo feciſſet mundum, maximè ex materia præſuppoſita productioni mundi; ſed hoc eſt falſum; ergo &c. Min. probatur. Eſto agens particulare, quod producit ens, in quantùm eſt tale ens, debeat producere ſolam formam determinativam materiæ ad talem, vel talem ſpeciem entis; agens tamen univerſale, quod eſt cauſa rerum in quantùm ſunt entia, ſeu rerum non ſolùm ut ſunt hæc, & ut talia entia, ſed ut abſolutè ſint entia, illas debet cauſare, non ſolùm ſecundùm quòd ſunt tales per formas accidentales, aut ſubſtantiales, ſed etiam ſecundùm omne illud, quod pertinet ad eſſe illarum, ſeu quod requiritur, ut ſint entia condiſtincta à nihilo: ſed Deus eſt agens univerſale producens res non ſolùm ut ſint in tali, vel tali ſpecie entis,

Digitized by Google

entis, ſed abſolutè ut ſint extra nihil; ergo illas debet cauſare &c.

XII. Confirmatur ex eodem S. Doct. *qu. 3. de pot. art.* 1. Ideo cauſa creata naturalis non producit totum quod eſt in re, quia non agit ſecundùm ſe totam, ſed agit per formam ſuam, per quam eſt in actu determinatæ ſpeciei, & quia nulla res naturalis claudit in ſe actus, & perfectiones omnium rerum, quæ in actu ponuntur: *Sed quælibet illarum habet actum determinatum ad unum genus, & ad unam ſpeciem; & inde eſt, quòd nulla earum eſt activa entis ſecundùm quod eſt ens: ſed hujus entis, ſecundùm quod eſt hoc ens determinatum in hac vel illa ſpecie: nam agens agit ſibi ſimile:* atqui Deus *eſt totaliter actus, & in comparatione ſui, quia eſt actus purus non habens potentiam permixtam: & in comparatione rerum, quæ ſunt in actu, quia in eo eſt omnium entium origo;* ergo *per ſuam actionem producit totum ens ſubſiſtens nullo præſuppoſito, utpote qui eſt totius eſſe principium, & ſecundùm ſe totum: & propter hoc ex nihilo aliquid facere poteſt.*

XIII. Hanc veritatem, teſte D. Th. *lib. 8. Phyſic. lect.* 2. etſi non omnes, aliqui ſaltem ex Philoſophis, præſertim Plato, & Ariſtoteles agnoverunt. Ait enim: *Antiqui naturales non potuerunt pervenire ad cauſam primam totius eſſe, ſed conſiderabant cauſas particularium mutationum. Poſteriores verò ut Plato, & Ariſtoteles pervenerunt ad cognoſcendum principium totius eſſe.* Ita D. Thomas. Qui hoc probaverat ex eo, quòd Ariſtoteles in ſecundo Metaphyſ. docuerat, *quòd id quod eſt maximè verum, & maximè ens, eſt cauſa eſſendi omnibus exiſtentibus:* ex quo infert, quòd *hoc ipſum eſſe, quod habet materia prima, ſequitur, derivatum eſſe à primo eſſendi principio, quod eſt maximè ens.*

Hinc in Concilio Generali Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. *cap. Firmiter tit. de ſumma Trinit.* pronunciatur, quòd Deus *utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam.*

XIV. Si quæras, an Deus omnia creaverit ex nihilo, an ſolùm aliqua?

Reſpondeo, non omnia creaſſe immediatè ex nihilo, ſed aliqua ſolùm, mediatè tamen ex nihilo omnia feciſſe. Immediatè quidem ex nihilo creavit Cœlum, & terram, quia ea ſecundùm ſe tota, nempe tam formam, quàm materiam ex nihilo fecit, immediatè creavit Angelos, creavit, & adhuc creat animas rationales. Plantas autem, & cætera animalia (ſicut & hominem) non fuiſſe immediatè ex nihilo facta, quia ex Geneſi conſtat, ea fuiſſe producta ex præjacente materia, ſicut & hominem factum de limo terræ, ac multa quotidie produci, quorum productio non eſt proprii nominis creatio, ſed generatio. Mediatè tamen omnia dici poſſunt creata, & ex nihilo facta; quia nimirùm; omnia, eſto non ſecundùm ſe tota, ſaltem ſecundùm aliquam ipſorum partem ipſis intimam, & eſſentialem, nempe materiam, ex nihilo facta fuerunt. Unde D. Auguſt. lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 6. *Et ideo* (inquit) *Deus rectiſſimè creditur, omnia de nihilo feciſſe, quia etſi omnia formata de iſta materia facta ſunt, hæc ipſa materia tamen de omnino nihilo facta eſt.*

§. IV.

Contrariorum ſolutio.

XV. Objicitur primò. Antiqui Philoſophi reputabant ut primum principium, ex nihilo nihil fieri: ſed Deus non poteſt facere contrarium primis principiis, puta, quòd totum non ſit majus ſua parte, quod affirmatio, & negatio ſint ſimul vera; ergo nec poteſt aliquid ex nihilo facere.

Confirmatur. Ex nihilo nihil concluditur per rationem; ergo ex nihilo

nihil

Digitized by Google

nihil ſit per naturam; nam concludere eſt aliquod fieri per rationem, eſſe autem per rationem conſequitur eſſe naturæ.

XVI. Reſpondetur, præfatum axioma verum eſſe de agente particulari, & agente per motum: hoc enim neceſſe eſt præſupponere ſubjectum ſuæ actionis, ut dictum eſt, & hoc ſolum conſideraverunt veteres Philoſophi. Sed hoc locum non habet in prima emanatione ab univerſali rerum principio. Ita S. Tho. hâc *qu.* 45. *art.* 2. *ad* 1. & *qu.* 3. *de pot. art.* 1. *ad* 1.

Ad confirmat. diſtinguo conſeq. per naturam particularem, & agentem per motum conc. conſ. Per agens univerſale, & ſine motu, nego conſeq. Concludere unum ex alio *Se habet in actibus rationis, ſicut moveri in actibus naturæ, eo quòd in concludendo ratio ab uno in aliud diſcurrit. Et ideò ſicut motus omnis naturalis eſt ex aliquo, ita & omnis concluſio rationis. Sicut verò intelligere principia, quod eſt concludendi principium, non eſt ex aliquo, ex quo concludatur; ita creatio, quæ eſt omnis motus principium, non eſt ex aliquo.* Ita D. Thom. *qu.* 3. *de pot. art.* 1. *citato ad* 6.

XVII. Objicies ſecundò. Creari eſt mutari: ſed omnis mutatio involvit ſubjectum; ergo &c. Maj. prob. primò. Creari eſt aliquid fieri: ſed omne fieri eſt mutari; ergo &c. Min. probatur. Omne fieri eſt accipere eſſe poſt non eſſe, ſive ex non eſſe, quia quod jam eſt, non ſit. Sicut ergo, quia fieri per generationem, quâ res ſit ex non eſſe ſecundùm partem ſui ſubſtantialem, eſt mutatio; ita & fieri per creationem, quâ res ſit ſecundùm totum, involvet mutationem.

Probatur ſecundò maj. Quod creatur aliter ſe habet, quàm ante, quia ante non erat ens, & dùm creatur ſit ens, aliter autem ſe habere ac ante, eſt mutari; ergo &c.

Probatur tertiò. In creatione, aut eſt aliquid recipiens eſſe, aut nihil. Si nihil; ergo nihil conſtituitur in eſſe per creationem; ergo nihil ſit. Si eſt aliquid; ergo hoc præexiſtit creationi, ut ſubjectum ſuſcipiens eſſe.

Probatur quartò. Omne quod ſit, antequam fieret, erat poſſibile eſſe, ſed potentia ad eſſe involvit ſubjectum transmutabile de non eſſe ad eſſe; ergo &c.

XVIII. Reſpondetur negando maj. cum D. Thoma hâc *qu.* 45. *art.* 2. *ad* 2. & *qu.* 3. *de pot. art.* 2. niſi fortè mutari ſumatur impropriè, & ſecundum modum concipiendi. Nam in omni vera, & reali mutatione inveniri debet aliquid idem ens, quod aliter ſe habeat nunc, ac prius, ſeu quod à non habere tranſeat ad habere eſſe. In creatione autem, quâ tota ſubſtantia producitur, non poteſt accipi aliquid ens idem aliter ſe habens, ac priùs; quia quod per creationem nunc ſit, priùs ſecundùm totum non erat, ſeu nihil erat. Quare creari dicitur magis fieri, quàm mutari, & creare magis dicitur facere, quàm mutare; facere, & fieri dicit ſolam habitudinem cauſæ ad effectum, & effectus ad cauſam: mutare vero, & mutari importat habitudinem quoque ad ſubjectum, ſeu ad aliquid, quod fuerit ſub utroque extremo. Ex his ergo.

Ad primam prob. maj. nego min. ad prob. dico, quòd creari eſt accipere eſſe, ſeu fieri ex non eſſe ſecundùm totum, unde non eſt niſi actio creativa, & terminus qui ſit. At in generatione, quâ ſit aliquid ſecundùm partem, hoc eſt ſecundùm formam, eſt aliquid præter actionem, & terminum, nempe ſubjectum commune privationi, & formæ: & ideò in ea accipitur tranſitus, & mutatio. Ita ex D. Thom. *qu.* 3. *de pot. art.* 2. *ad* 2.

Ad ſecundam, nego ant. vel potiùs ſuppoſitum antecedentis? quòd nimirùm in creatione ſit aliquid idem commune ſubjectum actu, vel potentià exiſtens, quod de non eſſe ad eſſe tranſeat. Vid. D. Thom. *qu.* 3. *de pot. art.* 2.

Ad tertiam probat. Reſpondet Divus Thomas mox citatus *art. 1. ad. 17.* in creatione eſſe aliquid ſuſcipiens eſſe, ſed factum per creationem, non præexiſtens creationi: *Deus enim ſimul dans eſſe, producit id, quod eſſe recipit. Et ſic non oportet, quòd agat ex aliquo praexiſtenti.*

Ad quartam probat. Reſpondet idem S. Doct. *qu. 3. de pot. art. 1. ad. 2.* negando abſolutè min. Antequam ergo mundus fieret poſſibile erat mundum eſſe: non tamen potentiâ in aliqua materia præexiſtente fundatâ: ſed vel in non repugnantia prædicatorum eſſentialium, quæ eſt potentia ſolum, objectiva, non ſubjectiva; vel in potentia activa agentis, quia agens Deus poterat illum facere, & mundus poterat à Deo fieri.

XIX. Objicies tertiò. Infinita diſtantia pertranſiri non poteſt: ſed inter ens, & nihil eſt infinita diſtantia; quia cùm quantò potentia eſt minus ad actum diſpoſita, tantò magis ab actu diſtet, fit, ut, ſi omnino potentia ſubtrahatur, infinita futura diſtantia ſit.

XX. Reſpondet D. Thom. hâc 1. *part. qu. 45. art. 2. ad 4.* majorem eſſe veram de diſtantia infinita poſitivè, ita ut pertranſiri debeat medium infinitum, non verò de diſtantia infinita quaſi negativè. Unde ait: *Dicendum, quòd objectio illa procedit ex falſa imaginatione, ac ſi ſit aliquid infinitum medium inter nihilum & ens. Quod patet eſſe falſum. Procedit autem falſa hac imaginatio ex eo, quòd creatio ſignificatur, ut quadam mutatio inter duos terminos exiſtens.*

Notat tamen idem S. Doctor *qu. 3 de pot. art. 1. ad 3.* & *art. 4. ad 2.* & *qu. 27. de veritate art. 3. ad 9.* quòd duorum ad invicem diſtantia poteſt tripliciter ſe habere. Uno modo quòd ſit ex utraque parte infinita, ut ſi unus haberet albedinem infinitam, & alius infinitam nigredinem, & hæc non poteſt ullo modo pertranſiri. Et hoc modo eſt infinita diſtantia inter eſſe divinum, & non eſſe ſimpliciter. Alio modo, ita quòd ſit ex utraque parte finita, ſicut cùm unus habet albedinem finitam, & alius nigredinem finitam: & hæc diſtantia poteſt pertranſiri, & frequenter pertranſitur. Et hoc modo eſſe creatum à non eſſe ſecundùm quid, ſeu à non eſſe tale diſtat. Tertio modo, ita ut ex una parte ſit finita, & ex alia infinita, ut ſi unus haberet albedinem finitam & alius infinitam nigredinem, & talis eſt diſtantia inter eſſe creatum, & non eſſe ſimpliciter; quia eſſe creatum finitum eſt, non eſſe autem ſimpliciter eſt infinitum inquantùm omnem defectum, qui cogitari poteſt, excedit. Hæc ergo diſtantia ex parte illa, quâ finita eſt, tranſiri poteſt (quamvis hic propriè non ſit tranſitus, hic enim ſolùm eſt in motibus continuis in quibus tranſit pars poſt partem) in quantùm ipſum eſſe finitum, vel acquiritur, vel perditur, non autem ex parte illa quâ infinita eſt: unde ex non eſſe non poteſt tranſiri ad eſſe divinum. Hæc D. Thom. citatis locis iiſdem ferè terminis.

XXI. Objicies quartò illud *Sapientiæ 11.* ubi *v. 18.* de Deo dicitur: *Omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa*; ergo non ex nihilo, ſed ex materia præjacente creatus eſt mundus.

Reſpondeo, ibi ſermonem non fieri de prima conditione mundi quoad primum, & ſubſtantiale eſſe, ſed de ſecunda, quantùm ſcilicet ad ornatum, & rerum diſtinctionem: hæc enim facta fuit ex materia inviſa, ſeu informi priùs ex nihilo creatâ, quæ inviſa dicitur, eò quòd, cùm eſſet ſine ornatu, ac diſtinctione ſenſibili, non erat digna videri. Quare S. Auguſt. lib. 1. de Geneſ. contrà Manich. cap. 5. *Primò ergo* (inquit) *materia facta eſt confuſa, & informis, unde omnia fierent, quæ diſtincta atque formata ſunt, quod credo, à Græcis chaos appellari. Sic enim & alio loco legimus dictum in laudibus Dei*: Qui feciſti mundum de materia informi. *Quod aliqui codices*

habent,

Digitized by Google

habent, de materia inviſa. *Et ideò Deus rectiſſimè creditur, omnia de nihilo feciſſe, quia etiamſi omnia formata de iſta materia facta ſunt, hac ipſa materia tamen de omnino nihilo facta eſt.*

XXII. Quærit D. Thomas hâc *qu.* 45. *art.* 3. an creatio aliquid ſit in creatura.

Cui quæſito reſpondet, quòd creatio ſumi poteſt, vel activè, ut ſe tenet ex parte Dei creantis: & ſic nominat *actionem divinam* (quam ſuperiùs diximus eſſe actum imperii intellectus) *quæ eſt ejus eſſentia, cum relatione ad creaturam. Sed relatio in Deo ad creaturam non eſt realis, ſed ſecundùm rationem tantùm.* Ita art. citato *ad primum*. Vel ſumi poteſt creatio paſſivè, ut ſe tenet ex parte creaturæ, quæ creatur, & ſic creatio in creatura non eſt, niſi relatio quædam (realis) ad Creatorem, ut ad principium ſui eſſe. Ita idem S. D. art. laudato *in corp.* & probat: quia quod creatur non ſit per motum, vel per mutationem, ut jam dictum eſt: ſed, ſubtracto motu ab actione & paſſione, nihil remanet, niſi relatio, ſeu habitudo creati ad creantem; ergo &c. Hoc idem demonſtrat *qu.* 3. *de pot. art.* 3. Nam ſubtracto motu ab actione nihil aliud eſt, quàm faciens, & factum ut eſſe incipiens: ſed factum conſequitur ex eo, quòd factum quandam relationem ad facientem dicit, pro ut habet eſſe ab ipſo, & pro ut eſt ei ſimile quoquo modo; ſicut in termino generationis humanæ conſequitur natus filiationem; ergo creatio cùm non poſſit accipi ut moveri, quod eſt ante terminum motus, ſed accipiatur ut in facto eſſe, ſit, quòd in creatione, non importetur acceſſus ad eſſe, nec tranſmutatio, ſed ſolùm incæptio eſſendi, & relatio ad Creatorem, à quo eſſe habet, & ſic nihil aliud ſit, quam relatio quædam ad Deum cum novitate eſſendi. Ita ſubtiliter S. Thomas paucis mutatis.

XXIII. An autem iſta relatio ſit indiſtincta ab ipſa creatura, & ſit ipſa entitas creaturæ, ut ralatione dependentiæ tranſcendentali Deum auctorem ſui eſſe reſpiciens; an verò ſit aliquid entitati creaturæ ſupperadditum, & ab ea diſtinctum de prædicamento relationis, probabilius judico & menti D. Thomæ conformius hoc ſecundum. Etenim *qu.* 3. *de potentia art.* 3. *ad.* 3. dicit. *Illa relatio accidens eſt, & ſecundùm eſſe ſuum conſiderata pro ut inhæret ſubjecto, poſterius eſt quàm res creata, ſicut accidens ſubjecto intellectu, & naturâ poſterius eſt, quamvis non ſit tale accidens, quod cauſetur ex principiis ſubjecti. Si verò conſideretur ſecundùm ſuam rationem, pro ut ex actione agentis innaſcitur, prædicta relatio; ſic eſt quodammodo prior ſubjecto, ſicut ipſa divina actio, quæ eſt ejus cauſa proxima.* Ex quibus patet, quid reſpondendum ſit, ſi aliquis objiciat, creationem debere eſſe naturaliter priorem creato, quia per illam creatum habet eſſe: dicendum enim, creationem, ſeu relationem illam, quatenus ex actione Dei agentis innaſcitur, eſſe priorem re creata, poſteriorem verò comparata ad rem creatam, ut accidens ad ſubjectum cui inhæret.

XXIV. Si ulterius quæras, an illa actio ſit creata; & ſi creata, cur & ipſa aliâ relatione non referatur ad Creatorem?

Reſpondebo ad primam cum D. Tho. *qu.* 3. *de pot. art.* 3. *ad* 2. propriè loquendo non eſſe creatam, quia hoc ſolis ſubſiſtentibus propriè convenit, ſed eſſe concreatam: nam accidentia, ſicut per ſe non ſunt, ſed alteri inſunt, ſic nec per ſe ſiunt, & creantur, ſed cum alio ſiunt, & concreantur. Unde D. Thom. hâc qu. 45. art. 4. *Sicut igitur* (inquit) *accidentia & forma, & hujuſmodi, quæ non ſubſiſtunt, magis ſunt coexiſtentia, quàm entia: ita magis debent dici concreata, quàm creata.*

Ad ſecundam verò dico cum eodem D. Thoma citatâ qu. 3. de potentia ad 1. quòd *creationis relatio non refertur*

tur ad Deum aliâ relatione reali, ſed ſeipsâ. Nulla enim relatio refertur aliâ relatione, ut dicit Avicenna in ſua Metaphyſica. Sicut ergo actio, quia eſt ratio producendi alia, non producitur aliâ actione, ita relatio, quia eſt ratio referendi alia, non refertur aliâ relatione. At in hoc ſatis immorati ſumus.

DUBIUM III.

An potentia creandi, vel actus creationis ſit alicui creaturæ communicabilis?

§. I.

Cui ſit connaturalis vis creativa.

I. DIco primò. Soli Deo connaturalis eſt vis creativa. Ita D. Thom. hâc *qu.* 45. *art.* 5. Cui veritati omnes, ut puto, conſentiunt. Eſt enim revelata in Scripturis, Eccleſiaſtici 1. v. 8. *Unus eſt Altiſſimus Creator omnipotens*, Iſaiæ 44. v. 24. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens Cœlos ſolus, ſtabiliens Terram, & nullus mecum.* Quibus verbis eliminatur error quorumdam Philoſophorum, qui referente D. Tho. *qu.* 3. *de pot. art.* 4. dixerunt. *Quòd Deus creavit creaturas inferiores mediantibus ſuperioribus... & movebantur ad hoc opinandum propter hoc, quòd credebant, quòd ab uno ſimplici non poſſet immediatè, niſi unum provenire, & illo mediante ex uno primo multitudo procedebat. Hoc autem dicebant, ac ſi Deus ageret per neceſſitatem naturæ, per quem modum ex uno ſimplici non fit niſi unum. Nos autem ponimus, quòd à Deo procedunt res per modum ſcientiæ, & intellectus, ſecundùm quem modum nihil prohibet, ab uno primo, & ſimplici Deo multitudinem immediatè provenire, ſecundùm quod ſua ſapientia continet univerſa. Et ideò ſecundùm Fidem Catholicam ponimus, quòd omnes ſubſtantias ſpirituales, & materiam corporalium Deus immediatè creavit, hæreticum reputantes, ſi dicatur, per Angelum, vel per aliquam creaturam aliquid eſſe creatum. Unde Damaſcenus dicit. Quicumque dixerit, Angelum aliquid creare, anathema ſit.*

II. Hoc idem conſtantiſſimè fatentur Patres. Athanaſius *orat.* 2. *contra Arianos num.* 21. probat, Filium Dei non eſſe creaturam, quia omnia per ipſum creata ſunt: *Quod ſanè non feciſſet omnia, ſi ipſum quoque Verbum è rebus creatis eſſet. Nec enim, vel Angeli poſſunt creare, cum ipſi ſint creati, licèt ita ſenſerint Valentinus, Marcion, & Baſilides, quorum vos* (Ariani) *æmulatores eſtis:* aliàs quid opus fuiſſet Verbo, *cùm inferiores à ſuperioribus effici queant.*

III. S. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 2. *pag.* 62. oſtendit contra Julianum Apoſtatam, repugnare, quòd alicui creaturæ vis creativa inſit: *Siquidem repugnat maximè divinæ gloriæ procreandi facultatem aliis ineſſe putare, & in lucem edendi, quæ non erant. Neque enim fas eſt dicere, quæ ſingularia ſunt, ac propria divinæ, & ineffabilis naturæ, ea poſſe naturaliter quibuſdam ineſſe rebus ab ipſa conditis.*

IV. S. Auguſtinus hanc veritatem paſſim confitetur. *Lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 24. probat contrà Platonicos, falsò ab illis aſſeri; *non ab illo ſummo Deo, qui fabricatus eſt mundum, ſed ab aliis minoribus, quos quidem ipſe creaverit, permiſſu, ſive juſſu ejus animalia facta eſſe cuncta mortalia.* Hâc præcipuâ ratione. *Neque enim fas eſt, ullius naturæ, quamlibet minimæ, mortaliſque, Creatorem, niſi Deum, credere, ac dicere ... Angeli autem, quos illi Deos libentiùs appellant etiamſi adhibent, vel juſſi, vel permiſſi, operationem ſuam rebus, quæ gignuntur in mundo; tamen non eos dicimus creatores animalium, quàm nec agricolas frugum, atque arborum.*

Rursùs lib. 9. de Geneſ. ad litter. *cap.* 15. *Angeli autem* (inquit) *nullam*

Iam omnino poſſunt creare naturam: ſolus enim unus cujuslibet natura, ſeu magna, ſeu minima Creator eſt Deus.

Præterea *lib.* 3. *de Trinitat. cap.* 8. loquens de malis Angelis, per quos Magi in Ægypto ranas, & ſerpentes produxerunt: *Nec ſanè* (inquit) *creatores illi mali Angeli dicendi ſunt, quia per illos Magi reſiſtentes famulo Dei ranas, & ſerpentes fecerunt: non enim ipſi eas creaverunt.* Deinde oſtenſo, omnium rerum occulta ſemina in iſtis corporeis elementis Deum indidiſſe, ex quibus Dæmones ea facere potuerunt, concludit: *Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugum ... ità non ſolùm malos, ſed nec bonos Angelos fas eſt, putare creatores, ſi pro ſubtilitate ſui ſenſus, & corporis ſemina rerum iſtarum nobis occultiora noverunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter ſpargunt, atque ità gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum, prabent occaſiones.*

V. Rationes autem, quibus D. Thomas probat hanc veritatem, hæ ſunt. Primam tradit hoc *art.* 5. *qu.* 45. ſic: Actio, cui correſpondet effectus univerſaliſſimus, eſt propria ſolius cauſæ univerſaliſſimæ: ſed actioni creativæ correſpondet effectus univerſaliſſimus, & ſolus Deus eſt cauſa univerſaliſſima; ergo creatio eſt actio propria ſolius Dei. Major videtur clara; oportet enim, univerſaliores, effectus in univerſaliores, & priores cauſas reduci. Min. probatur. Inter omnes effectus univerſaliſſimum eſt ipſum eſſe, quod omnia pervadit, maximè ſi producatur eſſe abſolutè, non in quantùm eſt hoc, vel tale: ſed hoc modo correſpondet actioni creativæ; ei enim non correſpondet ſolùm ſecundùm rationem determinatam, puta equi, leonis &c. eo modo, quo correſpondet cauſis particularibus, ſicut dum ex præjacente materia generatur ignis, leo, equus, ubi generans dat materiæ eſſe igneum, leonem, equum: ſed ſecundùm ſe totum, hoc eſt, ſecundùm omnia, quæ eſſe habent, nedùm quoad eſſe determinatum formæ, ſed materiæ; nam ſicut annihilando deſtrueret totum eſſe, illudque redigeret in nihilum; ita creando producit totum eſſe, & totum extrahit à nihilo.

VI. Hinc conficitur alia ratio. Illius cauſæ proprium eſt creare, quæ ſe ſola, non indigens alia, poteſt totum eſſe quod eſt in re, producere, & totum redigere in nihilum: ſed ſolus Deus, qui eſt cauſa ſuprema, hoc poteſt: aliæ enim cauſæ, quæ non ſunt Deus, nedum indigent Deo ut cauſent, ſed nec totum eſſe, quod eſt in re producunt, aliquid enim ejus productum ſupponunt in materia, vel ſubjecto; ergo &c.

VII. Rursùs, illius ſolius proprius effectus eſt *eſſe*, cui forma agendi eſt ipſum eſſe: ſed ſolius Dei forma agendi eſt ipſum eſſe, cùm ſolus ipſe eſſentialiter ſit id, *quod eſt*, ut oſtendimus; ergo &c. Quare cauſæ creatæ, eſto materialiter, & identicè producant ſui effectus eſſe tale, vel tale, non tamen eſſe abſolutè, & ut diſtinguitur à nihilo eſt terminus formalis actionis earum.

VIII. Tertia ratio indicatur à D. Thom. hoc *art.* 5. *ad* 3. Illi ſoli naturaliter convenit creare, cui naturaliter convenit virtus infinita: ad creandum enim virtus infinita requiritur. Sed ſoli Deo naturaliter convenit virtus infinita; ergo &c. maj. prob. *tantò major virtus requiritur in agente, quantò potentia eſt magis remota ab actu*; ergo virtus agentis ex nulla præſuppoſita potentia, quale eſt agens creans, erit infinita. Ant. patet. Ideò enim major vis calefactiva requiritur in calefaciente lignum viride, quàm ſiccum, quia in ligno viridi potentia eſt magis remota ab actu caloris. Conſequ. verò probatur. Diſtantia infinita petit in agente, ut eam ſuperet, virtutem infinitam: ſed inter nullam potentiam ad actum, quam ſup-

ſupponit creans, & aliquam potentiam, quam præſupponit agens naturale, nulla eſt proportio; ergo infinita diſtantia; ergo &c. & ſic, eſto aliqua potentia determinatè diſtet ab actu, ſeu eſſe; nulla tamen potentia infinitè diſtat ab actu, ſeu eſſe.

IX. Hæc tamen infinita diſtantia inter nihilum, & eſſe finitum, non eſt ratione rei factæ, ſeu termini *in quem* definit diſtantia, ſed ratione termini *à quo*, quia non eſt reperire, unde incipiat illa diſtantia: & ſic nunquam incipit, & ſi nunquam incipit, ex parte termini à quo eſt infinita, quia ex hac parte non habet terminum. Quare, ut ſuperiùs dictum eſt, inter Deum & nihil eſt infinita diſtantia ex parte utriuſque termini, *à quo*, & *ad quem*: at inter nihil, & creaturam eſto ſit infinita diſtantia ex parte termini *à quo*, non tamen ex parte termini *ad quem*. Unde D. Thom. qu. 3. de potentia art. 4. ad 2. ait: *Nihil probibet, aliquam diſtantiam imaginari infinitam ex una parte, & ex alia finitam. Ex utraque autem parte infinitam imaginamur diſtantiam, quando utrumque oppoſitorum ponitur infinitum. Puta, ſi ſint calor, & frigus infinita: ex parte autem altera, quando alterum eſt finitum, ſicut ſi calor eſſet infinitus, & frigus finitum. Diſtantia ergo infiniti entis & non eſſe ſimpliciter, eſt infinita ex utraque parte. Diſtantia autem entis finiti à non eſſe ſimpliciter eſt infinita ex una parte tantùm, & requirit nihilominus potentiam infinitam agentem.*

X. Ex hac doctrina apparet, ad creandum requiri potentiam infinitam, non ex parte rei factæ, quæ finita eſt, ſed ex modo faciendi ex nihilo, quia licèt determinari poſſit, ubi terminet, non tamen unde incipiat; ideòque diſtantiam infinitam ex termino à quo importat. *Virtus enim facientis non ſolùm conſideratur ex ſubſtantia facti, ſed etiam ex modo faciendi: major enim calor non ſolùm magis, ſed etiam citiùs calefacit. Quamvis igitur creare aliquem effectum finitum non demonſtret potentiam infinitam; tamen creare ipſum ex nihilo demonſtrat potentiam infinitam.* Ita D. Thom. hâc *qu.* 45. *art.* 5. *ad* 3. Quâ ratione non ſolum maxima, ſed & minima creaturarum, non ab alio, quàm à ſolo Deo creari poteſt. Quia infinitas in creante, non ex re, quæ fit, ſed ex modo faciendi, qui in omnibus æqualis eſt, penſatur.

§. II.

An vis creativa ab aliqua creatura participari poſſit?

XI. Dico ſecundò. Nulli creaturæ communicari poteſt vis ad principaliter creandum. Ita D. Thom. *qu.* 3. *de pot. art.* 4. qui ait, quod *per hunc modum poſuerunt quidam Philoſophi, quòd intelligentiæ primæ ſunt creatrices ſecundarum per virtutem cauſæ primæ in eis exiſtentem.* Qui addit: *Et hoc fuit Idololatriæ principium, dùm ipſis creatis ſubſtantiis, quaſi creatricibus aliarum, latriæ cultus exhibebatur.*

XII. Adversùs hanc opinionem, & pro noſtro, communique aſſerto ſtant omnes auctoritates Sacræ Scripturæ, dicta Patrum; quin & rationes ſuperiùs allatæ, quæ, ſi benè penſentur, probant, nullam creaturam poſſe principaliter creare, nedùm virtute ſibi connaturali, ſed etiam à Deo ipſi communicatâ. Quod enim proprium Dei eſt, pro ut Deus eſt ſuum eſſe, pro ut eſt agens infinitæ virtutis, nulli creaturæ poteſt principaliter communicari.

XIII. Difficultas eſt, an ſaltem, poſſit communicari creaturæ à Deo virtus ad creandum inſtrumentaliter. Hoc referente S. Thoma, tùm hâc *qu.* 45. *art.* 5. tùm *qu.* 3. *de potentia art.* 4. ut poſſibile aliqui aſſeruerunt. Nimirùm, quòd eſto creatio ſit propria actio univerſalis cauſæ, tamen aliqua inferiorum cauſarum, in quantùm agit

Digitized by Google

agit in virtute primæ cauſæ poſſit creare, quam opinionem, ait, ſecutum fuiſſe Avicennam. Imò & Magiſtrum ſententiarum in 4. *diſt.* 5. §. 3. dùm ait, *quòd Deus poteſt creaturæ communicare potentiam creandi, ut creet per miniſterium, non propriâ auctoritate*. Negant tamen cum D. Thom. laudato, Scotus, aliique multi, cum quibus.

XIV. Dico tertiò. Fieri non poteſt, ut creatura aliqua aſſumatur à Deo tanquam inſtrumentum ad creandum. Probatur primò ratione D. Th. hâc qu. 45. art. 5. *Cauſa ſecunda inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris, niſi inquantùm per aliquid ſibi proprium diſpoſitivè operatur ad effectum principalis agentis*: Sed ad effectum creationis, ſeu proprium Dei creantis, nihil poteſt cooperari diſpoſitivè, cùm ſit illud, quod *præſupponitur omnibus aliis, ſcilicet eſſe abſolutè, & creatio non ſit ex aliquo præſuppoſito, quod poſſit diſponi per creationem inſtrumentalis agentis*; ergo impoſſibile eſt, quòd alicui creaturæ conveniat creare etiam inſtrumentaliter, ſive per miniſterium, & præcipuè ſi ſit corpus. Cùm enim nullum corpus agat, niſi tangendo, vel movendo, requirit in ſua actione aliquid præexiſtens, quod poſſit tangi, vel moveri, quod eſt contra rationem creationis.

Majorem explicat S. Thom. Si enim cauſa inſtrumentalis *Nihil ibi ageret ſecundùm illud, quod eſt ſibi proprium, fruſtra adhiberetur ad agendum. Nec oporteret eſſe determinata inſtrumenta determinatarum actionum. Sic enim videmus, quòd ſecuris ſcindendo lignum, quod habet ex proprietate ſua forma, producit ſcamni formam, quæ eſt effectus proprius principalis agentis*.

XV. Huic rationi non modicæ occurrunt difficultates. Prima, eam rectè quidem concludere de inſtrumentis naturalibus, quæ naturâ ſuâ habere debent determinatam virtutem, ratione cujus ſint determinata inſtrumenta determinatarum actionum, quod benè oſtendit exemplum ſecuris, quæ niſi haberet vim ſcindendi, fruſtrà adhiberetur ad formandum ſcamnum. Non autem concludere de inſtrumentis adhibitis ad effectus ſupernaturales: in his enim ſufficit potentia obedientialis, quâ poſſint elevari ad quoſcumque effectus, ad quos nullam ex ſe diſpoſitionem vel coaptationem habent, cùm Deus uti poſſit quocumque ad quodcumque.

Secunda difficultas eſt: quia in inſtrumentis elevatis nulla actio propria requiritur, quâ prævię operentur circa ſubjectum, in quo ponitur effectus principalis agentis, nec quod illud tangant, aut in illo ſint; ſed ſufficit quòd exiſtendo in alio, ſeu operando circa illud, producant effectum ubi non eſt: ut aqua Baptiſmi, quæ operans circa corpus illud abluendo, producit gratiam in anima, in qua ipſa aqua non eſt. Ex quo infertur, quòd ſimiliter poterit operari, ubi nihil eſt, & ubi nihil præſupponit de eo, quod operari debet; quia ſi non eſt neceſſe, ut diſpoſitivè operetur circa rem faciendam, ſed ſufficit, ut diſponat, & operetur circa aliud, hoc ad effectum creationis impertinenter ſe habebit.

XVI. Hæc tamen vim rationis Divi Thomæ non infirmant. Non primum. Fateor enim, Deum non ſic uti inſtrumentis, quaſi illis indigeat, ſicut artifex indiget ſerrâ, ut faciat ſcamnum; & proinde inſtrumenta divinæ virtutis non aſſumuntur, ut ſint neceſſaria Deo ad ſuum effectum, qui ſicut per aquam baptiſmalem abluit animam, ita ſine aqua illam poteſt abluere. Negari tamen non poteſt, quin inſtrumenta à Deo aſſumantur, ut cum eo communicent in operando, eiſque ſuam virtutem, aut poteſtatem ita communicet, ut verè operetur per illa (ſicut Princeps loquitur per interpretem, aut ſcribit per alium) & ſi phyſica inſtrumenta ſint, ut ex ipſis phyſicè egrediatur, & oriatur effectus. Si enim ſe habeant merè

merè paſſivè, aut per modum vehiculi deferentis actionem principalis agentis, aut per modum cauſæ folùm moralis, ad cujus præſentiam, aut meritum ex Dei voluntate, aut pacto oriatur effectus, hic certè unicè ſoli Deo correſpondebit, & nullo modo inſtrumentis. Neceſſe ergo eſt, quòd inſtrumentum phyſicum operetur quidem, ut inferius, & modo inferiori ad principale agens; ſed tamen quòd effectus principalis agentis non ab ipſo ſolo, ſed etiam ab inſtrumento, ut ſibi tamen ſubordinato, actione aliqua proximè phyſicè oriatur, & procedat. Porrò cum de ratione inſtrumenti phyſici, quà talis, ſit agere circa aliquod ſubjectum, illudque immutare, non verò ſubjectum ipſum producere, quòd ad creationem eſſentialiter requiritur, patet, creaturam ullam aſſumi non poſſe, ut inſtrumentum phyſicum ad creandum.

XVII. Neque obſtat ſecundum. Non enim dixit D. Thomas, quòd inſtrumentum debet operari aliquam diſpoſitionem ad effectum principalis agentis, ſed ſolùm quòd inſtrumentum debet operari diſpoſitivè ad effectum principalis agentis: ideſt non ex parte rei operatæ, ſed ex modo operandi miniſteriali, & quaſi præparatorio. Ex quo infertur, quòd inſtrumenti operatio circa quodcumque verſetur, ſive ſit ſubjectum, in quo ponitur effectus principalis agentis, ſive aliud, ſemper ſe ſe exerceat modo ſibi proprio, nempe immutativo, non factivo ſubjecti, de aliquo, non de nihilo.

XVIII. Secunda ratio eſt. Operatio inſtrumenti, & omnis actio cauſæ creatæ eſt accidens diſtinctum à ſubſtantia agentis, quæ licèt in agente inchoetur, conſummatur tamen in paſſo; ergo neceſſariò debet habere ſubjectum prius ſaltem naturâ, quàm ſit effectus, in quo actio ſubjectetur, & ſuam exerceat cauſalitatem; ergo repugnat, eam eſſe actionem creativam, quia hæc nullum ſupponit ſubjectum. Hanc rationem tradit D. Tho. qu. 3. de pot. art. 4. *Illud ſolum in faciendo aliquid recipientem materiam non requirit, cujus eſſe non eſt accidens, ſed ipſa ſubſtantia ſua, quod ſolius Dei eſt, & ideò ſolius Dei eſt creare.*

XIX. Tertia ratio ſumitur ex Divo Thoma loco citato. Ut creaturæ communicaretur vis ad creandum etiam inſtrumentaliter, deberet ei communicari vis infinita, ſed hæc non poteſt &c. ergo &c. maj. prob. deberet ei communicari virtus proportionata diſtantiæ, quæ eſt inter eſſe ſimpliciter, & nihil; quia *potentia facientis proportionari debet diſtantiæ, quæ eſt inter id, quod fit, & id, ex quo fit. Quantò enim frigus vehementius eſt, & à calore magis diſtans, tantò majori virtute caloris opus eſt, ut ex frigido fiat calidum;* ſed *non eſſe ſimpliciter in infinitum ab eſſe diſtat, quod ex hoc patet. Nam à quolibet ente determinato plus diſtat non eſſe, quàm quodlibet ens, quantumcumque ab alio ente diſtans invenitur.* Ergo *ex omninò non ente aliquid facere, non poteſt eſſe, niſi potentia infinitæ.* Ita S. Thom.

Vel ergo hoc inſtrumentum creationis attingeret rem creatam actione cauſæ principalis; & hæc, cùm ſit in modo operandi infinita, non poteſt creaturæ communicari. Vel actione diſtincta; & iſta, cùm ſit accidens debet ſupponere ſubjectum, non illud facere: & cùm ſit finita non poteſt proportionari diſtantiæ infinitæ, quæ eſt inter id, quod fit, & illud, ex quo fit. His paucis verbis tota vis rationis D. Thomæ concluditur.

§. III.

Contraria proponuntur, & ſolvuntur.

XX. Multa ſunt, quæ objici ſolent. Primò. In Creante ſaltem inſtrumentaliter non eſt neceſſaria virtus infinita; ergo poterit communicari creaturæ. Ant. prob. non requiritur virtus infinita nec ex parte facti,

Digitized by Google

facti, nec ex parte diſtantiæ terminorum: hæc enim non eſt maxima diſtantia. Etenim major diſtantia eſt non entis contradictionem implicantis ab ente; quàm non entis abſolutè ab eodem ente, quia ex illo nihil omnino fieri poteſt, ex iſto autem per Dei potentiam fit aliquid.

XXI. Confirmatur. Quantò major eſt reſiſtentia ex parte facti, tantò major virtus requiritur in faciente, ſed plus reſiſtit contrarium, quàm nihil; ergo majoris virtutis eſt facere aliquid ex contrario, quàm ex nihilo: ſed ad faciendum aliquid ex contrario non requiritur virtus infinita; ergo neque ad faciendum aliquid ex nihilo.

XXII. Reſpondeo primò, hæc nimis probare: probant enim, nec requiri virtutem infinitam in Deo creante principaliter. Nego igitur antecedens: jam enim oſtenſum eſt, ad creandum infinitam virtutem requiri, non quidem ex parte facti, ſed ex modo faciendi ob diſtantiam terminorum, *à quo*, & *ad quem*, quæ eſt infinita ſaltem negativè. Neque obſtat, quod opponitur. Non enim verum eſt, quòd magis diſtet ab ente non ens implicans contradictionem, quàm non ens ſimpliciter: utrumque enim: ſcilicet non ens, ſeu nihil, & ens opponitur contradictoriè, ſicut affirmatio, & negatio, quæ eſt maxima oppoſitionum: & ex utroque tanquam ex termino à quo (etſi non illud, quod implicat contradictionem) poteſt aliquid fieri: ex neutro verò fit aliquid tanquam ex materia, ſeu ſubjecto.

XXIII. Ad conf. diſt. min. plus reſiſtit, quaſi per accidens, conc. min. per ſe, nego min. Ita ſumitur ex D. Thoma 1. *par. qu.* 45. *art.* 5. *ad* 2. contrarium enim ſupponit ſubjectum, ejuſque reſiſtentia in hoc ſolùm conſiſtit, quòd contrariis diſpoſitionibus impedit, & quaſi ligat potentiam paſſivam, ne potentiæ activæ ſubjiciatur. At non ens nullum dicit ſubjectum, ſeu potentiam paſſivam, in quam agat: Multò autem major virtus requiritur in agente; ut ex nulla potentia faciat aliquid, quam ut faciat aliquid ex potentia ligata: & ideò major virtus requiritur ad faciendum aliquid ex nihilo, quàm ex contrario.

Hanc reſponſionem aliis terminis explicat S. Doct. qu. 3. de potentia art. 4. ad 16. *Quod in actu poteſt attendi difficultas dupliciter. Uno modo ex hoc, quòd patiens reſiſtit contra agentem, & hoc non eſt in omnibus generale: ſed ſolùm in his, quæ mutuò agunt, & patiuntur ad invicem.... Alio modo, qui generalis eſt, ſecundùm quòd patiens elongatur ab actu. Quantò enim potentia magis elongata ab actu invenitur, tantò major eſt difficultas in actione agentis. Unde cum magis elongetur ab actu purum non ens, quàm materia cuicumque contrario ſubjecta, quantumcumque intenſo; manifeſtum eſt, majoris eſſe virtutis producere aliquid ex nihilo, quàm facere contrarium de contrario.*

XXIV. Secundò objiciunt varia exempla. Primò. Sacramenta ſunt cauſa inſtrumentalis phyſica gratiæ, quæ tamen creatur.

Secundò. Verba Sacerdotis elevantur ad cauſandam tranſubſtantiationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti, qui effectus longè mirabilior eſt, & majorem requirens virtutem, quàm ſimplex creatio rei naturalis, puta formicæ.

Tertiò. Incarnatio elevatior, & difficilior eſt, quàm creatio: ſed aliqua creatura elevari potuit ad producendam inſtrumentaliter Incarnationem; ergo &c.

Quartò. Poteſt creatura elevari ad annihilandum; ergo & ad creandum.

Quintò. Ad facienda miracula, quæ omnem naturæ vim ſuperent poteſt creatura inſtrumentaliter elevari; ergo & ad creandum.

Sextò. Ignis inferni agit tanquam Dei inſtrumentum in Dæmones, & animas damnatas; ergo à pari.

Digitized by Google

Septimò. Cauſa naturalis corrumpens ſpecies euchariſticas producit ex toto novum aliquod Corpus; ergo per creationem, cum nihil ſupponatur, nec materia: hæc autem ſolâ creatione produci poteſt.

XXV. Reſpond. omnia hæc ſupponere ſubjectum in quo, & circa quod creatura agat; quod non eſt contra rationem inſtrumenti, ſicut eſſet, ſi aſſumeretur ad creandum, cùm creatio nullum ſupponat ſubjectum: ideòque ſi aſſumeretur, ut inſtrumentum ad creationem, illud eſſet inſtrumentum, & non eſſet; illa eſſet creatio, & non eſſet. Ut tamen ſigillatim reſpondeam,

XXVI. Ad primam nego, Gratiam creari, ſed propriè infundi, & quodammodo ex potentia obedientiali animæ educi. Deinde dato, quod gratia creetur, creatur à ſolo Deo, & Sacramenta ſunt inſtrumenta phyſica, non ad producendam gratiæ entitatem., ſed ad gratiam corpori, communicandam: ſicut generans hominem eſt cauſa communicans corpori animam rationalem à ſolo Deo creatam.

XXVII. Ad ſecundam dico, opus tranſubſtantiationis eſſe quidem mirabilius ex parte facti, non tamen ex parte modi operandi, quia non ex nihilo, ſed ex aliquo, nimirùm ex pane, fit: ideòque requirit quidem virtutem infinitam in cauſa principali, non tamen in cauſa inſtrumentali, quæ elevatur ad agendum quidem ſupra ſe, ſed non contrà modum ſuum.

XXVIII. Sed dices. Tranſubſtantiatio eſt actio, in qua non eſt accipere aliquod ſubjectum, ut docet D. Tho. 3. *par. qu.* 75. *art.* 8. & tamen ad eam datur inſtrumentalis cauſa per elevationem; cur ergo non etiam ad creationem poterit dari? Inſuper per tranſubſtantiationem producitur totum ens, tota nempè ſubſtantia corporis Chriſti; & tamen ad eam inſtrumentaliter concurrit creatura: cur non ad creationem?

Reſpondeo diſt. maj. non eſt accipere ſubjectum manens ſub utroque extremo, conc. maj. ſubjectum mutatum, ſeu converſum in aliud, nego maj. In tranſubſtantiatione ergo non manet idem ſubjectum commune utrique extremo, non enim idem ſubjectum manet ſub pane, & ſub corpore Chriſti, & in hoc, ait D. Thomas, convenit cum creatione. Adeſt tamen ſubjectum mutatum, & converſum in Corpus Chriſti. Et ideò non ex nihilo, ut creatio; ſed de aliquo, nempe de pane fit tranſubſtantiatio. Et ſimiliter tota ſubſtantia Corporis Chriſti ibi, non ex nihilo, ſed ex pane, & ratione hujus ſubjecti non manentis, ſed converſi: nec producitur totum ens, nec ex nihilo; & ideò datur locus cauſæ inſtrumentali, qui in creatione non datur, quia *creatura accipit virtutem inſtrumentalem operandi in id, quod in Corpus Chriſti tranſubſtantiatur*, ait D. Thom. *in* 4. *diſt.* 8. *qu.* 2. *art.* 3. *ad* 3.

XXIX. Ad tertium. Valdè dubium eſt, quòd creatura elevari poſſit ad efficiendam adhuc inſtrumentaliter Incarnationem. Dato tamen poſſe, dico, Incarnationem eſſe elevatiorem & difficiliorem ex parte facti, ſed ex parte modi eſſe minus difficilem. Tùm qnia creatio nihil ſupponit, Incarnatio ſupponit aliquid. Tùm quia creatio eſt productio totius entis, in quantum ens; Incarnatio non ita, ſed eſt unio Perſonæ infinitæ cum natura finita.

XXX. Ad quartum, duplici via reſponderi poteſt. Primò negando ant. cum D. Thoma 3. *p. qu.* 13. *art.* 2. & *qu.* 5. *de potentia art.* 3. *ad* 15. æqualiter negante, creaturam poſſe aliquid in nihilum redigere, ac poſſe aliquid de nihilo facere. Quia annihilare non eſt agere, ſed non agere, ſeu ab agendo ceſſare: ad non agere autem non datur cauſa inſtrumentalis. Ad quid enim daretur? An ad attingendam ſubtractionem divini concurſus conſervantis creaturam? At, ſi ita

ſi ita eſſet, deberet agere in ipſum Deum, quod nemo dicet.

Secundò admiſſo antecedente, negari poteſt conſequentia. Nam ad annihilandum præſupponitur aliquod ſubjectum, quod cum creatura attingeret priùs, deſinendo ſimul cum Deo illud conſervare, rueret in nihilum. At in creatione nullum præſupponitur ſubjectum.

XXXI. Ad quintum pariter dico, Miracula præſupponere materiam in qua fiunt; ideòque benè patrari poſſunt per creaturam virtute ſibi à Deo collata. Sed creatio nullam materiam ſupponit.

XXXII. Ad ſextum ſimiliter dico, ignem inferni hoc poſſe, quia ſupponit ſubjectum, in quod torquendo agat: & licèt non habeat ad illud proportionem potentiæ ad objectum, habere tamen poteſt divina virtute proportionem agentis ad patiens, & adeſt convenientia entis ad ens, & creaturæ ad creaturam: quod in creatione non contingit.

XXXIII. Ad ſeptimum nego ant. Cauſa enim naturalis ſpecies eucharisticas corrumpens, & ex illis aliud corpus generans, hujus corporis materiam non creat, ſed hæc à ſolo Deo creatur. Vel ut probabilius judicat S. Tho. 3. *par. qu.* 77. *art.* 5. *in corpore*, in illo genito quantitas ſpecierum tenet locum materiæ: *In ipſa* enim *Conſecratione miraculosè datur quantitati dimenſiva panis, & vini, quòd ſit primum ſubjectum ſubſequentium formarum ... & ideò quid quid poſſet generari ex materia panis, vel vini, ſi adeſſet, totum poteſt generari ex prædicta quantitate dimenſiva panis, vel vini; non quidem novo miraculo, ſed ex vi miraculi priùs facti*. Addo, hanc inſtantiam ſi benè inſpiciatur, nimis probare; probaret enim creaturam, ut cauſam principalem, & naturaliter poſſe creare.

XXXIV. Tertiò objiciunt. Deus poteſt facere, quòd homo generet hominem, & ignis ignem; ergo etiam quod Angelus Angelum; ſed Angelus nequit fieri niſi per creationem; ergo &c.

Confirm. Lux ſpiritualis eſt potentior, quàm corporalis: ſed lux corporalis ſe ipſam multiplicat; ergo Angelus, qui eſt lux ſpiritualis ſecundùm Auguſt. *lib. de Geneſ. ad litt. imperfect. cap.* 5. poteſt ſe ipſum multiplicare; ſed hoc non facere poteſt, niſi creando.

XXXV. Reſpondeo primò, hoc probari, quòd ſicut homo naturaliter poteſt generare alium hominem; ita Angelus poſſet naturaliter creare alium Angelum. Secundò nego conſequentiam. Nam productio Angeli, utpote rei immaterialis, cùm non ſupponat ſubjectum, circa quod exerceri poſſit, cuicumque, ſolo Deo excepto, impoſſibilis eſt. Generatio verò hominis, & cæterorum præſupponit materiam, circa quam operetur. Neque ſequitur, Angelum, ex quo perfectior ſit homine, & potentior, poſſe producere ſibi ſimile in ſubſtantia: hoc enim quod eſt generare ſibi ſimile, ſolis viventibus corruptibilibus convenit; eò quòd, cùm eorum ſpecies in uno individuo non poſſit perpetuò conſervari, conantur aſſequi perpetuitatem mediâ plurium propagatione.

Ad conf. reſpondeo cum D. Tho. qu. 3. de pot. art. 4. ad 6. *quòd lux corporalis multiplicat ſe, non per creationem novæ lucis, ſed diffundendo ſe ſuper materiam, quod de Angelis dici non poteſt, cùm ſint ſubſtantia per ſe ſtantes*.

XXXVI. Quartò objiciunt. Eodem modo, & ordine, quo res exeunt à primo principio, reordinantur in ultimum finem, cùm idem ſit primum principium, & ultimus finis: ſed inferiores creaturæ ordinantur in Deum ſicut in finem mediantibus ſuperioribus creaturis; ergo iiſdem mediantibus exeunt à primo principio, & iis mediantibus creantur.

Reſpondet D. Thomas citatus ad pri-

primum: *Quòd in reducendo ad finem præexiſtunt ea, quæ ſunt ad finem, & ideò non eſt impoſſibile per actionem alicujus cooperari Deo, ad hoc, quòd res aliqua in finem ultimum reducantur: ſed in univerſali eductione rerum in eſſe nihil præſupponitur; & ideò non eſt ſimile.*

XXXVII. Dices. Nihil, & aliquid plus diſtant, quàm aliquid, & eſſe; cùm nihil, & aliquid nihil habeant commune, aliquid autem ſit entis pars: ſed Deus facit creando, ut quod nihil erat, aliquid fiat, & per conſequens, quòd nulla potentia fiat aliqua potentia; ergo multò amplius facere poteſt, quòd aliqua potentia terminata, cujuſmodi eſt potentia creaturæ, fiat omnipotentia, infinita, & quod creet. Ita contra ſe D. Thom. laudato loco.

Cui reſpondet. *Ad quintum dicendum, quòd aliquid dicitur non poſſe fieri ab aliquo, non ſolùm propter diſtantiam extremorum, ſed etiam propter hoc, quòd omnino fieri non poteſt: ut ſi dicamus, quòd ex aliquo corpore non poteſt fieri Deus, quia Deus omnino fieri non poteſt. Sic ergo dicendum, quòd ex aliqua potentia non poteſt fieri omnipotentia, non ſolùm propter diſtantiam utriuſque potentiæ, ſed etiam propter hoc, quòd omnipotentia omnino fieri non poteſt. Nam omne quod fit, purus actus eſſe non poteſt; cùm ex hoc ipſo, quòd ex alio eſſe habeat, potentia in eo deprehendatur. Et ideò non poteſt eſſe potentia infinita.*

QUÆSTIO II.

De Principio durationis rerum creatarum.

DEum, & quidem ſolum, fuiſſe omnium rerum Creatorem, ac primum omnibus eſſendi principium, oſtenſum eſt. Nunc de Principio durationis earum agere intendimus: an ſcilicet res iſtæ creatæ habuerint initium ſuæ durationis, ſicut illud habuerunt ſui eſſe, ita ut aliqua fuerit duratio, quâ ſolus Deus abſque ulla creaturarum fuerit; an verò nullum habuerint ſuæ durationis exordium, ſed ab æterno Mundus coextiterit Deo, factus tamen ab ipſo. Et hoc cum D. Thoma hâc 1. *p. q.* 46.

DUBIUM I.

An univerſitas Creaturarum ſemper fuerit?

§. I.

Veterum opiniones.

I. MAteriam Deo coæternam fuiſſe, neque à Deo factam, ex qua Deus condiderit mundum, & ea quæ in mundo ſunt, docuerunt antiqui Philoſophi, & ex iis Hermogenes, quem errorem *Quæſt.* præcedenti *Dub.* 2. §. 2. retulimus, & ex Tertulliano refutavimus. Nunc non de materia ſola, ſed de tota rerum Univerſitate, nempè de generibus, ac ſpeciebus, quæ mundi univerſitatem conſtituunt, ſermo erit: an hæc à Deo in tempore creata fuerit, an verò ab æterno, & ſemper fuerit.

II. Platonici, ut refert S. Auguſt. *lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 31. mundum eſſe æternum, à Deo tamen factum, exiſtimabant (quod de Diis quoque dicebant) ac propterea habuiſſe quidem ſui eſſe initium, non tamen ſuæ durationis. Quod ita explicabant, teſte S. Auguſtino. *Sicut enim, inquiunt, ſi pes ex æternitate ſemper fuiſſet in pulvere, ſemper ei ſubeſſet veſtigium; quod tamen veſtigium à calcante factum nemo dubitaret, nec alterum altero prius eſſet, quamvis alterum ab altero factum eſſet: ſic, inquiunt, & mundus, atque in illo dii creati, & ſemper fuerunt, ſemper exiſtente qui fecit, & tamen facti ſunt.*

Quia verò hoc aſſerebant hâc exiſtimatione moti, quòd cùm Dii eorum, & anima ipſa in ſempiternum ſit

ſit duratura, putabant, *niſi quod ſemper antea fuiſſet, ſempiternum deinceps eſſe non poſſe*.

III. Sic eos perſtringit S. Doctor ſupponendo animam modò eſſe miſeram, & poſtea futuram beatam. *Numquid ergo, ſi anima ſemper fuit, etiam miſeria ejus ſemper fuiſſe dicenda eſt? Porrò ſi aliquid in illa, quod ex aterno non fuit, eſſe cæpit ex tempore, cur non fieri potuerit, ut ipſa eſſet ex tempore, qua antea non fuiſſet?* Quia verò reſpondere poterant, miſeriam non ſemper futuram, & ideò non oportere, ut ſemper, & ex æterno fuerit; eos ſic aggreditur. *Beatitudo ejus* (animæ) *poſt experimentum malorum firmior, & ſine fine manſura, ſicut ille* (Plato) *confitetur, procul dubio cæpit ex tempore, & tamen ſemper erit, cùm antea non fuerit*. Ergo *omnis argumentatio diſſoluta eſt, quâ putatur, nihil eſſe poſſe ſine fine temporis, niſi quod initium non habet temporis. Inventa eſt enim anima beatitudo, qua cum initium temporis habuerit, finem temporis non habebit*.

IV. Item *lib. 11. de Civit. Dei cap. 4.* Quia aliqui negabant, mundum conditum fuiſſe in tempore, ne viderentur admittere in Deo mutationem, quaſi venerit illi in mentem, quod nunquam ante veniſſet, nimirùm facere mundum, & illi acciderit voluntas nova. Eoſdem aggreditur præfato exemplo animæ, quam Deo coæternam ponebant. Unde enim accidit illi nova miſeria, quam nunquam æternè habuit? Si alternaſſe ſemper ejus miſeriam, & beatitudinem dixerint; ergo ſemper erit alternatura; ergo nunquam fuit, nec erit beata, ſi dum fuit, eſt, & erit beata, prævidit, prævidet, & prævidebit ſuam futuram miſeriam. Quòd ſi prævidit ſuam miſeriam; ergo falsâ òpinione fuit beata. Si dicant, ab æterno alternaſſe quidem animæ beatitudinem, & miſeriam, ſed nunc jam de cætero, cùm fuerit liberata, ad miſeriam non redituram. Quærit ab eis, an hujus novitatis cauſa ſit Deus ſuo æterno conſilio, an novo conſilio eam excogitarit. Si hoc ſecundum dicant, faciunt Deum mutabilem, cùm in eo novum conſilium, & novam ponant de temporanea animæ beatitudine voluntatem, quòd ipſis diſplicet. Si verò dicant, Deum ſuo æterno, & invariabili conſilio, & voluntate in tempore transferre animam de miſeria ad beatitudinem: quare non potuit eodem ſuo invariabili conſilio, & voluntate animam ipſam, & mundum univerſum transferre de non eſſe ad eſſe?

V. Porrò, quia alii dicebant, quòd ſi Deus feciſſet mundum ſolùm in tempore, infinita ſpatia temporis ante mundum fluxiſſent, in quibus Deus nihil operatus fuiſſet; Deus autem nunquam ceſſavit ab opere.

Contra inſtat *cap. 5.* ſic. Sicut mundum conditum in tempore infinita temporis ſpatia præceſſiſſe excogitantur, in quibus ceſſavit Deus ab omni opere: ita nunc mundo condito, infinita locorum ſpatia extra mundum excogitare poſſumus, quæ ab hoc mundo non replentur, & in quibus Deus non operatur, niſi dicant, Deum non unum, ſed infinitos mundos produxiſſe cum Epicuro; ergo ſicut ſalvant, Deum eſſe omnipotentem, etſi non operetur in omnibus locis, quæ cogitari poſſunt extra mundum: quare non ſalvabitur Deus omnipotens, etſi non fuerit operatus in omnibus temporis ſpatiis mundi temporaneam productionem præcedentibus? Ita egregiè ac ſubtiliter Auguſtinus urget Platonicos, & fortè etiam Origeniſtas. Nam

VI. Propter hanc eandem rationem mundum eſſe æternum exiſtimavit Origenes *lib. 1. Periarchon* ut refert Juſtinianus Imperator *tract. adverſ. Origenis errores tom. 3. Conc. Harduin. columm. 275.* his verbis: *Quoniam igitur numquam non fuit omnipotens, aterna hac eſſe decet, propter quæ omnipotens eſt. Erant igitur ſemper ipſius dominio ſu-*

ſubjecta, ipſo utentia principe. Et rurſus eodem libro: *Genera omnia, & ſpecies ſemper erant: non ita de ſingularibus differentibus numero dixerit quiſpiam. Verumtamen utrimque declarantur, Deum non feciſſe creandi initium, quaſi aliquando fuerit in otio*. Ex quo ſuum palmarem errorem trahebat, nimirùm, quòd animæ humanæ, quas ejuſdem naturæ cum Angelis aſſerebat, propter peccata, quæ ante mundi, & corporum conditionem patraverant, detruſas fuiſſe in corpora; in illis purgari, purgatas liberari, ac liberas felices iterum fieri, donec novorum peccatorum merito, rurſùs eiſdem alligentur. Quare nullam ſtabilem ponebat beatitudinem, ſed perpetuum ſpirituum circulum, & felicitatis, ac miſeriæ alternationem. Ex quo etiam naſcebatur, quòd nec pœnæ, nec felicitates futuræ eſſent æternæ; unde inferebat Dæmones, ac damnatos in melius fore commutandos, eorumque pœnas aliquando finiendas. Hiſce tamen dimiſſis, Catholicam, & communem veritatem ſtatuamus.

§. I I.

Aſſertio Catholica.

VII. **D**Ico. Univerſitas creaturarum non ſemper fuit, ſeu mundus ab æterno non fuit, ſed cæpit eſſe. Hoc teſtantur Scripturæ: Dicit enim Sapientia Proverb. 8. v. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quidquam faceret à principio*. v. 23. *Ab æterno ordinata ſuum, & ex antiquis antequam terra fieret*. v. 24. *nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram; nec dum fontes aquarum eruperant &c.* Quibus verbis oſtenditur, fuiſſe durationem, in qua ſapientia æterna erat, & nondum quidquam creatum erat; & proinde res creatas non ſemper fuiſſe, ſed eſſe cæpiſſe.

VIII. Hoc idem confirmavit Chriſtus *Joan.* 17. *v.* 5. ubi ad Patrem ait: *Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui priuſquam mundus eſſet apud te*. Et v. 24. *dilexiſti me ante mundi conſtitutionem*. Apoſtolus etiam ad Epheſ. 1. *v.* 4. *Elegit nos* (inquit) *in ipſo ante mundi conſtitutionem*. Huc etiam pertinent, quæ ſcribit 2. *ad Timoth.* 1. *v.* 9. & *ad Titum* 1. *v.* 2. ubi dicit, gratiam, & ſpem vitæ æternæ datam fuiſſe nobis *ante tempora ſecularia*. Quibus, aliiſque accedit definitio Concilii Lateran. IV. ſub Innoc. III. *cap. Firmiter, tit. de ſumma Trinit. &c.* ubi ſtatuitur; quòd Deus *ſuâ omnipotenti virtute, ſimul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam*.

IX. Quod ſi velimus cauſam inveſtigare, cur mundus ab æterno non fuerit, aliam rationem invenire non poſſumus, niſi voluntatem Dei, ait D. Thom. hoc *art.* 1. *qu.* 46. 1. *par.* Cùm enim abſolutè loquendo non ſit neceſſe, Deum velle aliquid niſi ſeipſum, ſed circa omnia alia à ſe ſummâ libertate, & independentiâ ſe ſe exerceat, *non eſt neceſſarium Deum velle, quòd mundus fuerit ſemper, ſed eatenùs mundus eſt, quatenùs Deus vult illum eſſe, cùm eſſe mundi ex Dei voluntate dependeat, ſicut ex ſua cauſa: non eſt igitur neceſſarium mundum ſemper eſſe*.

X. Ita quoque ratiocinatur 2. *contragentes cap.* 31. oſtendens, non eſſe neceſſarium, univerſitatem creaturarum, vel aliquam ex eis ab æterno fuiſſe. Hanc enim neceſſitatem, vel haberet ex ſe, vel ab alio. Ex ſe quidem eam habere non poteſt; quia nulla creatura habet eſſe à ſe, & conſequenter non habet à ſe neceſſitatem eſſendi, cùm ſit à ſe contingens eſſe, vel non eſſe. Si verò hæc neceſſitas eſt ab alio, oportet, quod ſit ab aliqua cauſa, quæ ſit extrinſeca; quia quidquid accipitur intrinſecum in creatura, ab alio eſt, & proinde contin-

gens

gens eſſe, vel non èſſe. Porrò cauſa extrinſeca, vel eſt efficiens, vel finalis. Non poteſt autem effectus habere neceſſitatem eſſendi ex cauſa efficiente, niſi neceſſe ſit, cauſam efficientem agere ad ejus productionem: atqui Deus, qui eſt cauſa creaturarum, non agit ex aliquâ neceſſitate ad productionem creaturarum, ſed liberâ omnino, ac independenti voluntate; ergo non eſt abſolutè neceſſe, creaturam eſſe neceſſitate, dependente à cauſa efficiente. Nec etiam neceſſitate dependente à cauſa finali. Ea enim, quæ ſunt à fine, neceſſitatem à fine non recipiunt, niſi ſecundùm quòd finis ſine eis, vel non poteſt eſſe, ſicut conſervatio vitæ ſine cibo, vel non ita benè eſſe, ſicut iter ſine equo: at finis divinæ voluntatis, ex qua res in eſſe proceſſerunt, non poteſt eſſe aliud, quàm ſua bonitas, quæ quidem à creaturis non dependet, nec quantùm ad eſſe, cùm ſit per ſe neceſſe eſſe: nec quantùm ad benè eſſe, cùm ſit per ſe perfecta ſimpliciter; ergo non eſt abſolutè neceſſarium creaturam eſſe, nec neceſſarium eam ponere ab æterno; ſed tunc, cùm divinæ voluntati placuit ex ſua bonitate illam ponere. Cùm ergo in ſuis Scripturis revelaverit nobis, ſibi placuiſſe eam ponere, non ab æterno, ſed in tempore ſeu initio temporis, dicendum, creaturarum univerſitatem non ſemper, & ab æterno fuiſſe, ſed in tempore eſſe cæpiſſe.

XI. Obſervat tamen idem S. Doct. *qu. 3. de potent. art. 17.* quòd *aliter dicendum eſt de productione unius particularis creaturæ, & aliter de exitu totius Univerſi à Deo. Cùm enim loquimur de productione alicujus ſingularis creaturæ, poteſt aſſignari ratio, quare talis ſit, ex aliqua alia creatura, vel ſaltem ex ordine Univerſi, ad quem qualibet creatura ordinatur, ſicut pars ad formam totius. Cùm autem de toto Univerſo loquimur educendo in eſſe, non poſſumus ulteriùs aliquod creatum invenire, ex quo poſſit ſumi ratio, quare ſit tale, vel tale. Unde cùm nec etiam ex parte divinæ potentiæ, quæ eſt infinita, nec divinæ bonitatis, quæ rebus non indiget, ratio determinata diſpoſitionis Univerſi ſumi poſſit, oportet, quòd ejus ratio ſumatur ex ſimplici voluntate producentis; ut ſi quæramus, quare quantitas Cæli ſit tanta, & non major, non poteſt hujus ratio reddi, niſi ex voluntate producentis.* Ita D. Thom., quod confirmat auctoritate Rabbi Moyſis, addens: *Non enim poteſt aſſignari ratio, quare talis ſtella tantum à tali diſtet, vel aliqua hujuſmodi, quæ in diſpoſitione Cæli conſideranda occurrunt, niſi ex ordine ſapientiæ Dei.*

Dato tamen, quòd poſſit reddi ratio, cur tali naturæ, puta Cœli, debeatur talis determinata quantitas, ejus naturâ ſic exigente: Subdit. *Non ſic autem poteſt dici de tempore, vel temporis duratione. Nam tempus eſt extrinſecum à re, ſicut & locus... Unde non poteſt dici, quòd neque tempus, neque ubi conſequatur naturam* Cœli (cùm ſemper moveatur, & tempus ſuccedat tempori) *Unde patet, quod ex ſimplici Dei voluntate dependet, quòd præfigatur Univerſo determinata quantitas durationis, ſicut & determinata quantitas dimenſionis. Unde non poteſt neceſſariò concludi aliquid de Univerſi duratione, ut per hoc oſtendi poſſit demonſtrativè, mundum ſemper fuiſſe.*

§. III.

Veterum argumenta pro Mundi æternitate.

XII. PLura congerit D. Thomas, quibus Veteres fortè movebantur ad mundi æternitatem aſſerendam. Nam hâc *qu. 46. art. 1.* decem affert, *qu. 3. de potentia art. 17.* triginta, in *2. diſt. 1. qu. 1. art. 5.* quatuordecim, & *lib. 2. contragent. cap. 32. & 33.* octodecim. Nos aliqua proponemus; cætera citatis locis perquirenda ſtudioſo relinquemus.

XIII. Primò ergo objici poteſt.

Vel Deus potuit, & voluit univerſitatem creaturarum ſemper fuiſſe, vel potuit, & non voluit, vel voluit, & non potuit, vel neque potuit, neque voluit. Si potuit, & voluit; ergo fecit, nam voluntas ejus eſt cauſa rerum. Si potuit, & non voluit; ergo eſt invidus; ſi voluit, & non potuit; ergo eſt infirmus: idemque eſt, ſi nec noluit, nec potuit.

Reſpondeo, quæſtionem eſſe dubiam, potuerit nè mundus ab æterno creari (de quo Phyſici, & nos aliqua inferiùs dicemus) an non. Si non potuit creari, Deus non potuit, nec voluit facere, ut mundus ſemper eſſet. Neque tamen ſequitur, quòd Deus ſit infirmus, quia hoc non ex defectu potentiæ in Deo; ſed ex impoſſibilitate rei factibilis procedit: cum impoſſibile ſit, aliquid eſſe ab æterno, & eſſe ab alio factum. Si autem mundus potuit ab æterno creari; Deus potuit illum ab æterno creare, ſed noluit. Neque tamen propterea eſt invidus; quidpiam enim non facere, quia non decet, ſapientiæ eſt, non invidiæ.

Adverto tamen cum S. Thoma *qu. 3. de pot. art. 17. ad 22.* quòd eſto ſimili argumento utatur D. Auguſtinus *lib. 2. alids 3. contra Maximimum cap. 6.* ad probandum, Filium Dei eſſe Patri coæternum, & coæqualem, nimirùm, ſi potuit talem Filium producere, & non voluit; ergo fuit invidus: ſi non potuit, infirmus. Si noluit, invidus invenitur. Hæc *tamen ratio non eſt efficax de mundo* (inquit D. Thom.) *quia cum natura Filii ſit eadem cum Patre, requirit æternitatem, & æqualitatem Patris, quæ ſi ſibi ſubtraheretur, invidiæ eſſet. Non autem hoc requirit natura creaturæ. Et ideò non eſt ſimile.*

XIV. Sed contrà dices primò. Quidquid ſit, an natura creaturæ requirat ſemper fuiſſe, hoc tamen requirit natura Dei. Quod probo. Deus ab omni æternitate eſt cauſa in actu; ergo petit ſemper effectum in actu, cùm cauſa, & effectus ſint correlativa. Ant. probatur. Alioquin dicendum eſſet, quòd Deus creando mundum exiiſſet de potentia ad actum, & mutatus fuiſſet.

Confirmatur primò. Idem manens idem facit ſemper idem, niſi impediatur; Sed Deus ſemper manet idem, Pſalm. 101. v. 28. *Tu autem idem ipſe es;* ergo cùm Deus impediri non poſſit propter ſuæ infinitatem virtutis, & aliquando mundum produxerit, ſemper illum produxit.

Confirmatur ſecundò. Deus ab æterno voluit, ſuam bonitatem eſſe cum omnibus pertinentibus ad ipſam: ſed productio creaturarum pertinet ad ſuam bonitatem; ergo volens eam, voluit & producere creaturas.

Si dicas, quòd ad bonitatem Dei pertinet, quòd creaturæ producantur in eſſe: non autem, quod producantur in eſſe ab æterno.

Contra eſt. Majoris liberalitatis eſt aliquid citiùs dare, quàm tardiùs: ſed liberalitas divinæ bonitatis eſt infinita; ergo videtur, quòd debuit dare eſſe creaturis ab æterno.

Confirmatur tertiò. Agens per voluntatem, ſi incipit facere, quod priùs volebat, cùm antea non feciſſet, oportet ponere aliquid eſſe nunc inducens ipſum ad agendum, quod priùs non inducebat: ſed dici nequit, quòd ante mundum fuerit aliquid præter Deum, quod de novo eum induxerit ad agendum; ergo ne dicamus, divinæ voluntati aliquid accreviſſe, ſi ab æterno voluit producere mundum, ab æterno illum produxit.

Confirmatur quartò. Deus ab æterno fuit ſupremus Princeps, & Dominus ſicut modò; ergo habere debuit, quibus imperaret, ac dominaretur ab æterno.

XV. Reſpondeo ad inſtantiam, nego ant. ad probar. diſt. ant. cauſa in actu, ideſt actu habens omnia intrinſeca, quæ ad actu operandum requiruntur, conc. ant. cauſa in actu, ideſt actu operans, nego antecedens. Et conſeq. Ex quo enim Deus ab æteno ſit cau-

ſa in actu habens omnia, quæ requiruntur ad actu operandum, ſequitur quidem, quòd dùm operatur non exeat de potentia ad actum, non tamen, quòd effectus ſit ab æterno; ſed ſolùm pro ea duratione, in qua ab æterno diſpoſuit, illum fore. Effectus enim eſt correlativus cauſæ, ut in actu operantis, & dantis illi eſſe. Unde cùm Deus eſto ab æterno ſit cauſa in actu modo dicto, quia tamen non eſt ab æterno actu operans, & dans eſſe mundo, non ſequitur, quòd mundus ſit ab æterno; aliàs nihil etiam ſingulare in mundo produci de novo poſſet in tempore, ſed omnia ab æterno producta eſſent, cujus oppoſitum manu tangimus. *Poſitâ* ergo *actione* (inquit D. Thom. 1. part. qu. 46. art. 1. ad 10.) *ſequitur effectus ſecundùm exigentiam formæ, quæ eſt principium actionis. In agentibus autem per voluntatem, quod conceptum eſt, & prædefinitum accipitur ut forma, quæ eſt principium actionis. Ex actione igitur Dei æterna non ſequitur effectus æternus, ſed qualem Deus voluit, ut ſcilicet haberet eſſe poſt non eſſe.* Hoc idem docet *qu.* 3. *de potentia art.* 17. *ad* 12. & *ad* 26. & *in* 2. *Sent. diſt.* 1. *qu.* 1. *art.* 5. *ad* 11. poſtquam diſtinxit duplex agens: unum, quod *agit actione media, quæ non eſt eſſentia ipſius operantis; & in talibus non poteſt ſequi effectus novus ſine nova actione, & novitas actionis facit aliquam mutationem in agente, prout eſt exiens de otio in actum, ut in ſecundo de anima dicitur. Quoddam verò ſine actione media vel inſtrumento: & tale agens eſt Deus. Unde ſuum velle eſt ſua actio, & ſicut ſuum velle eſt æternum, ita & actio: non tamen effectus ſequitur, niſi ſecundùm formam voluntatis, quæ proponit, ſic, vel ſic facere: & ideò non exit de potentia in actum, ſed effectus, qui erat in potentia agente, efficitur actu ens.*

XVI. Ad primam confirm. dico, majorem eſſe veram de cauſis naturalibus, non verò de cauſa libera, & agente per intellectum, & voluntatem, qualis eſt Deus: hæc enim agit, non ſecundùm quòd in ſe ipſa eſt, ſed ſecundùm quòd in ejus voluntate eſt, ut agat. Ita D. Thomas qu. 3. de pot. art. 17. ad 6. *Voluntas autem* (inquit S. Doct.) *non diſponit ſolùm de forma effectus: ſed de loco, duratione, & omnibus conditionibus ejus. Unde oportet, quòd effectus voluntatis tunc ſequatur, quando voluntas diſponit, non quando voluntas eſt. Non enim ſecundùm eſſe, ſed ſecundùm id, quod voluntas diſponit, effectus voluntati ſimilatur. Licèt igitur voluntas ſemper ſit eadem, non tamen oportet, quòd ſemper ex ea ſequatur effectus.*

XVII. Ad ſecundam confirmat. benè ibi reſponſum eſt. Addo cum D. Tho. loco laudato ad ſeptimum, *quod Deus de neceſſitate vult ſuam bonitatem, & omne id, ſine quo ſua bonitas eſſe non poteſt. Tale autem non eſt creaturarum productio. Unde ratio non ſequitur.*

Ad id, quod replicatur, reſpondeo, veram eſſe majorem, ſi cætera ſint paria. Verùm *cùm Deus creaturas ad manifeſtationem ſui produxerit; convenientius fuit, & melius, ut ſic producerentur, ſicut convenientiùs, & expreſſiùs eum poterant manifeſtare. Expreſſiùs autem manifeſtatur ex creaturis, ſi non ſemper ſint, quia in hoc manifeſtè apparet, quia ab alio educta ſunt in eſſe: & quòd Deus creaturis non indiget, & quòd creaturæ omnino divinæ ſubjacent voluntati.* Ita D. Thomas relatus ad 8.

XVIII. Ad tertiam confirmat. dico maj. eſſe veram de eo, qui incipit facere actione novâ, novo conſilio, novâ voluntate, non verò de Deo, cujus actio eſt æterna, & à quo effectus in tempore illo ponitur, quod ab ipſo fuerat ab æterno prævisum, & præfinitum. Hic enim *dicitur incipere agere ratione novi effectus, qui ab æterna actione conſequitur ſecundùm diſpoſitionem voluntatis, quæ eſt quaſi actionis principium in ordine ad effectum.* Ita D. Tho. loco citato ad 12.

Dici etiam poteſt cum eodem ibi ad 13. *quòd ratio illa procedit de agente , quod ita facit effectum ſuum in tempore , quod tamen non eſt temporis cauſa , quod in Deo locum non habet .*

XIX. Ad quartam confirmat. jam ſuperiùs *qu.* 1. *dub.* 2. §. 2. ex Tertulliano Hermogeni hoc idem opponenti reſponſum eſt. Modò dico ex D. Tho. citato ad 21. *quòd ſi relatio dominii intelligatur conſequi actionem , quâ Deus actualiter creaturas gubernat : ſic non eſt ab æterno Dominus . Si autem intelligatur conſequi ipſam poteſtatem gubernandi ; ſic competit ei ab æterno .*

XX. Secundò objici poteſt . Si mundus non ſemper fuit ; ergo nec tempus ; ergo tempus quoque incæpit eſſe ; ergo aliquando non fuit tempus. Sed *aliquando* ſignificat *aliquod tempus;* ergo in aliquo tempore non fuit tempus , quod importat contradictionem; ergo mundus , & tempus ſemper fuerunt .

Confirmatur . Deus aut eſt prior mundo naturâ , aut duratione : ſi naturâ tantùm ; ergo cùm Deus ſit ab æterno , ab æterno quoque erit mundus . Si autem eſt prior duratione , prius autem , & poſterius conſtituunt tempus ; ergo ante mundum fuit tempus , quod eſt impoſſibile .

XXI. Reſpondeo diſtinguendo min. ſubſumtam : *aliquando* ſignificat aliquod tempus verum , vel imaginarium, conc. min. præcisè verum , ac reale nego min. Vel aliter . *Aliquando* ſignificat durationem , vel temporis , vel æternitatis , conc. min. præcisè temporis , nego min. dùm ergo dicitur : *aliquando non fuit tempus* , vel ly *aliquando* ſumitur pro tempore , quod imaginamur per totam æternitatem ante productionem temporis fluxiſſe , vel pro ipſa duratione æternitatis ; ita ut ſenſus ſit , per totam æternitatem non fuit tempus .

Ad Confirm. eodem modo reſpondeo , Deum eſſe priorem mundo duratione , non temporis , ſed æternitatis , vel æternitate temporis imaginati , non realis . Ita D. Tho. 1. *p.* 46. *art.* 1. *ad* 8. his verbis : *Deus eſt prior mundo duratione , ſed ly* priùs *non deſignat prioritatem temporis , ſed æternitatis . Vel dicendum quòd deſignat æternitatem temporis imaginati , & non realiter exiſtentis , ſicut cum dicitur , ſupra Cælum nihil eſt :* ly ſupra *deſignat locum imaginatum tantùm , ſecundùm quòd poſſibile eſt imaginari , dimenſionibus cæleſtis corporis dimenſiones alias ſuperaddi .* Quam reſponſionem repetit qu. 3. de pot. art. 14. ad 6. dicens : *ſi intelligatur , ante inſtans creationis mundi tempus reale fuiſſe , in quo potuerit fieri mundus , patet omnino eſſe falſum , quia ante mundum motus non fuit ; unde nec tempus . Poſſumus tamen imaginari aliquod tempus ante mundum . Sicut altitudinem , vel dimenſiones aliquas extra Cælum , per quem modum poſſumus dicere : & quòd altiùs Cælum potuit elevare , & quòd priùs potuit facere , quia potuit facere , & tempus diuturnius , & altitudinem altiorem .*

XXII. Replicabis . Ex dictis, omne , quod eſt ante tempus , eſt æternum : ſed mundus fuit ante tempus; ergo &c. min. prob. mundus fuit creatus in primo inſtanti temporis , ideſt in principio temporis , ſed primum inſtans temporis fuit ante tempus ; ergo &c.

Reſp. cum D. Tho. *qu.* 3. *de pot. art.* 17. *ad* 5. diſt. maj. quod eſt ante tempus, & ante omne id, quod eſt temporis, con. maj. ante tempus, non tamen ante omne id , quod eſt temporis , neg. maj. *Ante tempus* (ait D. Tho.) *aliquid eſſe, poteſt intelligi dupliciter . Uno modo ante totum tempus , & ante omne id, quod eſt temporis : & ſic mundus non fuit ante tempus ; quia inſtans, in quo cæpit mundus licèt non ſit tempus , eſt aliquid temporis , non quidem ut pars , ſed ut terminus . Alio modo intelligitur aliquid eſſe ante tempus , quia eſt ante temporis completionem ; quod non completur niſi in inſtanti , an-*

Digitized by Google

te quod eſt aliud inſtans. Et ſic mundus eſt ante tempus. Non autem oportet propter hoc, quòd ſit æternus, quia nec ipſum inſtans temporis, quod ſic eſt ante tempus, eſt æternum. Ita D. Thom. eſt ergo mundus factus ante temporis completionem, non ante temporis initium.

XXIII. Tertiò objici poteſt. Nihil, quod habet virtutem, ut ſit ſemper, quandoque eſt, quandoque non eſt: ſed Cœli, & Angeli, utpotè ſuâ naturâ incorruptibiles, habent virtutem, ut ſint ſemper; ergo non poſſunt quandoque eſſe, quandoque non; ergo fuerunt ſemper.

XXIV. Reſpondeo, illud axioma poſſe dupliciter intelligi. Uno modo de eo, quod habet virtutem, ut ſit ſemper abſolutè, ſine ulla temporis determinatione, ſive præſenti, & futurâ, ſive etiam præteritâ, & nedum in æternum, ſed & ab æterno; & rursùs nullâ factâ ſuppoſitione. Et hoc modo ſolus Deus habet virtutem, ut ſit ſemper, nimirùm, ut ſemper ſit, ſemper futurus ſit, & ſemper fuerit à ſe independenter ab omni ſuppoſitione. Alio modo de eo, quod habet virtutem, ut ſit ſemper, non pro quacumque duratione, etiam præteritâ; ſed ex eo tempore, quo ſupponitur illam virtutem habere: tunc ab eo tempore non poteſt certè quandoque eſſe, quandoque non eſſe, ſed debet ſemper eſſe. Juxta ergo hunc modum res incorruptibiles, Cœli, Angeli, animæ rationales habent virtutem, ut ſint ſemper, quia ex eo tempore, quo cæperunt eſſe, cùm careant corruptionis principio, ſemper ſunt, ſemperque erunt. Non tamen pro eo tempore, aut duratione, quâ nondum erant, ſeu nondum cæperant eſſe. Quare illa minor *Cœli, Angeli, utpote ſuâ naturâ incorruptibiles, habent virtutem, ut ſint ſemper*, vera eſt ſolùm ab eo tempore, quo cæperunt eſſe: quia ut docet D. Thom. qu. 3. de pot. art. 17. ad 2. *Nulla virtus neque eſſendi, neque operandi reſpicit præteritum, ſed ſolùm præſens, vel futurum. Nullus enim habet virtutem ad hoc, quòd aliquid fecerit... ſed habet aliquis virtutem ad hoc, ut nunc, vel impoſterum faciat.* Videatur quoque 1. par. qu. 46. art. 1. ad 2. unde præſens reſponſio ſumta eſt.

Alia plura ſupereſſent argumenta: ſed ne moram trahamus, ea videnda relinquo apud D. Thomam locis ſuperiùs laudatis nimirùm *1. par. qu. 46. art. 1. Qu. 3. de pot. art. 17. 2. contrag. cap. 35. 36. 37.* Et *in 2. ſent. diſt. 1. qu. 1. art. 5.*

XXV. Quæres, an mundum incepiſſe ſit articulus fidei?

Reſpondet D.Tho. hâc 1. p. q. 46. art. 2. *mundum non ſemper fuiſſe, ſolâ fide tenetur, & demonſtrativè probari non poteſt.* Quod, mundum non ſemper fuiſſe, fide teneatur, patet ex Sacræ Scripturæ textibus ſuperiùs allatis, quibus revelatum eſt, mundum non ſemper fuiſſe. Quòd verò ſolâ fide teneatur, nec demonſtrativè probari poſſit, probat S. Doct. hìc hâc ratione. Quòd mundus non ſemper fuerit, probari demonſtrativè non poteſt, nequè ex parte cauſæ, nempe Dei, quia Deus agit ad extra per voluntatem, & liberè; cauſam autem cur noluerit mundum non ſemper fuiſſe, ratione inveſtigare non poſſumus. Neque ex parte effectus, ideſt mundi: nam ſi poſſet ex parte mundi medium demonſtrativum deſumi, tale medium eſſet quodquid eſt, ſeu definitio ipſius: ſed definitio, ſeu quod quid eſt mundi non poteſt demonſtrare, eum non ſemper fuiſſe, cùm definitio, & eſſentia mundi, ſicut, & cujuslibet alterius rei creatæ, abſtrahat ab hic & nunc, ſeu ab eſſe, & non eſſe; ergo &c. Cùm per medium ſic abſtrahens non poſſit determinatè demonſtrari unum potiùs, quàm aliud.

XXVI. Utile quoque eſt, hoc demonſtrari non poſſe, ſubdit S. Doctor: *Ne fortè aliquis, quod fidei eſt, demonſtrare præſumens, rationes non neceſſarias*

rias

rias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus, exiſtimantibus, nos propter hujuſmodi rationes credere, quæ fidei ſunt. Ex quibus concluditur, demonſtrativè neutrum probari poſſe, neque quòd mundus cæperit in temporæ, neque quòd fuerit ab æterno; & propterea fundamentum aſſertionis catholicæ contrà veteres Philoſophos in divina rèvelatione unicè eſſe ponendum.

§. IV.

De poſſibilitate Mundi ab æterno.

XXVII. AN Mundus potuerit, vel non potuerit eſſe ab æterno, dubia quæſtio eſt, hinc inde variantibus Doctoribus. S.Tho. videtur adhærere opinioni affirmativæ, & admittere, non apparere impoſſibile, quòd mundus fuerit ab æterno, dùm omnia argumenta oppoſitum probantia, tùm hoc *art.* 2. tum *qu.* 3. *de pot. art.* 14. ſolvit. Nos hìc hanc quæſtionem omittere exiſtimamus, tanquam Philoſopho potiùs accommodatam, quàm Theologo; & de ea fusè agitur in 8. libro Phyſicorum. Quare Candidatum noſtrum eâ ſufficienter imbutum exiſtimamus.

XXVIII. Hæc tamen duo hìc recolenda proponimus. Primum. Quòd, etſi mundus, vel aliqua alia creatura eſſet ab æterno, adhuc non eſſet Deo coæterna, nec illi parificaretur in æternitate, eſto ſecundùm quid eum imitaretur; quia, ut docet D. Thomas, tùm hìc *ad* 5. tùm *qu.* 3. *de potentia art.* 14. *ad* 1. eſſe divinum eſt eſſe totum ſine ſucceſſione: & ſic ejus duratio eſt tota ſimul, quod ad rationem æternitatis per eſſentiam talis requiritur: eſt enim interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio. Æternitas verò participata à creatura eſſet quidem duratio carens principio, & fine, eſſet tamen mutationi, & ſucceſſioni obnoxia. Videantur dicta de æternitate Dei.

XXIX. Neque admiſſo, quòd non ſit impoſſibile, aliquam creaturam fuiſſe ab æterno, infirmatur argumentum, quo utebantur quidam ex Patribus contra Arianos, nempè Filium Dei non eſſe creaturam, quia ab æterno, & ſemper fuit cum Patre. Nam in primis argumentum Patrum procedebat ab eo, quòd non de poſſibili, ſed de facto eſt, quod & Ariani admittebant, nempè nullam creaturam de facto eſſe æternam, & ſemper fuiſſe: ex quo benè inferebant contra ipſos; ergo ſi Filius Dei æternus eſt, non eſt creatura. Deinde Patres non præcisè probabant, Filium Dei non eſſe creaturam, quia precisè æternus ſit: ſed quia æternus cum Patre de ſubſtantia, & ejuſdem eſſe cum illo, quia Filius; non autem ex non extantibus, ſeu ex nihilo, ut contendebant Ariani; & dicimus nos de creaturis, etiamſi fuiſſent ab æterno.

Et hoc eſt alterum, quod notandum eſt, nimirùm, quòd etſi mundus (vel alia creatura) ſemper, & ab æterno fuiſſet, adhuc eſſet ex nihilo; non quia *eſſet factus poſt nihilum*, ſed *quia non eſſet factus de aliquo*. Ita D. Thom. hoc *art.* 1. *ad* 2. Vel ut docet idem S. Doct. *qu.* 3. *de pot. art.* 14. *ad* 7. ut aliquid fiat ex nihilo, ſeu ex non eſſe, *requiritur, ut non eſſe præcedat eſſe rei, non duratione, ſed naturâ. Quia videlicet, ſi ipſa ſibi relinqueretur, nihil eſſet: eſſe verò ſolùm ab alio habet. Quod enim eſt natum alicui in eſſe ex ſeipſo, naturaliter priùs competit ei, eo, quod non eſt, ei natum ineſſe, niſi ab alio*. Sed hæc delibaſſe ſatis.

DU-

DUBIUM II.

De Mundi unitate, & initio.

§. I.

An Mundus ſit tantùm unus?

I. Sanctus Auguſtinus lib. *de hæreſibus cap.* 77. ſcribit, ex Philaſtrio hæreſ. 113. fuiſſe aliam hæreſim, quæ dicit, mundos eſſe infinitos, & innumerabiles ſecundùm Philoſophorum quorumdam inanem ſententiam. Hujus hæreſis ſectatores *Ametritas* vocat Auctor *Prædeſtinati* (*lib.* 1. *de hæreſibus cap.* 77. *apud Sirmondum tom.* 1.) his verbis: *Septuageſimam & ſeptimam hæreſim Ametritæ inſtituerunt dicentes, innumerabiles eſſe mundos. Hoc eos dicere novum putat, qui non legit Philoſophos: hoc enim olim aliquanti Philoſophorum dixere Gentiles.* Hoc errore idem S. Auguſt. *lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 2. refert, laboraſſe Anaximandrum Thaletis auditorem, qui cùm quaslibet rerum ſpecies ex propriis cuique principiis fieri aſſereret, & hæc infinita eſſe putaret, ex his infinitos mundos modò gigni, modò diſſolui exiſtimavit, nihil divinæ menti in hiſce operibus tribuens. Innumerabiles quoque mundos, qui infinitis atomorum motibus, & occurſibus modò formarentur; modò reſolverentur, Epicurum ſomniaſſe notat *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 5. Quorum errorem ex eo proceſſiſſe, quia *cauſam mundi non poſuerunt aliquam ſapientiam ordinantem, ſed caſum*, obſervat D. Thomas 1. part. qu. 47. art. 3. *ut Democritus, qui dixit, ex concurſu atomorum factum eſſe hunc mundum, & alios infinitos.* Ponebant enim iſti continuis revolutionibus novos fieri mundos, veteres interire, ac novos generari, quos Sanctus Auguſtinus deridet, & increpat *lib.* 12. *de Civitate Dei cap.* 13. Cùmque hoc ſe deducere arbitrarentur ex Salomone Eccleſiaſtæ 1. v. 9. *Quid eſt quod fuit? ipſum quod erit. Et quid eſt quod factum eſt? Ipſum quod fiet: & non eſt omne recens ſub Sole. Quis loquatur, & dicat, ecce hoc novum eſt? Jam fuit in ſeculis, quæ fuerunt ante nos.* Poſtquam S. Doctor oſtendit, Salomonem præfatis verbis, rerum circuitus, quibus ea, quæ fuerant eſſent reditura eadem numero, indicare noluiſſe; ſed ſolùm, quòd, ſicut fuerunt homines ante nos, ſunt & nobiſcum, & erunt poſt nos: & quæque animantia, & arbuſta, quamvis diverſa ab iis, quæ fuerunt. Et ſicut olim monſtra nata ſunt, ita modò, & naſcuntur, quamvis non eadem. Subjungit: *Abſit autem à recta fide, ut his Salomonis verbis illos circuitus ſignificatos eſſe credamus, quibus illi putant, ſic eadem temporum, temporaliumque rerum volumina repeti, ut, verbi gratia, ſicut iſto ſeculo Plato Philoſophus in urbe Athenienſi, & in ea Schola, quæ Academia dicta eſt, Diſcipulos docuit, ita per innumerabilia retrò ſecula .... & idem Plato, & eadem Civitas, & eadem Schola, iidemque Diſcipuli repetiti, & per innumerabilia deinde ſecula repetendi ſint. Abſit, inquam, ut iſta credamus.* Deinde addens, quòd nos ſemel in Chriſto mortui, & in Chriſto reſurgentes ſemper cum Domino erimus, non ampliùs ad hæc terrena redituri, juxta illud Pſal. 11. v. 8. *Tu Domine ſervabis nos, & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.* Concludit: *Satis autem iſtis exiſtimo convenire, quod ſequitur* (Pſalm. 11. v. 9.) In circuitu impii ambulant: *Non quia per circulos, quos opinantur eorum vita eſt recurſura; ſed quia modò talis eſt erroris eorum via, ideſt falſa doctrina.*

Hactenùs S. Auguſt. In hunc errorem prolapſum fuiſſe Origenem, & ſicut æternos poſuit (ut ſupra) ita innumerabiles continuis revolutionibus ſibi ſuccedentes mundos voluiſſe teſtantur S. Hieronymus *lib.* 2. *adverſus Ruffinum*, ubi, eum admiſiſſe ait,

mun-

Digitized by Google

mundos innumerabiles æternis ſibi ſeculis ſuccedentes. Et Juſtinian. Imperat. *tractatu contra Orig. err.* dicens: *Ponit porrò* (Origenes) *diverſos conſtitiſſe, & conſtare mundos, tùm præteritos, tùm futuros. Et quiſnam adeò fatuus eſt, ut hæc audiens, animo non exhorreſcat propter ſummam impietatem?* &c.

II. Tolerabilior fuit Plato, qui duos ſolos mundos poſuit (melius dixiſſet duas unius mundi claſſes) unum intelligibilem, alterum ſenſibilem: de quo S. Auguſt. *lib. 3. contra Academicos cap. 17.* ita ſcribit: *Platonem ſenſiſſe, duos eſſe mundos, unum intelligibilem, in quo ipſa veritas habitaret, iſtum autem ſenſibilem, quem manifeſtum eſt, nos viſu tactuque ſentire. Itaque illum verum, hunc veriſimilem, & ad illius imaginem factum. Et ideò de illo, in ea, quæ ſe cognoſceret anima, velut expoliri, & quaſi ſerenari veritatem; de hoc autem in ſtultorum animis non ſcientiam, ſed opinionem poſſe generari. Quidquid tamen ageretur in hoc mundo per eas virtutes, quas civiles vocabat, aliarum verarum virtutum ſimiles, quæ niſi paucis ſapientibus ignotæ eſſent, non poſſe niſi veriſimile nominari*. Quòd ſi Plato per intelligibilem mundum intellexit *ipſam rationem ſempiternam atque incommutabilem, quâ fecit Deus mundum*, ait D. Auguſt. *lib. 1. retractat. cap. 3.* quòd in hoc non erravit, & fortè de hoc intellexit Chriſtus, cùm Joan. 18. v. 36. *Regnum meum* (inquit) *non eſt de hoc mundo*.

III. Præterire non debeo Orphei Philoſophi Thracis (qui ante Trojæ excidium vixiſſe fertur) placitum, ſeu veriùs fabulam, qui primus aſſerere cæpit, Lunam, ac cætera ſydera perinde ac Terram noſtram ab hominibus incoli, & habitari. Orpheum tamen in hac inſania de aſtris habitabilibus ex veteribus ſecuti ſunt Pythagoræi, Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Ariſtarchus, Archelaus, Xenophanes aliique relati à Fabritio in ſua Bibliotheca Græca *lib. 1. cap. 20. à num. 9.* Hanc Anaxarchus in animum Magni Alexandri inſtillavit, qui proinde anxiabatur, quòd cùm tot eſſent mundi, nec unum adhuc ipſe occupaſſet.

Sed, quod mirum eſt, eam ex Recentioribus aliqui adoptarunt. Aſtra enim habitari (referente eodem Fabritio) ſenſerunt Nicolaus Cuſanus, Jordanus Brunus, Tycho, Brahe, Thomas Campanella, Renatus des Cartes, Joannes Keplerus, Galilæus Galilæi, & David Fabritius, qui ſuis ſe oculis incolas Lunæ vidiſſe temerè jactavit. Angli quoque plurimi, ut Franciſcus Goduvinus, Wilkinſius Epiſcopus Ceſtrienſis, qui librum Anglicè vulgavit de novo in Luna orbe, Robertus Flud de fluctibus, Auctor libri Gallicè ex Anglico tranſlati de ſtatu Beatorum poſt hanc vitam; quorum felicitatem majora aſſerit ſuſuturam eſſe incrementa ex propiore tot mundorum viſione; aliique à prænarrato Fabricio relati, qui ſubdit, hanc de pluribus orbibus habitabilibus ſententiam hodie placere Philoſophis, & Mathematicis clariſſimis. Ab ea Judæos Cabbaliſtas non eſſe alienos, teſtis eſt Buxtorphius Lexico Thalmud p. 1620. Mahometum quoque in Alcorano qui *Surâ primâ* ſtatim invocat *Deum mundorum*, ad quem locum videri poſſunt Ludovici Maracci notæ, & ejuſdem Prodromus 4. *Confut. Alcorani cap. 27. pag. 76.* His ad eruditionem præmiſſis.

IV. Dico primò. Præter hunc mundum nobis adſpectabilem, alius mundus non datur, neque alii homines ſunt, quàm ii, qui terras incolunt. Probatur primò ex Joann. cap. 1. v. 10. *Mundus per ipſum factus eſt.* Non enim ait, mundi per ipſum facti ſunt. Vel ergo alii mundi, ſi ſunt, per Verbum facti non ſunt, vel alii mundi non ſunt. Revera autem non fuiſſe alium mundum à Deo factum, quàm iſtum, Deus ipſe teſtatus eſt, cùm iſtius ſolius conditionem nobis deſcribi juſſit per Moyſen *Gen.*

1. di-

1. dicentem. *In principio creavit Deus Cœlum, & terram &c.* neque in Scripturis ſuis de alio, quàm de hoc mundo mentionem fecit.

V. Probat D. Thomas hàc *qu.* 47. *art.* 3. hoc ratiocinio. Ea, quæ invicem ordinata ſunt, & ſimul dicunt ordinem ad unum Auctorem, ſeu Gubernatorem, conſtituunt unam Univerſitatem; ſed omnes res creatæ, & quæ à Deo ſunt, habent ordinem inter ſe, & omnes ad Deum, ut omnium Conditorem, & Gubernatorem; ergo univerſitas rerum creatarum una eſt, & conſequenter unum mundum conſtituit. Maj. prob. Multitudo, quæ non poteſt dici una, niſi unitate ordinis, non aliundè dicitur una, niſi ex ordine partium inter ſe, & ad unum. Ideò enim exercitus dicitur unus, quia omnes milites inter ſe ordinantur ſub uno duce; Populus dicitur unus, quando homines in una Civitate inter ſe ordinantur.

VI. Probatur ſecundò. Chriſtus tantùm pro hominibus hujus mundi mortuus eſt; ergo ſi eſſet alius mundus, Chriſtus non eſſet Salvator hominum in illo mundo exiſtentium; ergo non eſſet Salvator omnium hominum, contra dictum Apoſtoli 1. ad Tim. 4. v. 10. dicentis de Chriſto: *Qui eſt Salvator omnium hominum.*

VII. Confirm. primò. Chriſtus miſit Apoſtolos in univerſum mundum, ut prædicarent Evangelium omni creaturæ Marci 16. 15. *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Mandavit illis, ut docerent, & baptizarent omnes gentes, Matth. 28. v. 19. *euntes, ergo docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Atqui eos non miſit ad prædicandum niſi creaturis, & Gentibus poſitis in hoc mundo, non extra hunc mundum, non ad habitatores mundi Cœleſtis, Lunæ, & aſtrorum; ergo creaturæ, & gentes hujus mundi terreſtris, conſtituunt omnem creaturam, omnes gentes, univerſum mundum; ergo extra hunc non ſunt alię creaturæ, alię gentes, alius mundus.

VIII. Confir. ſecundò. Omnes homines quotquot, vel ſunt, vel fuerunt, vel erunt, ſunt filii Adam; ſed omnes illi pertinent ad hunc mundum; ergo non eſt aliquis alius mundus. Major conſtat ex *Geneſ. cap.* 1. ubi poſt creatos Cœlum, terram, poſt factum Solem, Lunam, Stellas, poſt producta virgulta agri, piſces maris, aves Cœli, & beſtias terræ *v.* 27. deſcribitur formatio primi hominis Adam ex limo, ex quo ſucceſſivè omnes hominum generationes ab eo deſcendentium narrantur. Ubi ergo homines alterius mundi? Ubi incolæ Lunæ, ac ſyderum? Quandonam creati fuerant? Ante? Non: quia antè nondum factum fuerat Cœlum, nec Luna, nec ſydera? An alia hominum ſeries in lunæ, & ſyderum Cœlo condita fuit? At unde hoc? An ex hominibus ab Adamo prognatis aliqui ad habitanda ſydera tranſlati ſunt? Sed hoc ubi legitur?

IX. Dico ſecundò. Deo non fuit nec eſt impoſſibile alios, ac plures mundos, vel aliam terram creare. Probat. Potentia enim Dei eſt infinita; ergo ab uno mundo jam condito, utpotè limitato, & finito, exhauſta non eſt; potentia enim infinita per effectum finitum ſic adæquari non poteſt, ut extra illum non poſſit extendi.

X. Secundò probat. Mundus à Deo creatus eſt; & dicitur unus, quia conſtat ex talibus ſpeciebus cum tali curſu, & ordine diſpoſitus; ergo ſi Deus alias rerum ſpecies cum diverſo rerum curſu, & ordine crearet, alium mundum ab iſto diverſum produceret: ſed hoc Deus poteſt; ergo &c. Min. prob. Quòd enim Deus poſſit alias, & alias ſpecies perfectiores producere docet D. Thomas in 1. *diſt.* 44. *q.* 1. *art.* 1. ubi poſtquam diſtinxit duplicem bonitatem in rebus, eſſentialem unam, accidentalem alteram, dicit: *loquendo de bonitate accidentali rei, unicuique rei majorem bonitatem Deus conferre potuiſſet. Loquendo autem de bonitate eſſentiali, quàlibet re*

Digitized by Google

creatâ meliorem aliam rem facere potuiſſet: non tamen potuit hanc rem facere eſſe majoris bonitatis; quia ſi adderetur ad bonitatem eſſentialem aliquid, non eſſet eadem res, ſed alia, ſicut ſi numero ternario adderetur Unitas, non eſſet amplius ternarius, ſed quaternarius. *Et art.* 2. ubi quærit, an Deus potuerit facere Univerſum melius, poſtquam dixit, bonum Univerſi conſiſtere in duplici ordine; & in ordine partium ad invicem, & in ordine totius Univerſi ad Deum; ſicut in exercitu, eſt ordo partium exercitus ad invicem, ſecundùm diverſa officia; & eſt ordo ad bonum Ducis, quod eſt victoria. Melioratio autem Univerſi poſſet fieri, vel quantum ad aliquas partes, nimirum, ſi adderentur multæ ſpecies rerum, & multi gradus bonitatis: ſed illud Univerſum ſe haberet ad hoc, ſicut totum ad partem, & ſic nec penitùs eſſet idem, nec penitùs diverſum. Vel poteſt fieri melioratio, quaſi mutatis omnibus partibus Univerſi. *Hæc autem melioratio omnium partium, vel poteſt intelligi ſecundùm bonitatem accidentalem: & ſic poſſet eſſe talis melioratio à Deo, manentibus eiſdem partibus, & eodem Univerſo. Vel ſecundùm bonitatem eſſentialem; & ſic etiam eſſet Deo poſſibilis, qui infinitas alias ſpecies condere poſſet: ſed ſic non eſſent eædem partes, & per conſequens nec idem Univerſum.*

Quòd verò variare etiam Deus poſſit rerum curſum, & ordinem docet idem S. Thomas 1. *par. qu.* 25. *art.* 5. *in corp. & ad* 3. ubi hæc habet: *licèt iſte curſus rerum ſit determinatus iſtis rebus, quæ nunc ſunt, non tamen ad hunc curſum limittatur divina ſapientia, & poteſtas. Undè, licèt iſtis rebus, quæ nunc ſunt, nullus alius curſus eſſet bonus, & conveniens; tamen Deus poſſet alias res facere, & alium eis imponere ordinem.*

XI. Si dixeris, S. Doctorem 1. *par. qu.* 47. *art.* 3. *ad.* 3. dicere, *quòd mundus conſtat ex ſua tota materia. Non enim eſt poſſibile eſſe aliam terram, quàm iſtam; quia omnis terra ferretur naturaliter ad hoc medium, ubicumque eſſet. Et eadem ratio eſt de aliis corporibus, quæ ſunt partes mundi*; ergo judicat S. D. alium mundum non eſſe poſſibilem.

Reſpondeo propter hæc non defuiſſe, qui exiſtimarint, S. Doctorem fuiſſe in opinione, quòd Deo non ſit poſſibile alios mundos, aut aliam terram creare. Immeritò tamen. Verba enim allata intelligenda non ſunt relatè ad potentiam Dei, ac ſi impoſſibile ſit ei impoſſibilitate etiam logicâ aliam terram producere. Sed ſpectatâ potentiâ materiali mundi, & attento præſenti rerum curſu, quem, cùm, ut dicebamus, poſſit Deus ſuo beneplacito immutare, ac terram ſub alio rerum ordine collocare, ideò poteſt alium mundum, & aliam terram abſolutè producere. Multa enim, quæ ſpectato naturali rerum curſu impoſſibilia ſunt, ut mortuos reſurgere, tamen abſolutæ Dei potentiæ ſunt poſſibilia.

§. II.

Quo anno conditus fuerit Mundus.

XII. Certum eſt, mundum conditum fuiſſe in initio temporis, & cùm tempus incæpit, ſeu potiùs unà cum mundo tempus conditum fuiſſe, ſicut & motum primi mobilis, in quo tanquam in ſubjecto eſt (ut docet D. Thom. 1. *part. qu.* 10. *art.* 6.) non ita tamen, ut tempus fuerit menſura creationis, ſed potiùs cum Cœlo, & terra fuerit concreatum, quod aſſerit idem S. Thomas 1. *part. qu.* 46. *art.* 3. *ad.* 1. dicens: *non dicuntur in principio temporis res eſſe creata, quaſi principium temporis creationis ſit menſura, ſed quia ſimul cum tempore Cœlum, & terra creata ſunt.* Hoc, inquam, certum eſt. At quando tempus cum Cœlo, & terra creatum ſit, ſeu quantum temporis

efflu-

Digitized by Google

effluxerit à Cœli, & terræ, ac temporis initio, & creatione adeò nobis incertum eſt, ut varias in opiniones diſtraxerit Chronologos.

XIII. S. Auguſtinus *lib. 12. de Civit. Dei cap.* 10. recenſet, & ſimul refutat opinionem aliquorum, qui multis annorum millibus præceſſiſſe mundum aſſerebant, quàm Sacris Litteris traditum habeamus, *Fallunt* (inquit) *eos etiam mendaciſſima littera, quæ perhibent in hiſtoria temporum multa annorum millia continere: cum ex Litteris Sacris ab inſtitutione hominis nondum completa annorum ſex millia computemus*. Movebantur (pergit S. Doctor) ex quadam Epiſtola Alexandri Magni ad Olimpiadem Matrem ſuam, cujuſdam Sacerdotis Ægyptii narrationem ex libris apud Ægyptios Sacris depromtam continente, quibus multò plura annorum millia Regnis Aſsyriorum, Perſarum, & Macedonum concedebantur, quàm Græca aſſerat hiſtoria. Regno enim Aſſyriorum quinque millia aſſerebat, cùm Græca hiſtoria ſolos mille trecentos aſſerat. Perſarum Imperium, & Macedonum uſque ad Alexandrum ad octo uſque millia annorum & ultra protendebant, cùm Macedonum uſque ad Alexandri mortem ſoli quadringenti octoginta quinque reperiantur, Perſarum verò donec Alexandri victoriâ finirentur, ducenti & triginta tres computentur.

Eſto autem perhibeantur Ægyptii quondam tam breves annos habuiſſe, ut quaternis menſibus finirentur: unde annus plenior, & verior qualis nunc, & nobis, & illis eſt, tres eorum annos complectebatur antiquos. Quia tamen nec ſic Græca Ægyptiæ concordat hiſtoria: *Ideò* (concludit S. Auguſtinus) *Græca potiùs fides habenda eſt, quia veritatem non excedit annorum, qui Litteris noſtris, quæ verè ſacra ſunt, continentur*.

Verùm, cùm nec nobis certò conſtet quænam ſit Sacrarum Litterarum circa computum annorum mundi genuina intelligentia, & hoc ob diverſitatem, quæ inter fontes Hebraicos, & verſionem ſeptuaginta Interpretum reperitur; propterea etiam inter Chriſtianos, quin, & Catholicos interpretes, non una ſententia eſt.

XIV. Qui Fontes Hebraicos conſulunt, & ſequuntur, non pluſquàm quatuor mille annis circiter Chriſti adventum autumant mundum præceſſiſſe. Ita ſentiunt ex recentioribus Uſſerius, & alii non pauci. Qui verò verſionem lxx. Interpretum amplectuntur, cenſent à mundo condito uſque ad Chriſtum natum quinque mille, & ultra annos effluxiſſe. Quænam ex hiſce duabus opinionibus præferenda ſit, mihi, cui ſatis eſt tyronem meum aliquali notitia imbutum eſſe, nec diſcutere, & multò minus ſtatuere in animo eſt.

XV. Fontibus tamen Hebraicis ſuæ auctoritati relictis, & omiſſo examine, an in hac re integri ſint, vel corrupti, eo vel maximè, quòd à Vulgata noſtra non diſcrepantes reperiantur: Dico tamen cum Card. Baronio, tùm in Apparatu ad Annales *num.* 119. tùm in notis ad Martyrologium, & diem 25. Decembris. Morem majorum fuiſſe eos annos ſupputandi ſecundùm ſeptuaginta Interpretum computum, & hunc Catholicam Eccleſiam ſequi conſueviſſe.

XVI. Probatur primò auctoritate Theophili Antiocheni, qui in ſupputatione, quam facit ab initio mundi uſque ad mortem Aurelii Veri (quo tempore ſedit) numerat annos 5507. eoſdem ferè Hyppolytus Martyr in Chronic. ipſi tributo. Clemens Alexandr. *Stromat. lib. 1. pag.* 339. ab Adam, uſque ad mortem Commodi annos enumerat quinquies mille ſeptingentos octoginta quatuor. Mortuum autem eſſe Commodum dicit *pag.* 340. anno à Chriſto nato centeſimo nonageſimo quarto. Quare Chriſti nativitatem conſignat anno quinquies milleſimo ſexcenteſimo decimo. S. Cyprianus *præfat. in lib. de exhortat. Martyrii* ait: *Sex millia annorum jam*

Digitized by Google

penè complentur, *ex quo hominem Diabolus impugnat*. Sex millium annorum terminum ab Orbe condito ſuâ ætate appropinquare aſſerit Lactantius *lib.* 7. *Inſtit. cap.* 25. Et S. Auguſt. *lib.* 12. *de Civit. Dei cap.* 10. *&* 12. id ex Sacris litteris colligi pronunciat. Florebant autem Cyprianus medio ſeculo III. Lactantius ſeculo IV. ineunte, Auguſtinus verò eodem ſeculo deſinente. Hieronymus medio eodem ſeculo in epiſt. ad Titum cap. 1. *Sex millia* (inquit) *nec dum noſtri orbis implentur anni*. Philaſtrius à rerum origine ad Chriſtum natum (hæreſ. 111.) colligit annos quinque mille tercentos quadraginta & unum. At quid moror? In idem conſpirant Julius Africanus *ad Ariſtidem*, Euſebius *in Chronic.* Oroſius *lib.* 1. *cap.* 1. Anaſtaſius Sinaita, & Nicænus; ille in Hexameron *lib.* 7. Iſte *lib. quæſt. qu.* 91. Aliique, quos congerit Baronius, tùm in Apparatu, tùm in notis ad Martyrologium locis citatis, quibus addit, dictum Juliani Archiepiſcopi Tolet. *lib.* 3. *contra Judæos* viri doctrinâ, & ſanctitate celebris, qui ſeculo VII. floruit. Is enim agens contrà Judæos, pluribuſque differens, ac præferens Interpretum ſupputationem ei, quæ ex Hebraicis Codicibus eruitur, tanquam antiquo Eccleſiæ uſu conſecratam; *Ergo* (inquit) *illa nobis*, *&* *ſola pro his annis eſt obſervanda* lxx. *Interpretum*, *quæ meritò omnibus editionibus*, *&* *translationibus anteſertur*, *quam etiam huc uſque omnes Doctores Eccleſiaſtici tenuerunt*, *&* *in hac præcipuè annorum ſupputatione ſecuti ſunt*. Unde in Martyrologio Romano, quod etiam nunc uſurpamus, Chriſtus natus legitur *Anno à creatione Mundi quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono*.

XVII. Per hoc tamen Hebraicorum Codicum auctoritati detrahendum non eſt. Quia cùm hæc diverſitas ex enumerandis annis Patriarcharum proceſſerit, quibus ſeptuaginta Interpretes plures adſignant, quàm Hebraici Codices, reſtat quæſtioni locus; an in Hebraicos potiùs Codices, quàm in ſeptuaginta verſionem, mendum irrepſerit. Hanc enim vitioſam potiùs eſſe, abſolute pronunciat Hieronymus *Quæſt. Hebraicis in Geneſ.* ubi oſtendit, quòd ſi numero lxx. Interpretùm ſtandum eſſet, ſequeretur, quòd Mathuſalem 14. annis vixiſſet poſt diluvium, quod tamen eſt contrarium Sacr. Script. S. Auguſtinus item vitia aliqua in verſione lxx Interpretum deprehendit, quæ tamen non Interpretibus, ſed exſcriptori tribuit Ita *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 13. Accedit, quòd Vulgata noſtra computum Hebraicum ſequitur, non lxx. Interpretum: quare Recentiores, qui ex illa computum duxerunt eſto in determinato numero non concordent, attamen nativitatem Chriſti conſignant inter annum quater milleſimum, & quinquies milleſimum ab orbe condito, & Valerius Azzoguidus in ſua Chronologica diſſertatione, facto exacto ex ipſa Vulgata computo, eam noviſſimè conſignat anno 4096. quamvis Vallemont in ſuis elementis ad Hiſtoriam, aliique communiùs in anno circiter 4000. eam conſtituant. Quibus favet antiqua, & Judæorum teſtimonio celebratiſſima Domus Eliæ traditio, quæ totum ævum dividit in ſex annorum millenarios hoc modo: *duo millia ante legem Moyſis*, *duo millia lex: duo millia Meſſiæ*.

XVIII. Quòd verò Eccleſia in ſuo Martyrologio ſecundùm lxx. Interpretes potiùs, quàm Hebraicos fontes, computum inſtituat: hoc ideò eſt, inquit Pererius *lib.* 7. *in Geneſ. num.* 130. quia eùm hoc invenerit à pleriſque Veterum, tùm Latinorum, tùm Græcorum ob reverentiam præfatæ translationis per multa ſecula uſurpatum, non cenſuit illud immutare, ſed proſequi, ut in antiquis tabulis acceperat à Majoribus. *Id tamen* (addit Malvenda noſter lib. 1. de Anti-Chriſto cap. 16.) *non facit*, *quòd veram* *&* *incorruptam eandem* (ſupputationem & verſionem) *exiſtimet*, *cùm huic ex dia-*

metro

metro adverſantem, ut veram & genuinam, eam ſummam, quæ in editione Vulgata eſt conſignata, omnibus recipiendam proponat. Sed id tantùm ſalubri temperamento cavit, ut vetus aliquod venerandæ vetuſtatis monumentum tametſi lacerum & deforme, & pannis aniſque obſitum exhiberet &c. Et Joannes Deſpieres *de verſione* lxx. *Interpret. diſp.* 2. *Dub.* 5. *in fine* ait: *Nec nos movere debet, quòd Eccleſia ſupputationem* lxx. *Interpretum ab omni tempore in communem uſum receperit. Neque enim ea mens fuit Eccleſiæ, ut nemini liceret ab ea deflectere: ſed ſolum uſum probavit, non autem ſupputationis errores, quos corrigit, quando commodum fuerit. Et fortè uſa eſt hac ſupputatione corruptâ, eo quòd religioni duceret Verſionem illam contemnere, cujus auctoritatem, inquit Auguſtinus, celebriorem ſuſcepit Eccleſia, & quam ut divinam omnes venerati ſunt: vel fortè, quòd meliora tunc non ſuppeterent. Sic Eccleſia, & univerſus Orbis Chriſtianus utitur Æra vulgari, & calculo Dionyſiano: cùm tamen Chronologi non ignobiles doceant, eum non parum abludere à vero & germano calculo.* Hæc Deſpieres.

XIX. Ita fermè loquuntur, qui repudiato computo ſeptuaginta Interpretum, calculum Hebraicum probant. Sed ſi iſti ſaltem inter ſe concordarent, eis acquieſcendum fortè exiſtimarem. At quamvis conveniant, in abdicando calculo ſeptuaginta Interpretum, in calculo determinato ſtatuendo eos inter ſeſe diſcordes reperies. Jo. Albertus Fabritius (poſt Ricciolium *lib.* 7. *Cronologiæ reformatæ*) in ſua *Bibliotb. Antiquaria cap.* 7. catalogum prolixum texit variarum ſententiarum de anno mundi, quo natus eſt Chriſtus, tùm eorum, qui Septuaginta calculum ſequuntur, tùm eorum, qui computo Hebraico ſubſcribunt; eaſque adeò diſcordes exhibet, ut ne duas quidem inter ſeſe conſentientes repereris. Quòd ideò evenire crediderim: cùm enim non omnia temporum ſpatia in Sacris Litteris legantur, ſed ſepè humana hiſtoria in ſe ipſa varia, conſulenda ſit, varietatem hanc in chronologia annorum mundi parturiit. Unde Sulpitius Severus lib. 1. *Inter ſe* (inquit) *parum conſentiunt, qui rationem temporum inveſtigatam ediderunt, quod eùm vel Dei nutu, vel vitio vetuſtatis eveniat, calumniâ carere oportebit.* Quapropter concludam cum Petavio *lib.* 2. *epiſt.* 11. *ad Arnoldum Cathinum* quòd doctrina temporum non *apodixi* (ideſt evidenti probatione) *merâ, ſed majori ex parte conjecturâ nititur. Quare qui aliter exiſtimat, non magnum flagitium fecerit.*

Nos interim in cauſa præſenti de annorum ſupputatione ab Orbe condito, exiſtimamus tutius ſequi calculum, quem in ſuo Martyrologio nobis Eccleſia Romana proponit: quòd ſi in eo error eſt, noſtrum non eſt emendare, ſed ab ejus judicio corrigendum expectabimus. Quod conſilium tyroni meo amplectendum propono. Sed de hoc ſatis.

§. III.

Quo anni tempore Mundus conditus fuerit.

XX. Cùm quatuor ſint anni tempora, Vernum, Æſtivum, Autumnale, & Hyemale, de duobus ſolis dubitari ſolet, nempè de Verno, & Autumnali; nam mundum conditum fuiſſe hyemali tempore nemo hucuſque dixit: cum conditus fuerit eo tempore, quo terra germinabat, & arbores fructibus onuſtæ eſſent, quod certè rigente brumali tempore non contingit. Quòd verò in æſtivo tempore conditus fuerit, unicum Julium Gerardum Mercatorem ſenſiſſe reperio, qui in principio ſuæ cronologiæ mundum eſtivo tempore cæpiſſe menſe Julii ex eo exiſtimavit, quòd Scriptura dicat *Gen.* 8. decimâ ſeptimâ, vel decimâ octavâ Menſis undeci-

decimi columbam in arcam reverſam tuliſſe ramum virentis olivæ: ex quo colligit, menſem illum, undecimum fuiſſe menſem, quem vocamus Majum, quo ſolent oleæ folia virentia germinare. Maximè quia poſt non multum temporis ibid. ſubditur, quòd *ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, prima die menſis imminuta ſint aquæ*, quem primum menſem Julio reſpondere opinatur; eò quia, Solino teſte *cap.* 32. Ægyptii exiſtimarint, mundi exordium eo tempore incidiſſe, quo Sol ſignum Leonis ingreditur.

XXI. Sed facilè hæc exiſtimatio evaneſcit. Nam in primis conſtat, oleas non verno ſolùm, ſed toto ferè anni tempore folia habere virentia. Deinde à quo Scriptura computet illos menſes, non conſtat, videlicet, an ab initio anni ſexcenteſimi primi vitæ Noe, an ab inchoato diluvio. Quod verò Solinus dicat, Sacerdotes Ægyptios mundi natalem conſignaſſe menſe, quo Sol ſignum leonis ingreditur: nedum gratis dicitur, ſed ex Joſepho *lib.* 1. *Ant. Judaic. cap.* 4. Cicerone *lib.* 2. *de Nat. Deorum*, & Lactantio *lib.* 1. *Inſtit. divin. cap.* 6. conſtat Ægyptios menſem *Toyth*, noſtro Septembri reſpondentem, tanquam primum anni habuiſſe.

De verno igitur, & autumnali tempore cum majori fundamento dubitatur. Et quidem quæſtio hæc non eſt univerſaliter intelligenda de omni orbis parte; cùm fieri non poſſit, ut ubique terrarum uno eodemque anni tempore fuerit Ver, aut Autumnus, aut Eſtas, aut Hyems: ſed de illa orbis regione, vel in qua fuit Paradiſus Terreſtris, vel in qua plaſmatus fuit Adam, aut quam Adam pulſus è Paradiſo primùm incoluit.

XXII. Mundum conditum fuiſſe autumnali tempore cenſent Recentiores plures. Inter quos noſter Natalis Alexandre *hiſt. vet. teſt. diſſert.* 1. *art.* 8. *propoſit.* 2. Hi ergo ſequentibus rationibus moventur.

Prima. Valdè rationi conſentaneum videtur, mundum fuiſſe creatum initio menſis illius, à quo annum antiquiſſimæ gentes inchoabant, plagæ præſertim orientalis, in qua priſci illi primæ, ac ſecundæ mundi ætatis homines primùm habitaſſe creduntur: Atqui conſtare videtur, primum anni menſem apud omnes Orientales fuiſſe quem Hebræi vocant *Tyſri*, qui noſtro quandoque Septembri, quandoque Octobri reſpondere ſolet; ergo &c. Min. prob. Tùm ex Joſepho *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 4. ubi de diluvii Noetici tempeſtate ſcribit. *Contigit autem hæc vaſtitas anno ætatis Noe ſexcenteſimo, menſe ſecundo, qui* Dius *à Macedonibus vocatur, ab Hebræis* Marſonane. *Sic enim Ægyptii diſtinxerunt annum. Moſes autem Niſan, qui eſt Xantichus, menſem primum in ſuis Faſtis ordinavit, quòd per hunc Hebræos ex Ægypto eduxiſſet. Eundem etiam omnium, quæ ad rem divinam pertinerent exordium fecit. Alioquin quoad nundinationes rerum venalium, reliquamque diſpenſationem anni attinet, nihil de priſtino ritu innovavit.*

Tùm quia S. Hieronymus in *cap.* 1. *Ezech. Apud Orientales*, (inquit) *populos poſt collectionem frugum, & torcularia, quando decimæ deferebantur in Templum, October erat primus menſis.* Tùm quia Ægyptios initium anni à Septembri Menſe ducere ſolitos ſuperiùs oſtendimus ex Cicerone *lib.* 2. *de Natura Deorum*, & Lact. *lib.* 1. *divin. Inſtit. cap.* 6.

Ex his colligunt primò. Veroſimilius eſſe, eo anni tempore conditum fuiſſe mundum, à quo ante diluvium ſumebatur initium anni: hoc ſumebatur, non in vere, ſed autumno. Menſis enim ſecundus, quo *Gen.* 7. *v.* 11. *&* 12. rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ. & cataractæ Cœli apertæ ſunt, & Noè ingreſſus eſt in Arcam. Menſis item ſecundus anni ſequentis quo Noe ex arca egreſſus eſt *Gen.* 8. *v.* 14. vocatur *Marſonane* noſtro Octobri, vel Novembri correſpondens, menſes quidem, qui-

bus

bus pluviæ abundantiores eſſe ſolent. Annus igitur tunc computabatur à menſe Septembri, vel Octobri.

Secundò. Eſto Moyſes initium anni quoad ſacra, & divina ducendum juſſerit à menſe Niſan, Martio, vel Aprili reſpondente Exod. 12. v. 2. *Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni*: quoad civilia tamen, nempe nundinationes, reliquamque anni diſpenſationem nihil de priſco ritu immutavit: unde ſolemnitas Tabernaculorum, quæ poſt fruges congregatas celebrabatur, menſe ſeptimo, dicitur *Exodi 23. v. 16.* celebrari, *in exitu anni*. Quòd ſi tunc erat exitus anni, erat etiam initium anni ſequentis, quia finem unius ſtatim ſequitur initium anni ſequentis. Quare de eadem ſolemnitate: *Exod. 34. v. 22.* dicitur: *quando redeunte anni tempore cuncta conduntur*, ſaciendam eſſe.

Accedit, quòd Moyſes *Exod. 12.* cùm de menſe Martio, ſeu Aprili loquens, ait: *Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni*, per ly *erit* ſatis oſtendit, menſem illum antea non fuiſſe Judæis principium menſium. Quorſùm enim hìc conſtitueretur primus, ſi antea primus erat? Conſuetudo igitur, quam, prænarratis teſtibus, ſervabant Ægyptii, inchoandi annos ſuos ab Autumno, eò quòd crederent, hoc tempore conditum fuiſſe mundum, ex traditione ab Adamo, ejuſque Poſteris, & ad ipſos tranſlata eſſe credenda eſt.

XXIII. Secunda ratio eſt. Nam credibile eſt, Deum, ſicut Adamum formavit non puerum, ſed in ætate virili, & perfecta; ita & arbores, non cum ſolis foliis, & floribus, ſed etiam cum fructibus condidiſſe: atqui arborum fructus non matureſcunt in Vere, ſed in Autumno, niſi ad miraculum confugiamus, quod in prima mundi conditione, non accidiſſe credere debemus, in qua Deus ſecundùm rerum naturam omnia operatus eſt; ergo &c. Hæc ſunt momenta, quibus Recentiores adducuntur, ut exiſtiment, autumnali potiùs, quàm verno tempore mundum creatum fuiſſe.

XXIV. Hiſce tamen nolim, ut Candidatus meus ſtatim det manus victas: contraria namque ſententia, quæ pro verno tempore militat, non ſolùm numero (ut putat Natalis Alexandre) ſed auctoritate Doctorum, & pondere rationum, ne dicam probabilior, æquè ſaltem probabilis eſt. Eam enim tenuerunt Cyrillus Hieroſolymitanus Cathecheſi 14. Baſilius in Hexameron. Nazianzenus, Ambroſius, S. Leo Papa, Theodoretus, aliique, quorum teſtimonia aliqua referemus.

Potiſſimum fundamentum eſt: quia admodum credibile eſt, eodem anni tempore formatos fuiſſe primum Adam, & ſecundum, hoc eſt, Chriſtum; eodemque tempore mundum fuiſse reparatum, quo fuit conditus, ſicut genus humanum eodem tempore fuit à ſervitute Diaboli per Chriſtum ereptum, quo per Moyſen à ſervitute Pharaonis fuerat populus Iſraeliticus liberatus: Conſtat autem, Chriſtum verno tempore fuiſse conceptum, & verno tempore mundum ſua morte reparaſse.

XXV. Scio contrariæ ſententiæ Patronos flocci facere hoc ratiocinium: inquiunt enim. Quòd Deus eo tempore, quo voluit, & ab æterno prædefinivit, miſit Filium ſuum. Verno tempore conceptus, verno tempore etiam paſsus eſt, non quòd mundus eo tempore conditus ſit, ſed quòd Judaicum Paſcha, quod conſummaturus advenerat, & liberaturus homines à Diaboli ſervitute, eo tempore celebraretur.

XXVI. Flocci tamen hanc coniecturam non fecit S. Cyrillus Hieroſolym. *Catecheſi* 14. citatâ, quæ eſt *de Chriſti Reſurrectione*: ait enim: *Quo tempore exſurgit Salvator? Nunquid æſtatis tempore, vel alio? In eiſdem canticis ante ea, quæ modò recitata ſunt, dicit*: Hyems tranſiit, imber tranſiit ſibi, & abiit;

Digitized by Google

abiit; flores viſi ſunt in terra, tempus putationis advenit. *Nonne nunc floribus plena tellus eſt, & putantur vineæ?.. Hoc autem tempus eſt primi Hebræorum menſis, in quo celebratur feſtivitas Paſcha, typici quidem &, figurativi priùs, nunc autem veri. Hoc creationis mundi tempus. Tunc enim dixit Deus:* Producat terra herbam fœni, germinantem ſemen juxta genus, & juxta ſimilitudinem. *Et nunc, ut vides, jam omnis herba germinat. Et quemadmodum tunc Deus, cùm Solem, & Lunam fecit, æqualium illis dierum, ac noctium curſus impertivit: ſic & paucis ante diebus æquinoctii tempus erat. Tunc dicit Deus:* faciamus hominem ad imaginem noſtram, & ſimilitudinem. *Et illud quidem*, ad imaginem, *accepit: hoc verò*, ad ſimilitudinem, *per inobedientiam obſcuravit, & infuſcavit. Eâdem igitur temporis circumſtantiâ, quâ hoc amiſit, in eadem rurſus contigit reparatio. Quando homo creatus, propter inobedientiam ejectus eſt de Paradiſo, eodem tempore is, qui condidit, per obedientiam introductus eſt. Tunc igitur facta ſalus eſt, quando & lapſus, cùm &* flores viſi, & putationis tempus advenit.

In hanc eandem ivit ſententiam S. Leo *ſerm. 9. de Paſſ. Domini* dicens: *nunc ad prænunciatum feſtis omnibus Feſtum, ſacer novorum menſis enituit; ut in quo accepit mundus exordium, in eodem haberet Chriſtiana creatura principium.*

XXVII. Hanc conjecturam non judicavit infirmam S. Ambroſius *lib. 1. Hexameron cap. 4.* loquens enim de primo menſe, quo Paſcha celebrabatur, de quo dictum eſt Exod. 12. v. 2. *Menſis hic initium menſium eſt vobis*, ait, *In hoc ergo principio menſium Cœlum & Terram fecit, quòd inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies. Unde & annus mundi imaginem naſcentis expreſſit, ut poſt hybernas glacies, atque hyemales caligines ſerenior ſolito verni temporis ſplendor eluceat. Dedit ergo formam futuris annorum curriculis mundi primus exortus, ut eâ lege annorum vices ſurgerent, atque initio cujuſque anni produceret terra nova ſeminum germina, quo primùm Dominus Deus dixerat* Germinet terra herbam fœni..... *Et ſtatim produxit terra herbam fœni, & lignum fructiferum..... ergo ut oſtenderet Scriptura veris tempora in conſtitutione mundi, ait:* menſis hic vobis initium menſium, primus eſt vobis in menſibus anni. *Primum menſem vernum tempus appellans. Decebat enim principium anni principium eſſe generationis, & ipſam generationem mollioribus auris foveri.... ſimul illud advertere licet, quia jure concurrit, ut eo tempore videatur in hanc generationem, & in hos uſus ingreſſus tributus, quo tempore ex hac generatione in regenerationem legitimus eſt tranſitus. Si quidem verno tempore Filii Iſrael Ægyptum reliquerunt, & per mare tranſierunt.... Et eo tempore Domini quot annis Jeſu Chriſti Paſcha celebratur, hoc eſt animarum tranſitus à vitiis ad virtutem,... regeneratis itaque dicitur:* menſis hic vobis initium menſium, primus eſt vobis in menſibus anni. &c.

Ex Verbis Cyrilli, & Ambroſii relatis exurgit altera ratio. Eo enim tempore credibilius videtur conditum fuiſſe mundum, quo terra aptior eſt ad germinandum herbas, agrique concepta ſemina edere ſolent: ait enim Deus: *germinet terra herbam virentem*, ſeu *herbam fœni*: atqui tempus vernum eſt germinationi, & ortui frugum aptiſſimum, ac quaſi totius Orbis viventium exordium; nam in Autumno herbæ non virent, flores non erumpunt, ſed marceſcunt potiùs, ſegetes in campis ampliùs non ſunt, ſed jam congregantur in horrea; ergo &c.

XXVIII. Non latet, reſpondere Contrarios, non ſolùm herbas, ſed ſegetes, maturas fuiſſe, & arbores onuſtas Pomis, ac fructibus in mundi exordio productas fuiſſe, ut legitur *Gen. 2. & 3.* quæ fructuum, ac ſegetum maturitas verno tempori non convenit,

Digitized by Google

nit, ſed autumnali potiùs, niſi miraculum confingamus. Sed ad hæc ſtatim reſpondebimus.

XXIX. Interim noſtram opinionem confirmabimus auctoritate Theodoreti, qui (*qu. 72. in Exodum*) Deum juſſiſſe, ait, erigi Tabernaculum prima die primi menſis, quòd eo tempore creaturas condiderit, cujus rei fidem facit arborum germinatio: *Nam* (inquit) *ineunte vere prata florent, & ſegetes fluctuant, & fructum arbores emittunt*. D. Jo. Damaſcenus *lib. 2. de fide cap. 7.* loquens de quatuor anni tempeſtatibus, quas Sol conſtituit, ait, *Quarum prima verna eſt, quâ nimirùm Deus condidit univerſa: idque declarant etiamnum flores vere pullulantes*. Alia Patrum teſtimonia in hoc ferè unanimiter conſpirantium, quos Torniellus, & Salianus, nec non Spondanus *annal. Sacr. Vet. Teſt.* enumerant, ne longior ſim, prætermitto.

XXX. Pretermitto quoque Aſtrologorum judicium, qui ob id Signum Arietis ponunt initium, & Caput cæterorum ſignorum Zodiaci, quòd ab eo mundum ſumſiſse exordia opinentur. Mitto quoque Poetarum hanc opinionem fuiſse, inter quos Virgilius *Georgic. 2.* dicens:

> . . . . *Ver illud erat, ver magnus agebat*
> *Orbis: & hybernis parcebant flatibus Euri,*
> *Cùm primùm lucem pecudes hauſere, virumque*
> *Ferrea progenies duris caput extulit arvis,*
> *Immiſſæque feræ ſylvis, & ſydera Cælo.*

XXXI. Nunc ad expendenda contrariæ ſententiæ fundamenta gradum faciam. Et quidem ad primum, dato, quòd Ægyptii, cæterique Orientales annum inchoarent à Menſe *Tiſri*, ſeu ab Æquinoctio autumnali, non hinc infertur, hoc eos fecisse, quia exiſtimarent, mundum eo anni tempore conditum ſuiſse, cùm aliam cauſam veroſimilem aſſignare poſſimus; quia ſcilicet talis ratio computandi erat commodior pro venditionibus, emptionibus, aliiſque contractibus civilibus. Cùm enim tunc temporis plurimùm exercerentur in Agricultura, pecorumque mercimonio; collectis in Autumno, diſtractiſque frugibus, & extracta ex eis pecuniâ, commodè tunc annuos contractus locationum, venditionum, alioſque id genus celebrabant. Hinc ab eo tempore, ſeu à menſe Septembri Iſraelitas computaſſe annum Jubilæum, in quo agri ad priſtinos Dominos, Deo ſic jubente, revertebantur, ex Levit. 25. v. 4. 9. & 11. communiùs tradunt Interpretes, ut ſcilicet, eo anno finito, novi poſseſsores ſtatim poſsent ſementem facere.

XXXII. Neque quòd Iſraelitæ egredientes ex Ægypto, ab Autumno, & ipſi annum inchoare conſueviſsent, argumento eſse poteſt, eos id feciſse, quia ab Adamo, ejuſque poſteris ita edocti eſsent. Quin potiùs veriſimile eſt, eos antequam in Ægyptum deſcenderent, à verno Æquinoctio annum computaſſe, & poſtea quàm in Ægypto fuerunt, ſequentes Ægyptiorum conſuetudinem, annos ſuos ab Æquinoctio autumnali computare cæpiſse. Quare cùm Moyſes jubente Deo dixit: *Menſis iſte vobis principium menſium: primus erit in menſibus anni*, non indicavit, ante ingreſſum Populi in Ægyptum fuiſſe aliud principium menſium, & anni, ſed voluit uſum antiquum, quem dùm eſset in Ægypto dereliquerat, novo beneficio reſtituere, & conſecrare, ac novo præcepto quoad res ſacras, & Dei cultum ſtabilire, permittens illi, ut initium anni civilis, & prophani, ut ab Ægyptiis didicerat, ab Autumno continuaret. Nec amplius eruitur ex Joſepho: quin potiùs iſtum ritum computandi annum ab Autumno Iſraelitas ab Ægyptiis accepiſſe, indicat citato loco, dùm menſem illum, qui juxta computationem à menſe Niſan, ſeu Martio, vel Aprili eſt octavus, & reſ-

Digitized by Google

& reſpondet noſtro Octobri, vel Novembri diciturque *Marſonane*, ſive (ut alii) *Marcheſvan*, vocat menſem ſecundum, & addit: *ſic enim Ægyptii diſtinxerunt annum*.

Concedo igitur, Orientales, & Iſraelitas, poſtquàm in Ægyptum deſcenderunt, annum ab Autumno ſecundùm illius gentis morem computaſſe, ob majorem in contractibus commoditatem, ut dictum eſt; non quia eo tempore conditus mundus eſſet.

XXXIII. Ad id, quod primò colligunt, dico, Joſephum quidem allato loco ita ſentire, quòd Diluvii initium Autumnali tempeſtate contigerit. Sed aliis potiùs aſſentiendum exiſtimo, qui Diluvium dicunt verno tempore incæpiſſe; ut ita Deus oſtenderet manifeſtiùs, aquas illas & imbres, non naturali curſu, ut autumnali, vel hyemali tempore contingere ſolet, accidiſſe; ſed ex ſpeciali Dei providentia, qui carnem, quæ corruperat viam ſuam, inuſitato curſu rerum punire, ac perdere decreverat, ac proinde non autumnale, ſed vernum tempus, quo non adeò frequentes, & copioſæ pluviæ ſunt, eligere voluit, ut ſcirent, non naturæ, ſed divinæ juſtitiæ id opus eſſe. Ita S. Ambroſius *lib. de Noe, & Arca cap.* 14. his verbis: *Secundum menſem verni eſſe temporis non ambigitur, quando augentur naſcentia, ager parturit, terrarum pariter, atque animantium fœtura ſe fundit*, & hoc ut homines magis dolerent, videntes ea, quæ propter illos Deus produxerat, unà cum illis interire. *Tunc ergo* (inquit) *fuit diluvium, quando dolor eorum major foret, qui in ſua abundantia puniebantur, tunc ultio terribilior &c.* Et Rupertus *lib. 4. comment. in Geneſ. cap.* 25. de Diluvii tempore differens: *Menſis* (inquit) *ſecundùm legem ipſe eſt qui apud Romanos Majus dicitur*. Et poſtea: *Menſis, qui ſeptimus fuit ab initio diluvii, ipſe eſt, qui apud Romanos November dicitur. Unde magis miranda tempeſtas illius judicii, quam non adjuvit ulla natura temporis, ſed è contra, Majo, quo menſe Sol altiùs incedit; & Cœlum naturaliter candeſcit, erupit imbrium vis: & circa tempus hyemis, ideſt, menſe Novembri jam imminutis, aquis Arca requievit.* Non deſunt, qui velint, menſem illum ſecundum, quo Noè ex Arca egreſſus dicitur, fuiſſe ſecundum anni ſexcenteſimi vitæ Noe: ſed pluribus videtur, ſermonem eſse de menſe anni tunc ab orbe condito currentis, qui erat milleſimus ſexcenteſimus quinquageſimus ſextus.

XXXIV. Ad id quod ſecundò colligunt, jam dictum eſt, Moyſen dicendo menſis iſte vobis principium menſium, novum uſum non introduxiſſe; ſed uſum antiquitùs ab Iſraelitis obſervatum antequam Ægyptum ingrederentur, revocaſſe; quamvis indulſerit, ut quoad contractus, nundinationes, ac frugum reconditionem, computum more Ægyptiaco continuarent, ob rationes ſuperiùs adductas. Dixit autem de menſe Niſan *primus erit in menſibus anni*, non tanquam de novo primum conſtituens; ſed quia cùm non amplius eſſet primus, antea tamen primus fuiſſet, voluit eum eſſe primum ſicut antea fuerat.

XXXV. Ad ſecundam rationem, cui maximè fidit contraria ſententia dico primò. Sicut apud oppoſitæ ſententiæ Patronos, ex quo arbores dicantur productæ, onuſtæ pomis, & fructibus, quod in Autumno contingit, colligunt eas in Autumno productas fuiſſe: cur, cùm & nos ex Scriptura habeamus terram germinantem herbam virentem, & facientem ſemen &c. quod propriè accidit verno tempore, non colligemus potiùs hæc Vere contigiſſe?

Dico ſecundò. Si juxta adverſarios prima terræ germinatio, & arborum Veris propria, ſi plantarum productio unà cum fructibus, quæ priùs emittere ſolent flores, deinde fructus, in autumnali tempore contingere potuit ſine miraculo; cur etiam ſine mi-

miraculo contingere non potuit, quòd arbores habentes fructus in Vere productæ ſint, quamvis ſecundùm curſum naturalem eo tempore ſolùm producant folia, & flores? Etiam homo priùs modò naſcitur infans, deinde fit puer, tandem adoleſcens; & tamen ſine miraculo in ætate viri perfecti Adam productus fuit. Igitur quòd arbores cum fructibus productæ ſint, non cogit, vel ad dicendum, quòd in Autumno hoc factum ſit, vel ad admittendum miraculum, ſi in Vere factum dicamus; ſed potius ad aſſerendum, quòd naturalis ordo divinæ omnipotentiæ id poſcat, ut, quæ ab illa prodeunt, cum tota, quam habere poſſunt, perfectione prodeant.

XXXVI. Dico tertiò communiter. Supponendo, quòd ea, quæ narrantur in Sacra Scriptura, referantur ad Regionem, vel in qua fuit conditus, vel ad quam fuit translatus Adam, nempè Paradiſum, vel ad quam poſt peccatum ejectus fuit, quam in Palæſtina, vel circa, fuiſſe exiſtimant Eruditi. In hac ergo Regione, ſicut & in Regionibus calidioribus, non eſt mirum, quòd fructus arborum maturi ſint tempore veris. In Paleſtina enim ſub finem Martii hordeum matureſcere manifeſtum eſt, tum ex *Levit.* 23. ubi ſecundo die Azymorum jubebantur Iſraelitæ afferre manipulum ſpicarum. Tùm ex Joſue 3. *v.* 15. ubi dicitur, quòd cum Iſraelitæ tranſierunt Jordanem, erat tempus meſſis: *Jordanis autem ripas alvei ſui tempore meſſis impleverat*. Eos autem menſe primo tranſiſſe conſtat ex cap. 4. v. 19. *Populus autem aſcendit de Jordane decimo die menſis primi*. Accedit, quod *cap.* 5. *verſ.* 10. habetur populum celebraſſe Paſcha, ſeu Phaſe ſtatim ac Jordanem tranſiit. Et verſ. 11. dicitur, quòd *comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentam ejuſdem anni*. Unde Exodi 13. *v.* 4. menſis primus, in quo Iſraelitæ egreſſi ſunt ex Ægypto vocatur menſis novarum frugum: *Hodie egredimini menſe novarum frugum*. Et cap. 23. v. 15. *Menſis novorum*.

XXXVII. Nec obſtat, quòd Joann. 18. v. 18. dicitur, quòd tempore Paſſionis Chriſti: *Stabant ſervi & miniſtri ad prunas, quia frigus erat*, & v. 25. *Erat autem Simon Petrus ſtans & calefaciens ſe*. Chriſtum autem circa finem Martii paſſum fuiſſe conſtat. Non obſtat, inquam, frigus enim erat, non die, ſed nocte, quo tempore iſta narrantur. Conſtat autem in locis æquinoctialibus, noctes etiam æſtivo tempore eſse frigidiores, quàm alibi, ſicut etiam longiores: cujus rei, ait Natalis Alexandre in hunc locum, fidem faciunt, qui illuc peregrinati ſunt.

XXXVIII. Omnibus præfatis addo. Non eſſe exiſtimandum, quòd omnes omnino, & ubique arbores fuerint initio mundi productæ cum fructibus maturis, ſed eas ſolum, quæ tempore Veris matureſcere ſolent, non verò eas, quæ ſolùm tempore autumnali fructus maturos exhibent. Et in quibuſdam tantum locis, in quibus aeris, & Regionis temperies facit, ut vernum tempus ſit idoneum maturitati fructuum, qualis erat tractus ille terræ, in quo erat Paradiſus, & in quo Adam mox ejiciendus cum filiis erat habitaturus. In aliquibus autem aliis Regionibus arbores productæ fuerunt cum fructibus ſolùm maturitati propinquis. In aliis cum floribus, ac rursùm in aliis cum foliis dumtaxat, pro natura ſcilicet, qualitate, & conditione, tùm arborum, tùm Regionum. Veriſimile enim eſt, Deum ab initio produxiſſe arbores connaturaliter, ſeu conſentaneè naturis ipſarum, & Regionibus locorum, ut nimirùm, quæ aptæ ſunt habere fructus maturos in Vere, eos haberent, quæ ſolùm matureſcentes, vel quæ flores ſolùm ac folia, ſimiliter ea haberent. Nam alioquin, ſicut ſi produxiſſet in Vere arbores cum fructibus, quos habituri

 erant

Digitized by Google

erant in Autumno, id non eſſet abſque miraculo, ut Adverſarii dicunt; ita ſi in Autumno produxiſſet eas cum fructibus, quos habituri fuiſſent in Vere, cur ſine miraculo factum fuiſſet?

Utramque opinionem expoſui. Hanc poſtremam, ut probabiliorem elegi, quia, in his, quæ certa non ſunt, Antiquitati multum deferendum exiſtimo. Cæterùm quiſque pro ſuo libito alterutram poterit amplecti; pro utraque enim fundamenta non deſunt.

QUÆSTIO III.

De Opere ſex dierum.

QUamvis quæſtio hæc ad Sacræ Scripturæ Interpretes pertineat potiùs quàm ad Theologos: quia tamen ad plenè de rerum creatione meum Candidatum imbuendum utilem eſſe exiſtimo, & Divus Thomas in hac 1. par. eam pertractat; ideò Angelici Magiſtri viam premens, eam, breviter quidem, tractare decrevi. Eſto autem Angelicus idem S. Doctor, eam poſt tractatum de Angelis diſtulerit, præmittendam tamen exiſtimavi, utpotè pertinentem ad Deum Creatorem in generali. Vocatur autem *De opere ſex dierum*, quia, ut Moyſes tradit, opus creationis Univerſi ſex diebus perfectum eſt.

DUBIUM I.

An omnes dies, quibus mundi creatio, & ornatus deſcribitur, ſint unus Dies?

§. I.

S. Auguſtini Opinio.

I. SErmo eſt de ſeptem illis, quorum ſex prioribus narratur à Moyſe Deum feciſſe Cœlum & terram, & omnem ornatum eorum, ſeptimo autem die ab omni opere, quod patraverat requieviſſe; an ſcilicet iſti dies ſint dies naturales, an verò dies ſolùm intelligibiles, ita ut una dies, ſeu potiùs unum temporis inſtans reverà ſint.

Mundum ſex reverà dierum naturalium ſpatio conditum non fuiſſe, ſed momento eodem omnia creata, quæ tamen in ſenarium partita numerum, non tam productionis, quàm naturæ ordine à Moyſe referuntur, cenſuit Philo Judæus *lib. de mundi opificio*, & *lib. 1. Allegoriar.* ubi non procul ab initio, *cum audis* (inquit) *complevit ſexto die opera, intelligere non debes de diebus aliquot, ſed de ſenario perfecto numero*. Eidem ſententiæ Origenes ſubſcribit *lib. 6. contrà Celſum*. Et in eandem propendit Procopius *Comment. in Genes.*

Ei majus addidit pondus auctoritate ſuâ S. Auguſtinus, qui ſex illos dies diſtinguit, quia cognitio Angelica rebus à Deo conditis fuit ſexiès præſentata, ſecundùm ſex genera rerum, quæ à Moyſe creata recenſentur; quare illi dies numerum, & ordinem rerum à Deo conditarum, & Angelicæ cognitionis deſignant, non ordinem productionis. Ut autem hiſce ſex diebus veſpere, & mane adſignet, diſtinguit in Angelis duplicem cognitionem: unam, quâ cognoverunt res in ſuis naturis, & hanc, quia minùs claram, intelligit nomine *Veſpere*, & vocat veſpertinam: alteram, quâ eaſdem res cognoverunt in Verbo, & hanc, quia clariorem, intelligit nomine *Mane*, & appellat matutinam. Hoc modo prima Dies eſt cognitio primi operis, ſive in ſe, ſive in Verbo. Secunda Dies eſt cognitio ſecundi operis, & ſic de aliis: unde omnia, quæ ſex diebus facta leguntur, juxta S. Auguſtinum, non ſucceſſivè per diverſa temporum intervalla, ſed ſimul ab initio temporis facta ſunt, & ſexies menti Angelicæ præſentata.

II. Hanc mentem ſuam expreſſit S. Doctor, tùm *lib. de Geneſi ad litter. imperfecto cap. 7.* tùm *lib. 4. de Geneſ.* ad

ad litter. cap. 22. ubi nomine lucis, non corporalem, ſed ſpiritualem, nempe mentem Angelicam, intelligens, quæ (inquit) *ſicut poſt tenebras facta eſt, ubi intelligitur à ſua quadam informitate ad Creatorem converſa, atque formata; ita & poſt veſperam fiat mane, cùm poſt cognitionem ſuæ propriæ naturæ, quâ non eſt quod Deus, refert ſe ad laudandam lucem, quod ipſe Deus eſt, cujus contemplatione formatur.* Et *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 29. matutinam illam, & veſpertinam Angelorum cognitionem explicans, poſtquam oſtendit, meliùs res cognoſci in Deo, quàm in ſe ipſis, & utroque modo Angelos, eas cognoviſſe, concludit: *Hac autem propter ſenarii numeri perfectionem eodem die ſexies repetito, ſex diebus perfectæ narrantur.*

III. Singularis tamen eſt hæc S. Auguſtini ſententia. Omnes enim penè Patres, qui ante S. Auguſtinum floruerunt, & qui poſt ipſum, ſex diebus naturalibus mundum fuiſſe conditum aſſeruerunt; ut vel ipſe S. Gregorius Magnus *lib.* 32. *Moral. cap.* 10. & Beda *in Hexameron*, aliàs S. Auguſtino addictiſſimi, ipſum hac in parte relinquant, & uno excepto Cajetano, apud Recentiores Interpretes vix invenies, qui S. Auguſtini ſententiam in hoc ſuſcipiat.

IV. S. Thomas verò eâ, quâ S. Auguſtinum Magiſtrum ſuum veneratione proſequitur, anceps hærere videtur. Ejus opinionem, nec rejiciens, nec probans, tùm hâc 1. *par. qu.* 74. *art.* 2. tùm *in* 2. *diſt.* 12. *qu.* 1. *art.* 3. utrumque problematicè tuetur. Unde loco ex 1. par. citato ait. *Ut igitur neutri ſententiæ præjudicetur, utriuſque rationibus reſpondendum eſt.* Et qu. 4. de pot. art. 2. *Harum* (inquit) *expoſitionum prima S. Auguſtini eſt ſubtilior, magis ab irriſione Infidelium ſcripturam defendens: ſecunda verò, ſcilicet aliorum Sanctorum eſt planior, & magis verbis litteræ quantum ad ſuperficiem conſona. Quia tamen neutra earum à veritate fidei diſcordat, & utrumque ſenſum circumſtantia litteræ patitur; Ideò, ut neutri harum expoſitionum præjudicetur, utramque opinionem ſuſtinentes, utriuſque rationibus reſpondendum eſt.* En quanti faciat S. Thomas Auguſtinum, ut quamvis contra mentem aliorum Sanctorum loquatur, eum tamen prorsùs deſerere non audeat. Nos ergo idem præſtabimus. Statuemus quidem ſententiam communem, Sancto tamen Auguſtino ejuſque opinioni debitâ reverentiâ ſervatâ.

§. II.

Aſſertio communis.

V. DIco. Videtur conformius litteræ Sacræ Scripturæ, quòd dies creationis rerum fuerint veri, & naturales dies importantes, non ſolùm naturæ ordinem, ſed etiam ordinem temporis, & durationis. Probo primò ex regula ejuſdem S. Auguſtini *lib.* 8. *de Geneſ. ad litt. cap.* 7. nimirùm, quòd Scriptura figuratè ſumi non debet, cùm nulla ad id neceſſitas cogit: *Cùm primitùs* (inquit) *propriè res ipſas intelligere ratio nulla prohibeat, cur non potiùs auctoritatem Scripturæ ſimpliciter ſequimur in narratione rerum geſtarum, res verè geſtas priùs intelligentes, tùm demum quidquid aliud ſignificant, perſcrutantes?* ex qua regula concludit ibi, ea, quæ de quatuor fluviis egredientibus de Paradiſo, & de Paradiſo ipſo dicuntur, non figuratè, ſed propriè accipienda eſſe: atqui nulla neceſſitas nos cogit, ut ſex illos dies conditionis mundi figuratè accipiamus, & non propriè: Neque etiam iis propriè acceptis ullum ſequitur indecens, ad quod vitandum, recurri debeat ad ſenſum figuratum ut docet ipſe *lib.* 3. *de Doctrina Chriſt. cap.* 10. non enim ſequitur aliquid repugnans, vel dogmatibus fidei, vel morum honeſtati; ergo dies illi in ſenſu litterali, non figurato accipiendi ſunt. Minor probabitur, dùm argumentis pro ſententia Auguſtini fiet ſatis.

VI.

VI. Hæc videns S. Auguſtinus, opinionem ſuam opinando potiùs, & diſputando, quàm aſſerendo expoſuit, cuique permittens, ſi veriorem invenerit, eam amplectendi, idem & ipſe facturus. Ita proteſtatur lib. 4. de Geneſ. ad litt. cap. 28. his verbis: *Quiſquis ergo non eam, quam pro noſtro modulo, vel indagare, vel putare potuimus, ſed aliam requirit in illorum dierum enumeratione ſententiam, quæ non in prophetica figuratè, ſed in hac creaturarum conditione propriè, meliùſque poſſit intelligi, quærat, & divinitùs adjutus inveniat. Fieri enim poteſt, ut etiam ego aliam, his divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortaſſis inveniam. Neque enim ita hanc confirmo, ut aliam, quæ præponenda ſit, inveniri non poſſe contendam &c.* Quod apertiùs proteſtatus eſt *lib. 1. retract. cap. 24.* ubi expendens ea, quæ in libris de Geneſi ad litteram ſcripſerat ait: *In quo opere plura quæſita, quàm inventa ſunt, & eorum, quæ inventa ſunt, pauciora firmata.* Imò alteram ſe admiſiſſe ſententiam indicavit lib. de Catechizandis rudibus cap. 17. dùm ait: *De qua requie ſignificat Scriptura, & non tacet, quòd ab initio mundi, ex quo fecit Deus Cœlum & terram, & omnia, quæ in eis ſunt, ſex diebus operatus eſt, & ſeptimo die requievit. Poterat enim Omnipotens, & uno momento temporis omnia facere.*

VII. Igitur cùm S. Auguſtinus id nobis permittat ex verbis ab ipſo allatis; probo ſecundò. Præceptum de obſervatione Sabbati Judæis à Deo datum hâc ratione nixum Moyſes ſignificat, quòd ſicut Deus mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, ſex diebus operatus eſt, ſeptimo autem die requievit ab omni opere; ita Judæi ſex diebus operari poſſent, die autem ſeptimo ab omni opere ſervili, & labore feriari deberent. Ita Exod. 20. v. 9. 10. & 11. *ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo . . . Sex enim diebus fecit Dominus Cœlum, & Terram, & Mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit die ſeptimo &c.* quod repetitur *cap. 31. v. 14. & 15.* atqui hæc ratio nullius ponderis eſſet, ſi Deus uno momento omnia creaſſet, & ineptè Moyſes in exemplum afferret Populo, quòd, ſicut Deus ſex diebus fuit operatus, & ſeptimo ab omni opere ceſſavit; ſic & ipſe ſex diebus operari permitteretur, ſed ſeptimo deberet ab opere ceſſare; ergo &c.

VIII. Tertiò id evincit illorum ſex dierum adeò accurata deſcriptio, quâ Moyſes ſingulorum ſpatia enumerat, & quid in ſingulis factum ſit, oſtendit, alia ex aliis producta refert, ut ex aqua piſces, & aves, e terra ſtirpes, & plantas, animalia, & tandem hominem ex limo terræ formatum. Si autem omnia una die, imò uno momento eſſent facta, videretur inutilis tàm exacta deſcriptio, obſcurans omnipotentiam Dei, eam proponens, ut ſucceſſu temporis facientem, quæ uno momento fecit, & rursùs falſa, utpote exprimens unam rem ex alia factam, cùm omnia facta eſſent ex nihilo.

IX. Quartò. Tenebræ *Gen. 1. v. 2.* leguntur fuiſſe in mundo, priùs quàm fieret lux. *Geneſ. 2. v. 5.* dicitur quod *fecit Deus omne virgultum agri* (ſcilicet in ſemine) *antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priùs quàm germinaret* (ex vi ſcilicet alicujus virtutis in terra productæ) & tandem, quòd *homo non erat, qui operaretur terram:* atqui hæc non verificarentur, ſi homo, herbæ, virgulta ſimul producta fuiſſent; ergo &c.

X. Quintò. Incredibile eſt, Moyſem populo ſimplici, ac rudi deſcribere voluiſſe mundi opificium ſumendo nomine dierum cognitiones Angelorum matutinas, & veſpertinas, vix Theologis ipſis ſubtilioribus exploratas, cùm ob ejus ruditatem, à deſcribenda Angelorum creatione abſtinuerit.

XI.

Digitized by Google

XI. Denique ſententia S. Auguſt. inexplicabiles involvere videtur difficultates. Nempè, quomodo uno, eodemque momento lux creata fuerit, & à tenebris diviſa, ideſt Angeli creati, boni in gratia confirmati à malis diſcreti, & glorificati. Quomodo rerum omnium cognitionem eodem, quo creati ſunt, momento in Verbo habuerint, cùm in beatitudine creati non fuerint, ſed eam Deo adhærentes promeriti ſint. Quomodo tandem homo uno momento extra Paradiſum formatus, in Paradiſum introductus, ſopore correptus, & mulier ex dormientis coſta extracta fuerit.

§. III.

Fundamenta contraria.

XII. Pro contraria ſententia afferri ſolet. Primo Scriptura, quæ *Gen.* 2. *v.* 4. unâ die omnia creata fuiſſe pronunciat. *Iſta ſunt generationes Cœli, & terræ in die, quo fecit Dominus Deus Cœlum, & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra.* Eccleſiaſticus 18. v. 1. Omnia ſimul creata dicit. *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul.* Job. 40. v. 10. Behemoth, ideſt Diabolus, dicitur factus ſimul cum homine, qui ſexta die factus eſt. *Ecce Behemoth, quem feci tecum ... Ipſe principium viarum Dei*; ergo ſexta dies, quâ factus eſt homo, & prima, quâ factus eſt Diabolus, ſunt una dies. Tandem *Deuteronomii* 32. *v.* 4. dicitur *Dei perfecta ſunt opera*; ergo omnia ſtatim perfecta producta fuere.

XIII. Ad ſingula tamen reſpondetur. Ad locum ex Geneſi, reſpondeo primò cum D. Thoma qu. 4. de pot. art. 2. ad 1. & 1. par. qu. 74. art. 2. ad 1. Quod *in die, in quo creavit Deus Cœlum, & terram, creavit etiam omne virgultum agri non in actu, ſed antequam oriretur ſuper terram, ideſt potentialiter*, quod poſtea tertia die fuit in actuali exiſtentia productum. Quod ſi tantùm velit S. Auguſtinus, ab eo non diſcordamus.

Reſpondent alii communiter. Illud *in die* idem eſſe ac *in tempore*, ſive *in diebus*. Scripturæ enim phraſi diei nomen pro tempore non ſemel uſurpatur. Unde ipſe S. Auguſtinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 1. *Scripturarum* (inquit) *more ſanctarum diem poni ſolere pro tempore, nemo, qui illas Litteras quàmlibet negligenter legerit, neſcit.*

XIV. Ad locum ex Eccleſiaſtico reſpondet D. Tho. 1. par. qu. 74. art. 2. ad 2. Quòd *Deus creavit omnia ſimul quantum ad rerum ſubſtantiam quodammodo informem: ſed quantùm ad formationem, quæ facta eſt per diſtinctionem, & ornatum, non ſimul. Unde ſignanter utitur nomine creationis.* Ita exponit quoque S. Gregorius lib. 32. moral. cap. 9. nunc 12. *Quærendum eſt* (inquit) *quomodo Deus cuncta ſimul condidit, dùm Moyſes ſex dierum mutatione variante diſtinctè creata deſcribat ... rerum quippe ſubſtantia ſimul creata eſt, ſed ſimul ſpecies formata non eſt: & quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſpeciem formæ. Cùm enim ſimul factum Cœlum, terraque deſcribitur, ſimul ſpiritualia, atque corporalia, ſimul quidquid de Cœlo oritur, ſimul factum quidquid de terra producitur, indicatur*, & poſt aliqua. *Hinc eſt, quod Moyſes diſtinctè per dies ſingulos omnia retulit, & tamen ſimul omnia creata ſubjunxit.* Iſtæ ſunt generationes Cœli, & terræ, quando creatæ ſunt in die, quo fecit Dominus Cœlum, & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis. *Qui enim diverſis diebus creatum Cœlum, & terram, virgultum, herbamque narraverat, nunc uno die factà manifeſtat: ut liquidò oſtenderet, quòd creatura omnis ſimul per ſubſtantiam extitit, quamvis non ſimul per ſpeciem proceſſit.*

XV. Ad locum ex Job. ſi nomine Behe-

Behemoth intelligatur Diabolus, reſpondet S. Gregorius laudato loco. *In cuncta creatura homo, & Angelus ſimul conditus extitit, qui ab omni creatura irrationali diſtinctus proceſſit. Quia ergo in cuncta conditione rerum nullum rationale animal, niſi Angelus, & homo eſt, quidquid ratione uti non poteſt, cum homine factum non eſt. Dicatur itaque homini, dicatur de Angelo, qui etſi potentiam ſublimitatis perdidit, ſubtilitatem tamen naturæ rationalis non amiſit: Ecce Behemoth quem feci tecum.* Conjunctione ſimilitudinis, non creationis. Ita ex S. Gregorio reſpondet quoque D. Tho. *qu.* 4. *de pot. art.* 2. *ad* 2.

Si verò nomine *Behemoth* intelligatur non *Diabolus*, ſed Beſtiæ, unde lxx. Interpretes vertunt. *Verùm utique ecce beſtia apud te:* & Vatablus vertit. *Ecce quaſo te ut Elephas*, & de Elephante vertunt omnes ferè Interpretes, qui vocatur in plurali *Beſtia*, eo quòd mole, & fortitudine pluribus æquivaleat, diciturque etiam infra v. 14. *principium viarum Dei*, quia præcipuus inter animalia, quæ fecit Deus. Senſus ergo hujus textus: *Ecce Behemoth* (Beſtiæ, Elephas) *quem feci tecum*, is eſt, quem *unà*, vel *pariter* tecum feci, vel eodem die, ſexto ſcilicet; vel *tecum* in eodem ſolo, non in Mari, ut *Leviathan*, nempè *Cetum* ibid. v. 20. ut tecum habitet, tibique inſerviat. Vel *tecum*, quia animal hoc proximus eſt homini in prudentia.

XVI. Ad locum ex Deuteron. dico, Dei opera dici perfecta, ideſt irreprenſibilia, & omni vitio carentia: non hinc tamen infertur, Deum, ſtatim, ſaltem ſemper, ea producere cum tota perfectione, quam poſſunt habere, ait enim S. Auguſtinus lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 15. *Si aliquid Deus imperfectum feciſſe diceretur, quòd deinde ipſe perficeret, quid reprehenſionis haberet iſta ſententia? Jure autem diſpliceret, ſi id, quod ab illo inchoatum eſſet, ab alio diceretur eſſe perfectum.*

XVII. Secundò objici poteſt. De creatione mundi loqui debemus modo magis congruo divinæ virtuti: ſed modus magis congruus divinæ virtuti, quæ infinita eſt, videtur ut ſubitò, & in inſtanti operetur, quàm unum operetur unâ die, alia alio die, & ſic ferè integrâ die ab opere vacare, dùm poſt operatum unum, deberet expectare diem ſequentem, ut operaretur alia. Hæc autem omnia quis non videt divinam virtutem nimiùm deprimere?

XVIII. Reſpondeo tamen cum D. Thoma *qu.* 4. *de pot. art.* 2. *ad* 5. Primò negando min. Cùm enim Deus ſit cauſa agens, non per naturam, ſed per voluntatem, non agit quantum poteſt, ſed quantum vult, & ſuo conſilio judicat expedire. Sicut ergo ad oſtendendùm, quòd creatura non habet eſſe ex ſe, ſed à Deo, voluit ut priùs non eſſet, & poſtea eſſet, & quando illi placuit, ut eſſet: *ita ad oſtendendum, quòd creatura ſuam perfectionem non haberet ex ſe, voluit, ut priùs eſſet imperfecta, & poſtea ſucceſſivè per opus diſtinctionis, & ornatus* (pro ut illi placuit) *perficeretur*. Ita quoque reſpondet in 2. *ſent. diſt.* 13. *art.* 4. *ad* 1. ubi hâc ratione oſtendit, congruum fuiſſe, ut tenebræ in aere præcederent lucem: quia *decens eſt, ut ab imperfectione ad perfectum divina opera adducerentur, ut ſic ab ipſo omnis perfectio eſſe oſtenderetur*. Ita antea reſponderat S. Ambroſius lib. 1. Hexaemeron cap. 7. *cur enim* (inquit) *Deus, ſicut dixit, & facta ſunt, non ſimul ornatus congruos rebus aſſurgentibus donavit elementis, quaſi non potuerit Cœlum inſignitum Stellis ſubitò ut creatum eſt refulgere, & floribus, ac fructibus terra veſtiri? Potuit utique. Sed ideò primò facta, poſtea compoſita declarantur, ne verè increata, & ſine principio crederentur, ſi ſpecies rerum velut ingenerata ab initio, non poſtea addita viderentur. Incompoſita terra legitur, & iiſdem à Philoſophis æternitatis, quibus Deus, privilegiis honoratur.*

Digitized by Google

tur. Quid dicerent, ſi ab initio ejus pulchritudo vernaſſet? Demerſa aquis deſcribitur ... & adhuc à nonnullis facta non creditur. Quid ſi decorem primogenitum vindicaret? Hæc Ambroſius.

XIX. Reſpondeo ſecundò cum eodem S. Thoma qu. 4. de potentia ar. 2. ad 5. citatum. Dicendum eſſe, *quòd in creatione rerum, non ſolùm debet oſtendi potentia virtus: ſed & divina Sapientia ordo: ut quæ priùs naturâ ſunt, priùs etiam inſtituerentur: & ſic non eſt ex impotentia Dei, quaſi indigentis tempore ad operandum, quòd omnia non ſint ſimul producta, & diſtincta, & ornata; ſed ut ordo ſapientia ſervaretur in rerum inſtitutione: & ideò oportuit, ut diverſis ſtatibus mundi diverſi dies deſervirent. Poſt opus enim creationis ſemper per ſequens opus novus perfectionis ſtatus mundo eſt additus: ideò ad hunc ſtatus perfectionem, & novitatem oſtendendam, voluit Deus, ut unicuique rerum diſtinctioni, & ornatui dies unus reſponderet: & non ex aliqua impotentia, vel laſſitudine agentis.* Ita quoque reſpondet hâc 1. *par. qu.* 74. *art.* 2. *ad* 4.

XX. Neque imaginandum eſt, quòd toto ſex dierum creationis, & ornatus mundi ſpatio, ita res produxerit, ut unum integrum diem impenderet ſucceſſivè producendo, vel ornando res illis diebus correſpondentes, ut homines facere ſolent; ſed potiùs exiſtimandum eſt, quòd uniuſcujuſque diei opus unico inſtanti perfecerit, quod indicant illa verba ſingulis diebus prolata, *Dixit: & factum eſt ita.* Neque ſequitur, Deum reliqua illius diei parte otioſum fuiſſe, ſicut non eſt nunc otioſus, quamvis nullas novas rerum ſpecies producat, quia conſervat, & gubernat eas, quas fecit; nec tota æternitate otioſus fuit, quamvis ab æterno nullam creaverit. Addo, hoc etiam reſpondendum eſſe in contraria ſententia. Si enim Deus uno die, imò uno momento omnia creavit, diſtinxit, ornavit; ergo cùm poſt illum diem, ſeu poſt illud inſtans nihil novi fecerit, neque nunc faciat, erit dicendus otioſus.

XXI. Tertiò objici poteſt. Si dies illi ponantur eſſe dies naturales, non videtur, poſſe explicari, quomodo tribus primis diebus dies diſtingueretur à nocte, lux à tenebris. Primò. Nam ſi lux illa, quæ legitur primo die facta undique terram circuibat, nuſquam tenebræ erant, quæ fiunt ex umbra terræ oppoſitæ ad lumen, quod diem cauſat. Et ſic quomodo verificabitur, quòd Deus diviſit lucem à tenebris, quòd lucem appellavit diem, & tenebras noctem? ſi verò lux illa ſuo motu terram circuibat, ut diem, & noctem faceret, tunc ſemper ex una parte erat dies, & ex alia nox; & ita non totaliter erat nox à die diſtincta.

Secundò. Diſtinctio diei, & noctis fit per Solem, & alia Cœli luminaria: ſed Sol, & luminaria facta fuerunt quartâ die, ut dividant diem, ac noctem; ergo cùm effectus cauſam non præcedat, non potuit illis primis tribus diebus eſſe diſtinctio diei, ac noctis.

Hæ rationes, quas proponit S. Thomas laudatâ qu. 4. de potentia art. 2. & ſextum, & ſeptimum argumentum ejus ſunt, inducebant S. Auguſtinum ad opinandum, illos dies non fuiſſe dies veros, & naturales. Quare lib. 4. de Geneſ. ad litt. cap. 22. dicebat: *lux corporalis antequam fieret Cœlum, quod Firmamentum vocatur, in quo etiam luminaria facta ſunt, quo circuitu, vel proceſſu vices diei, & noctis exhibere potuerit, non invenimus.*

XXII. Reſpondeo tamen primò cum D. Baſilio *homil.* 2. *in Hexaemeron*, tribus illis prioribus diebus, factum fuiſſe diem per effuſionem illius lucis primigeniæ, & noctem per contractionem ejuſdem. *Nunc quidem* (inquit) *de reliquo poſt Solis generationem dies eſt aer ipſe à Sole illuminatus, dùm in Hemiſphario, quod ſuper terram eſt, lucet; nox verò eſt, quæ occultante ſe Sole,*

le, intervenit telluris obſcuratio. Tunc autem non ſecundùm motum ſolarem, ſed primigeniâ illâ luce effuſâ, & rurſus contractâ, ſecundùm præfinitam à Deo menſuram, fiebat dies, & nox ſuccedebat.

Quid autem eſſet illa lux productionem Solis præcedens, dicunt aliqui, fuiſſe nubem quamdam lucidam, quæ poſtea facto Sole reſoluta fuit. Sed hoc improbat D. Thomas; quia Scriptura commemorat *inſtitutionem naturæ, quæ poſtmodum perſeverat. Unde non debet dici, quòd aliquid tunc factum fuerit, quod poſt modicum eſſe deſierit. Et ideò alii dicunt, quòd illa nubes lucida adhuc remanet; & eſt conjuncta Soli, ut ab eo diſcerni non poſſit. Sed ſecundùm hoc illa nubes ſuperflua remaneret: Nihil autem eſt vanum, & ſuperfluum in operibus Dei. Et ideò alii dicunt, quòd ex illa nube formatum eſt corpus Solis. Sed etiam hoc dici non poteſt, ſi ponatur, corpus Solis non eſſe de natura quatuor elementorum, ſed eſſe incorruptibile per naturam, quia tunc materia ejus non poteſt eſſe ſub alia forma.* Ita D. Thom. laudatus *ad* 8. & 1. par. qu. 67. art. 4. ad 2.

XXIII. Quare reſpondeo ſecundò cum eodem D. Thoma citato, & ad 6. *quòd lux illa, quæ legitur primo die facta ſecundùm Gregorium, & Dionyſium, eſt lux Solis, quæ ſimul cum ſubſtantia luminarium, quæ eſt ſubjectum ejus, fuit primâ die producta ſecundùm communem lucis naturam. Quartâ autem die attributa eſt luminaribus determinata virtus ad determinatos effectus, ſecundùm quod videmus, alios effectus habere radium Solis, & alios radium Lunæ.* In productione ergo hujus lucis ſolaris quantum ad vim illuminativam in communi factâ primâ die (pergit S. Thomas) *diſtincta eſt lux à tenebris quantùm ad tria. Primò quidem quantum ad cauſam, ſecundùm quam cauſa luminis erat in ſubſtantia Solis; cauſa verò tenebrarum in opacitate terræ. Secundò diſtincta eſt quantùm ad locum, quia in uno Emiſphærio erat lumen, & in alio tenebræ. Tertiò quantum ad tempus, quia in eodem Hemiſphærio ſecundùm unam partem temporis erat lumen, & ſecundùm aliam partem erant tenebræ. Et hoc eſt, quod dicitur lucem vocavit diem, & tenebras noctem. Sic nec lux illa undique terram complectebatur, quia in uno Hemiſphærio erat lumen, & in alio tenebræ. Nec ſemper ex una parte erat dies, & ex alia nox: ſed in eodem Hemiſphærio ſecundùm unam partem temporis erat dies, & ſecundùm aliam erat nox.* His reſpondet S. Doctor ad primam probationem & 1. *par. qu.* 67. *art.* 4. *ad* 2.

XXIV. Ad ſecundam verò reſpondet ibi ad 7. *quòd duplex eſt motus in Cœlo; unus communis toti Cœlo, qui dicitur diurnus, & facit diem, & noctem: & iſte motus videtur inſtitutus primâ die, in qua producta eſt ſubſtantia Solis & aliorum luminarium informis* (informitate tamen accidentali, non ſubſtantiali). *Alius eſt motus proprius, qui diverſificatur ſecundùm diverſa corpora Cœleſtia, ſecundùm quos motus fit diverſitas dierum ad invicem, & menſium, & annorum. Primâ die facta eſt diſtinctio communis temporis per diem, & noctem ſecundùm motum diurnum, qui eſt communis totius Cœli, qui poteſt intelligi incepiſſe primâ die. Et ideò in prima die fit mentio de ſola diſtinctione noctis, & diei, quæ fit per motum communem omnibus Cœlis. Quartâ verò die facta eſt diſtinctio ſecundùm ſpeciales diſtinctiones dierum, & temporum, ſecundùm quod una dies eſt calidior aliâ, & unum tempus alio tempore, & unus annus alio anno: quæ fit ſecundùm ſpeciales, & proprios motus ſtellarum, qui poſſunt intelligi incepiſſe quartâ die. Unde in quarta die fit mentio de diverſitate dierum, & temporum, & annorum, cùm dicitur.* Et ſint in tempora, & dies, & annos; *quæ quidem diverſitas fit per motus proprios. Et ita illi primi tres dies, qui præceſſerunt formationem luminarium fuerunt ejuſdem rationis cum diebus, qui nunc Sole aguntur, quantum ad communem diſtinctio-*

nem

nem temporis ſecundùm diem & noctem, quæ fit per motum diurnum communem toti Cœlo: ſed non quantum ad ſpeciales diſtinctiones dierum, quæ fit ſecundùm motus proprios. Quæ adeò clara ſunt, ut non egeant explicatione. Stabilito igitur, ſex dies creationis Mundi fuiſſe dies naturales; quid in ſingulis Deus operatus ſit, videamus.

DUBIUM II.

De opere primæ Diei.

§. I.

Exponitur verbum: *In principio*.

I. OPus primæ Diei ſic exponitur à Moyſe Gen. cap. 1. *In principio creavit Deus Cœlum, & Terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Dixitque Deus fiat lux: & facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quòd eſſet bona, & diviſit lucem à tenebris. Appellavitque lucem Diem, & tenebras noctem, factumque eſt veſpere, & mane, dies unus.* Verba hæc variis quæſitis breviter explicabimus.

II. Quæritur ergo primò. Quid per ly *in principio* intellexerit Moyſes?

Dico, quòd ly *in principio* aut refertur ad tempus, & ſic idem ſignificat, ac *in initio temporis*, ſeu *quando Deus cæpit in tempore operari*. Vel refertur ad numerum, & idem ſignificat, ac *ante omnia*, ſeu *primum omnium*. Vel refertur ad fundamentum, & ſic idem eſt, ac fundamentum omnium, quæ fecit, fuit creatio Cœli, & terræ. Quod totum explicatur in modo loquendi apud homines uſitato, qui, ſi de Architecto loquantur, dicere ſolent in principio, quando cæpit ædificare, ante omnia, ſeu primò fundamenta jecit; ſeu initio operis omnia fundamenta poſuit; ſeu à fundamentis opificium exorſus fuit. Ita Tertullianus *lib. contra Hermogenem cap.* 19. S. Baſilius *Homil.* 1. *in Hexaemeron*. Et S. Ambroſius lib. 1. Hexaemeron cap. 4. *Principium* (inquit) *aut ad tempus refertur, aut ad numerum, aut ad fundamentum*.

III. Hoc verbo confixit Moyſes errorem veterum Philoſophorum, qui mundum nunquam cæpiſſe, ſed ab æterno fuiſſe opinati ſunt, quos ſuperiùs *qu.* 2. *dub.* 1. confutavimus. Ita D. Tho. 1. *par. qu.* 46. *art.* 3. & ante ipſum S. Auguſtinus *lib.* 1. *contra Adverſarium Legis, & Prophetarum cap.* 2. dicens: *Ut principium ſit, ex quo eſſe cæperunt, non enim Deo coæterna ſemper fuerunt: ſed facta, initium, ex quo eſſe inciperent, acceperunt.*

IV. Sed dices, pleroſque Patres ante Cœlum, corporaque omnia conditos Angelos aſſerere, ut ex Græcis Origenes *homil.* 1. *in Geneſ.* & *homil.* 2. *in Matth.* S. Baſil. *homil* 1. *in Hexaem.* S. Gregorius Nazianz. *orat.* 38. & alii. Et ex Latinis S. Ambroſ. *lib.* 1. *in Hexaemer. cap.* 5. S. Hieron. *in cap.* 1. *Epiſt. ad. Titum*, & alii; ergo hæc verba *in principio* non ſignificant principium, nec temporis, nec numeri, nec fundamentum.

Sed ad hoc reſpondebitur, dùm, de creatione Angelorum ſequenti Tractatu ſermo erit. Interim ſcias, plures alios Patres ex Græcis, & Latinis contrarium ſentire, quod ibi oſtendemus. Argumentum autem ex Patribus ſumtum tunc ſolùm invictum robur habet, quando concorditer in idem conſpirant; quia tunc ſententia Patrum eſt ſententia Eccleſiæ, ut de Locis Theologicis docuimus. In re autem præſenti, nedùm diſcordes habemus Patres, ſed Eccleſiæ ſententia contraria eſt: nam in Concilio Lateranenſi IV. *cap. firmiter de ſumm. Trinit. & fide cath.* ſtatuit: *Deus ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam.*

V. Hoc verbum *In principio* pro eodem redditur, ac *in Filio*. Ita S. Au-

Digitized by Google

guſtinus loco nuper relato, ubi poſt laudata verba ſubjungit: *aut certè quia in principio ſibi coæterno fecit Deus Cœlum & terram, hoc eſt in Unigenito Filio. Ipſe enim eſt ſapientia, de qua dicit Apoſtolus*, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam: *& Deo, qui fecit Cœlum & terram dicitur in Pſalmo:* omnia in ſapientia feciſti. *Aut ſi de Pſalmo iſte* (contra quem ſcribebat, qui teſtimonia ex lege, & Pſalmis non admittebat) *non vult accipere; Apoſtolum audiat de Chriſto loquentem* (Coloſſ. 1. 16.) quia in ipſo condita ſunt omnia, in Cœlo, & in terra, viſibilia, & inviſibilia. Ita quoque plerique Patres interpretantur Tertullianus *lib. contra Praxeam cap.* 5. Origenes *homil.* 1. *in Geneſ.* S. Baſilius *homil.* 1. *in Hexaemer.* S. Ambroſius *lib.* 1. *Hexaemer. cap.* 4. & idem S. Auguſt. *paſſim*. Quibus ſubſcribit D. Thomas 1. *par. qu.* 46. *art.* 3. his verbis: *In principio, ideſt in Filio: ſicut enim principium effectivum appropriatur Patri propter potentiam, ita principium exemplare. appropriatur Filio propter ſapientiam: ut, ſicut dicitur Pſalm.* 103. Omnia in ſapientia feciſti, *ita intelligatur, Deum omnia feciſſe in Principio, ideſt* in Filio, *ſecundùm illud Apoſtoli ad Coloſs.* 1. In ipſo, ſcilicet Filio, condita ſunt univerſa.

VI. Neque dicas. Si hæc interpretatio admittatur, non poſſe amplius probari ex hoc textu, mundum exiſtendi initium habuiſſe, cùm tamen Moyſes hujus productionis initium indicare voluerit. Deinde dùm dicitur *in Filio* factum eſſe Cœlum, & terram, videntur ſola hæc duo, nempe Cœlum, & terram, & non alia facta fuiſſe in Filio, cùm de his ſolis dictum ſit *in principio:* cùm tamen Filius ſit exemplar omnium. Denique magis conſentaneum fuiſſet ſcribere *per principium*, cùm Filius ſit, per quem omnia facta ſunt.

Reſpondeo tamen, hæc non obſtare. Non primum; nam dùm dicitur, *In principio*, ideſt *in Filio* creavit Deus Cœlum, & terram, creandi verbo ſatis indicatur, mundum habuiſſe initium, nimirum eſſe poſt non eſſe. Non ſecundum: quia Cœli, & terræ nominibus tota rerum creatarum univerſitas ſignificatur, ut S. Auguſtinus exponit *lib.* 1. *contra Adverſ. Legis, & Prophet. cap.* 10. Non tertium: quia eadem vis eſt horum verborum *in Principio*, ideſt *in Filio*, ac *per principium*, ideſt *per Filium*, ut idem S. Doctor probat contra Manichæos *Sermone nunc* 1. *olim* 14. *de diverſis cap.* 3. à quo referendo abſtineo, ne prolixus evadam.

VII. Advertendum tamen cenſeo, quòd dùm *In principio* ponitur pro *In Filio*, non excluduntur alii ſenſus ſuperiùs recenſiti, ſed omnes tres gradatim ſimul litteraliter indicantur, ut intenti à Moyſe, & Spiritu Sancto dictante per ipſum, ut notat S. Auguſt. *lib.* 12. *Confeſ.* cap. 31. Dùm enim dixit: *In principio*, ideſt in exordio rerum conditarum, ſive ante omnia, hoc dixit, ut Judæi tanquam parvuli, & rudiores intelligerent, non Angelos, aut aliud quidpiam ante Cœlum, & terram conditum fuiſſe. Dum dixit: *In principio*, ideſt in initio temporis, voluit eos inſtruere; mundum initium habuiſſe, & non eſſe æternum, ut putaverunt Philoſophi, quos ſupra impugnavimus. Dum verò ait: *In principio*, ideſt *in Filio*, doctiores inſtruere voluit, Deum, ſeu primam rerum cauſam per conceptum Sapientiæ ſuæ, qui eſt Verbum Dei, & proinde ſummâ voluntatis libertate mundum condidiſſe contra Epicurum, & alios Philoſophos; quorum ille fortuitò atomorum concurſu, hi neceſſitate naturæ, mundum productum cenſuerunt.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Verba : *Creavit Deus Cœlum, & terram.*

VIII. HOc verbo *creavit*, ideſt non ex ſubjacente materia, ſed ex nihilo fecit, jugulatur error ſupra refutatus *qu.* 1. *dub.* 2. veterum Philoſophorum, & aliorum, quos Tertullianus lib. adverſ. Hermogenem cap. 25. *Materiarios* vocat, quorum princeps fuit Hermogenes. Videantur ea, quæ ſupra dicta ſunt.

IX. Hoc Verbo *Deus* ideſt *Deus ſolus*, non materiâ, non Angelis adjutus, configitur Simon Magus, Menander ejus diſcipulus cum cæteris relatis, & confutatis ſupra *qu.* 1. *dub.* 1. dicentibus, mundum non à Deo, ſed ab Angelis &c. conditum fuiſſe.

X. Quid *Cœli ac terræ* nominibus indicare voluerit Moyſes, antiqui Patres incertum reliquerunt. Varias expoſitiones, quæ ſuo tempore circumferebantur, affert S. Auguſt. præcipuè *lib.* 12. *Confeſſ. cap.* 17. *&* 20. nullam tamen certam. Cœli nomine creaturam ſpiritualem, Angelos nempe, terræ autem materiam primam, ex qua mundus corporalis factus eſt (de qua ibidem *cap.* 9. 12. *&* 13.) intellexiſſe aliquos dicit, nihilominus etſi poſſit eſſe verum, quòd nomine Cœli intelligantur Angeli; non tamen videtur eſſe ſenſus litteralis, & à Moyſe intentus, qui populo rudi loquebatur, ſed potiùs Myſticus.

XI. Alios propterea refert, qui dixerunt, Cœlum, & terram dici, tanquam materiam, ſeu ſemen utriuſque. Ita *lib.* 1. *de Geneſ. contra Manichæos* cap. 7. his verbis. *In principio fecit Deus Cœlum, & terram, non quia jam hoc erat, ſed quia hoc eſſe poterat ... Quemadmodum ſi ſemen arboris conſiderantes dicamus, ibi eſſe radices, & robur, & ramos, & fructus, & folia; non quia jam ſunt, ſed quia inde futura ſunt. Sic dictum eſt*, In principio fecit Deus Cœlum, & terram, *quaſi ſemen Cœli, & terræ, cùm in confuſo adhuc eſſet Cœli, & terræ materia. Sed quia certum erat, inde futurum eſſe Cœlum, & terram, jam & ipſa materia Cœlum, & terra appellata eſt.*

Hæc opinio, licèt duriuſcula, & rudi populo Judaico minùs congrua, improbabilis tamen non eſt: tùm ob auctoritatem D. Auguſtini, qui eam non reprobat: Tùm quia fundamentum habet in illo Sap. 11. v. 1. 18. *creavit Orbem terrarum ex materia inviſa*. Neque hæc interpretatio (inquit) idem S. Auguſt. lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 6. tollit, quin Deus ex nihilo omnia fecerit. *Quia etiamſi omnia formata de iſta materia facta ſunt, hæc ipſa materia tamen de omnino nihilo facta eſt*, quo excluditur error Hermogenis ſupra confutatus.

Ne tamen putes, hanc materiam informem, ſeu ſpoliatam omni forma, etiam ſubſtantiali, tempore præceſſiſſe, ſed ſolùm naturâ, & quâdam origine. Ita S. Auguſt. lib. 1. de Geneſ. ad litt. cap. 15. *non* [inquit] *quia informis materia formatis rebus tempore prior eſt, cùm ſit utrumq; ſimul concreatum, & unde factum eſt, & quod factum eſt. Sicut enim vox materia eſt verborum, verba verò formatam vocem indicant; non autem qui loquitur, priùs emittit informem vocem, quàm poſſit poſtea colligere, atque in verba formare: ita Creator Deus non priore tempore fecit informem materiam, & eam poſtea per ordinem quarumcumque naturarum, quaſi ſecundâ conſideratione formavit: formatam quippe creavit materiam. Sed quia illud, unde fit aliquid, etſi non tempore, quadam origine prius eſt, quàm illud quod inde fit: potuit dividere Scriptura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non diviſit &c.* Idem non minus dilucidè explicat *lib.* 12. *Confeſſ. cap* 29. exemplo ſoni, & cantus, dicens: *ſic eſt prior materies, quàm id quod ex ea fit: non ideò prior,*

quia

quia ipſa efficit, cùm potiùs fiat; nec prior intervallo temporis. Neque enim priore tempore ſonos edimus informes ſine cantu, & eos poſteriore tempore in formam cantici coaptamus, aut fingimus, ſicut ligna, quibus, arca, vel argentum, quo vaſculum fabricatur: tales quippe materia tempore etiam præcedunt formas rerum, quæ fiunt ex eis: at in cantu non ita eſt. Cum enim cantatur, auditur ſonus ejus; non prius informiter ſonat, & deinde formatur in cantum ...... ſed (ſonus) *prior eſt origine, quia non cantus formatur, ut ſonus ſit, ſed ſonus formatur ut cantus ſit: Hoc exemplo, qui poteſt, intelligat, materiam rerum primò factam, & appellatam Cœlum, & terram, quia inde facta ſunt Cœlum, & terra; nec tempore primò factam &c.*

XII. Tertia opinio erat, quòd Cœli, & terræ nominibus quaſi duabus magnis partibus, ſupremâ ſcilicet, & infimâ mundi, totus mundus viſibilis ſignificetur, qui poſtea toto primo capite Geneſis per partes explicetur. Hanc ita refert S. Auguſtinus lib. 12. Confeſſ. cap. 17. *Nomine, ajunt, Cœli, & terra, totum iſtum viſibilem mundum priùs univerſaliter, & breviter ſignificare voluit, ut poſtea digereret dierum enumeratione, quaſi articulatim univerſa, quæ Sancto Spiritu placuit ſic enunciare. Tales quippe homines erant, rudis ille atque carnalis populus, cui loquebatur, ut eis opera Dei non niſi ſola viſibilia commendanda judicaret.* Eam iiſdem ferè verbis expreſſit *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 33.

Porrò quid nomine *Cœli* veniat, an ſolum Cœlum ſupremum, quod vocatur Empyreum, an omnes orbes Cœleſtes; hoc quoque ambiguum eſt, cùm in diverſa abierint, tùm Veteres, tùm Recentiores. In tanta opinionum diverſitate, quid faciendum ſit, exemplo ſuo monet Auguſt. *lib.* 1. *de Geneſ. ad litt. cap.* 20. ubi, opinionibus prææallatis recenſitis. *Libri* (inquit) *Geneſeos multipliciter, quantum potui, enucleavi, protulique ſententias de verbis ad exercitationem noſtram obſcurè poſitis, non aliquid unum temerè affirmans cum præjudicio alterius expoſitionis fortaſſe melioris, ut pro ſuo modulo eligat quiſque, quod capere poſſit: ubi autem intelligere non poteſt, Scripturæ Dei det honorem, ſibi timorem.*

XIII. Dico ergo. Abſque præjudicio expoſitionis fortaſſe melioris magis arridet illa, quæ non materiam informem adhuc ſolâ origine præcedentem ſubſtantialem formationem, ſed nomine Cœli intelligit, non ſolùm Cœlum empyreum, ſed omnes orbes Cœleſtes, & nomine terræ terram elementarem. Videtur congruentior litteræ Moyſis.

Dum enim dicit: *creavit Deus Cœlum, & terram*, indicavit, non priùs creaſſe materiam Cœli, & terræ, & deinde in poſteriori originis formam Cœli, & terræ indidiſſe; ſed ſimul concreaſſe materiam, & formam utriuſque, totum Cœlum, & totam terram de omnino nihilo faciendo. Hinc in Philoſophia docemur, in prima rerum productione formas non fuiſſe de materia eductas, ſed cum materia concreatas.

Quòd etiam, non ſolum Cœlum ſupremum, ſeu Empyreum, quod ſedes eſt Beatorum, ſed omnes orbes Cœleſtes primâ die creati fuerint, ſuperiùs indicavimus; cùm Solem, & Lunam primâ die quoad ſubſtantiam Deum produxiſſe cum D. Thoma oſtendimus. Et ſanè hiſtorica Moyſis narratio dicentis, Deum creaſſe Cœlum, nulli reſtrictioni videtur locum dare. Præterea, ejus conſilio ſenſus iſte videtur magis convenire. Moyſi enim propoſitum fuiſſe in hac narratione, plerique Veterum exiſtimant, Judæos à falſa Gentium perſuaſione abducere, quæ Cœleſtibus corporibus divinitatem, æternitatemque tribuebant: atqui neque Angelos, neque materiam informem, nec Cœlum ſupremum Empyreum (à ſplendore ſic dictum) colebant Ethnici, quod pleri-

que

que ignorabant, ſed Cœleſtes alios orbes, quos oculis corporeis intuemur, in quibus Sol, Luna, cæteraque ſydera volvuntur; ergo &c. Hinc Pſalm. 101. v. 26. dicitur: *Initio tu, Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt Cœli.*

XIV. Nomine autem terræ intelligi terram elementarem, ſeu velis quatuor elementa, videtur apparere ex eo, quòd illam terram primò creatam credere par eſt, quæ Dei imperio ex aquis eam inundantibus poſtea emergens, plantas, & herbas omnis generis germinavit, animalia tam gradientia, quàm ſerpentia produxit, & ex cujus limo homo plaſmatus fuit: hæc autem fuit terra elementaris, non materia.

Utrumque confirmat S. Baſilius homil. 2. in Hexaemeron dicens: *fecit Deus Cœlum, & terram, utrumque, non ex dimidia parte, ſed totum Cœlum, totamque terram, ipſam ſubſtantiam cum forma conjunctam .... cùm dixit In principio fecit Deus Cœlum & terram, multa tacuit, aquam, aerem, ignem, emergentes ex his affectiones. Quæ ſanè omnia tanquam quæ mundum compleant, procul dubio unâ, cum univerſitate rerum ſubſtiterunt.*

S. Ambroſius lib. 1. in Hexaemer. cap. 6. *ſatis eſt*, (inquit) *ad præſentem aſſertionem, quòd in principio Cœlum fecerit, unde prærogativa generationis, & cauſa: & terram fecerit, in qua eſſet generationis ſubſtantia. In his enim quatuor illa elementa creata ſunt, ex quibus generantur omnia iſta, quæ mundi ſunt. Elementa autem quatuor, aer, ignis, aqua, & terra, quæ in omnibus ſibi mixta ſunt.* Porrò Cœlum, quod eſt generationis cauſa, non eſt Empyreum: hoc enim in ſedem Beatorum ſolummodo factum eſt, ſed cæteri inferiores Cœli. Terra item, in qua generationis ſubſtantia eſt, eſt terra habens elementa ſibi permixta, vel ex qua elementa emergunt.

Idem ſcripſerat Theophylus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum num. 18. his verbis: *Homo qui in ima mundi regione eſt, ſuper terrâ ædificium ponere ſolet: nec niſi fundamento jacto, ordinem ſervare, aut faſtigium ædificio imponere poteſt. Cæterum Dei potentia hinc innoteſcit, quòd ex iis, quæ non ſunt, facit, ut ipſi videtur, quæ facta... Quapropter Propheta teſtatur, creationem Cœli factam eſſe primò: non ut hominum more fit, ſed in modum faſtigii... Terram dicens, intelligit fundamentum, & quaſi pavimentum.* Cœlum autem, quod in Univerſo inſtar fornicis eſt, non eſt Empyreum ſolum. Terra quæ inſtar pavimenti, aut fundamenti eſt, eſt terra hæc viſibilis, quam pedibus terimus.

XV. Hac in re deceptum puto fuiſſe Philaſtrium, qui hæreſi 95. Ceù hæreſim traducit, quæ aliam terram non vult agnoſcere ab ea, quam calcamus: *Ignorans* (inquit) *quod alia eſt, quæ veluti matrix eſt omnium rerum, univerſaque continet, quæ quaſi* Hyle, *ideſt materia reperitur in Scripturis, quæ eſt inviſibilis, & incompoſita, quæ à Deo facta eſt in primo die. Hæc autem, in qua habitamus, ſuper aquam fundata oſtenditur.*

Deceptum inquam puto. Nam etſi non paucorum Veterum ſententia fuerit, quod terra, primo die creata, fuerit materia informis: nemo tamen præter Philaſtrium oppoſitam ut hæreſim damnavit. Imo S. Auguſtinus ita ſuam opinionem defendit, ut hanc etiam, quam nos aſſerimus, ut probabilem admittat *lib. 12. Confeſſ.* loco ſuperiùs relato, ac nulli hac in re expoſitioni præjudicium inferri velit. Imò, ut oſtendi, Baſilius, & Ambroſius citati terram primo die creatam, volunt eſſe terram quam habitamus; qui tamen ut hæretici habendi non ſunt. Philaſtrio igitur Tertullianum opponam, qui *lib. adverſus Hermogenem* has duas terras proponentem *cap. 25.* ſic ait: *Vult igitur, duas proponi terras in iſta Scriptura; unam, quam in principio Deus fecit. Aliam materiam ex qua fecit, de qua dictum ſit:*

Digitized by Google

ſit: Terra autem erat inviſibilis & rudis. Et infra cap. 26. *Nobis autem unus Deus, & una eſt terra, quam in principio Deus fecit*.

XVI. Neque obſtat dictum Sapientiæ 11. *v.* 18. Deum Orbem terrarum *ex materia inviſa* creaſſe. Nam hoc nomine materiam primam omni forma prorſus ſpoliatam intelligere neceſſe non eſt: ſed potiùs corpus terræ & aquæ, ſuâ quidem formâ conſtans, adhuc tamen rude, incompoſitum, & impolitum, ex quibus particulares rerum ſpecies formaverit deinde; Elementa enim hæc, utpote minus actuoſa, materiæ nomine commodè exprimuntur.

XVII. Gravior emergit difficultas, quòd, Firmamentum factum à Deo legitur ſecundo die, & vocatum Cœlum. Nam ut Moyſes refert: Dixit Deus: *Fiat Firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis... Et fecit Deus Firmamentum... Vocavitque Deus Firmamentum Cœlum*. Non ergo quod primo die creatum eſt Cœlum, eſt illud, quod videtur à nobis, quod Solem ac Stellas continet, quod ſupra nos volvitur.

Huic difficultati variis reſponſionibus ſecundùm varias ſententias occurrit D. Thomas 1. *par. qu.* 68. *art.* 1. *ad* 1. Quarum prima eſt, verba illa Geneſis: *In principio creavit Deus Cœlum, & terram* non ſignificare peculiare aliquod opus, ſed mundi totum opificium ſummariè complecti; poſtea verò cunctas opificii partes ſigillatim, eo quo ſunt ordine elaboratæ, deſcribi: *Secundùm Chryſoſtomum* (ait Divus Thomas laudatus) *primò Moyſes ſummariè dixit, quid Deus fecit, præmittens*, In principio creavit Deus Cœlum, & terram, *poſtea per partes explicavit. Sicut ſi quis dicat: hic artifex fecit domum iſtam; & poſtea ſubdat: primò fecit fundamenta, & poſtea erexit parietes, tertiò ſuperpoſuit tectum. Et ſic non oportet nos aliud Cœlum intelligere cùm dicitur:* In principio creavit Deus Cœlum, & terram; *& cùm dicitur*, *quòd* ſecunda die *factum eſt Firmamentum*.

Hanc reſponſionem indicaverat Tertullianus *lib. contra Hermog. cap.* 26. ubi poſtquam dixit, terram ab initio factam, pergit: *Cujus ordinem incipiens Scriptura decurrere, primò factam eam edicit, de hinc qualitatem ipſius ediſſerit. Sicut & Cœlum primò factum profeſſa, In principio fecit Deus Cœlum, de hinc diſpoſitionem ejus ſuperinducit: & ſeparavit inter aquam, quæ erat infra Firmamentum, & quæ ſuper Firmamentum, & vocavit Deus Firmamentum Cœlum, ipſum quod in primordio fecerat. Proinde & de homine: & fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum. Dehinc qualiter fecerit reddit: & finxit Deus hominem de limo terræ &c.*

XVIII. Aliâ viâ reſponderi poteſt, Firmamentum primo die, ſeu ante omnem diem fuiſſe ſecundum ſubſtantiam creatum: ſecundo autem die novo miniſterio aptatum, ut eſſet veluti murus aquas dividens. Ita S. Jo. Chryſoſt. homil. 4. in Geneſ. *Quid eſt* (inquit) *fiat Firmamentum? Quaſi quis dicat humanâ linguâ: fiat paries quidam, & ſeptum in medio dividens, & ſeparationem inducens*. Deinde poſtquam dixit: quid ſit hoc Firmamentum, an aqua denſata, an aer quidam convolutus, an alia ſubſtantia, neminem prudenter aſſeverare poſſe, ſubdit, ſatis eſſe, *hoc ſolum ſcire, & tenere apud nos, præcepto Domini productum eſſe Firmamentum in ſeparationem aquarum, quod valeat alias ſub ſe continere, alias verò ſurſum in dorſo ſuo ferre ſublimes*. Et vocavit, *ait* Firmamentum Cœlum. *Vide, quomodo eâdem conſequentiâ etiam nunc divina Sapientia uſa eſt. Nam ſicut dixit heri*, fiat lux; *& poſtquam producta fuit, tunc ſubjecit:* ſit diſtinguens inter lucem, & inter tenebras: *& ſic lucem diem vocavit: ita & hodie dixit:* Fiat Firmamentum in medio aquæ. *Deinſicut de luce dixerat, ita & hic docuit nos uſum Firmamenti*, ut dividat, *ait*,

ſit, inter aquam, & aquam. *Et poſtquam hunc ejus uſum declaravit, tunc ſicut luci nomen dedit, ita & Firmamento ſuum nomen impoſuit*. Et vocavit, *ait*, Firmamentum Cœlum, *hoc quod videtur*.

XIX. Quod ſi velis, Firmamentum factum ſecundâ die, & vocatum Cœlum eſſe diverſum à Cœlo creato primâ die, duplici reſponſione ſatisfaciet D. Thomas citatâ qu. 68. art. 1. ad 1. Quòd *ſecundùm Damaſcenum* (lib. 2. Orthod. fid. cap. 6.) *Cœlum, quod legitur primâ die factum, eſt quoddam Cœlum ſphæricum ſine ſtellis, de quo Philoſophi loquuntur, dicentes, ipſum eſſe nonam ſphæram, & mobile primum, quod movetur motu diurno. Per Firmamentum verò factum ſecundâ die intelligitur Cœlum ſydereum. Secundùm autem aliam expoſitionem, quam Auguſtinus tangit* (lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 1.) *Cœlum primâ die factum eſt etiam ipſum Cœlum ſydereum. Per Firmamentum verò ſecundâ die factum intelligitur ſpatium aeris, in quo nubes condenſantur, quod etiam Cœlum æquivocè dicitur. Et ideò ad æquivocationem deſignandam ſignanter dicitur:* Vocavit Deus Firmamentum Cœlum: *ſicut & ſupra dixerat:* vocavit lucem diem: *quia dies etiam pro ſpatio viginti quatuor horarum ponitur*. Quam autem ex præfatis expoſitionibus congruentiorem judicemus, dubio ſequenti agentes de opere ſecundæ diei exponemus.

§. III.

De Terra inani, & vacua &c. Et de Spiritu qui ferebatur ſuper aquas.

XX. PRoſequitur Moyſes dicens: *Terra autem erat inanis, & vacua*, nimirùm, ut ſuperiùs dictum eſt, ſine plantis, & animalibus, ac omni ornatu; unde Hebraicè dicitur inſtar ſolitudinis, & deſerta. Quare Septuaginta, & Auguſt. & ferè omnes Antiqui legunt *inviſibilis*, quia aquis cooperta, & *incompoſita*, quia nondum ſuis fœtibus, plantis, & animalibus decorata. Atque, ut ſuperiùs dictum eſt, hoc ſenſu dicitur *Sap.* 11. Deus creaſſe orbem terrarum *ex materia inviſa;* quia ex rudi illa, & confuſa elementorum maſſa ad illum decorem, quem videmus, ſex diebus perduxit.

XXI. Sequitur. *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. Abyſſus græcè dicta eſt, quaſi *ſine fundo*. Hebraicè *Tehòm*, ideſt *aqua multa, & aquarum multarum locus*. Unde D. Auguſt. *lib.* 22. *contra Fauſt. cap.* 11. ait: *Tenebræ erant ſuper abyſſum. Abyſſus namque eſt aquarum inæſtimabilis profunditas*. Significatur ergo, fuiſſe immenſam aquarum multitudinem, quæ terram cooperuerit, non quidem infinitam [ut teſte D. Thom. 1. *par. qu.* 68. *art.* 3. quidam antiqui Philoſophi poſuerunt, volentes, eſſe infinitum aquarum corpus etiam ſupra Cœlum] & uſque ad determinatum ſpacium: unde dicitur, quod *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, hoc eſt ſupra ſuperficiem multitudinis aquarum.

Quo fortaſſis denotatur etiam, non omnia ad Cœlum uſque aquis illis craſſioribus fuiſſe plena, ſed ſupra illas infra Cœlum fuiſſe corpus diaphanum, nempe aerem, quamvis luce nondum creatâ, tenebroſum. Hoc rationabiliter colligit D. Thomas citatâ *qu.* 68. *art.* 3. etenim *conſiderandum eſt* (inquit) *quod Moyſes rudi populo loquebatur, quorum imbecillitati condeſcendens, illa ſolùm eis propoſuit, quæ manifeſtè ſenſui apparent. Omnes autem quantumcumque rudes, terram, & aquam eſſe corpore ſenſu deprehendunt. Aer autem non percipitur ab omnibus eſſe corpus, intantùm quòd etiam quidam Philoſophi aerem dixerunt nihil eſſe, plenum aere vacuum nominantes. Et ideò Moyſes de aqua & terra mentionem fecit expreſſam, aerem autem non expreſſè nominat, ne rudibus quoddam ignotum proponeret. Ut tamen capacibus veritatem exprimeret, dat locum intelligendi aerem, ſignificans ipſum, quaſi*

quaſi aquæ annexum, cum dicit, quod tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. *Per quod datur intelligi, ſuper faciem aquæ eſſe aliquod corpus diaphanum, quod eſt ſubjectum lucis, & tenebrarum.* Hæc D. Thomas.

XXII. Pergit Moyſes, *& Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Scio, hìc nomine *Spiritus* apud aliquos Veteres aerem ſignificari. Unde Severianus Gabalitanus *Orat.* 1. *de Creatione mundi*, ait, *deinde, & aer audi, quando creatus eſt*: Et Spiritus Domini &c. *Spiritum enim hunc non ipſum Spiritum Sanctum dicit (non enim quod increatum eſt creatis connumeratur) ſed Spiritum vocat aeris motum.* Inde oſtendit, uſu Scripturæ *Spiritus* nomine aerem intelligi, ſeu aerem commotum, ſeu ventum: In Spiritu vehementi conteres naves Tharſis. *Nempe Spiritum aeris agitationem vocant. Ut verò ex Spiritus indole oſtendatur, ventum aeris eſſe motum, propterea illâ voce uſus eſt*, Superferebatur. *Proprium enim venti eſt, ut creatura, & rebuſque mundo hoc inferiori ſupervolitet, ac ſuperferatur.* Ventum intelligi poſſe, indicat Auguſt. *lib. de Geneſ. imp. cap.* 4. Debere, & verius eſſe, Theodoretus *qu.* 8. *in Geneſ.* & mobilem ejus naturam exprimi per verbum *ferebatur*; Quibus præiverat Tertullianus *lib. contra Hermogenem cap.* 32. quamvis, ut dicam, in hoc ſibi conſtans non fuerit.

Non latet, alios nomine Spiritus intellexiſſe vitalem Spiritum, energiam, ſive efficaciam. Hanc expoſitionem ut non improbabilem recenſent S. Ambroſius *lib.* 1. *in Hexaemer. cap.* 8. S. Auguſt. citato *lib. de Geneſ. imperf. cap.* 4. eique ſubſcribit S. Chryſoſt. *homil.* 3. *in Geneſ.* dicens: *Quid ſibi vult, quod dicit, &* Spiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquam? *mihi videtur, hoc ſignificare, fuiſſe in aquis efficacem quandam, & vitalem operationem, nec fuiſſe ſimpliciter aquam ſtantem, & immobilem; ſed mobilem, & vitalem quandam vim habentem &c.*

XXIII. Nihilominùs probabiliorem cenſeo expoſitionem, quæ nomine *Spiritus Dei* intelligit Spiritum Sanctum, qui *ferebatur*, ideſt *confovebat*, ut S. Baſilius *hom.* 2. *in Hexaem.* ex Syro interpretatur dicens: *Et ita naturæ aquarum vim tribuebat fœtificandi, inſtar incubantis avis, & vitalem quandam facultatem iis, quæ foventur impartientis.... Nimirùm* ferebatur Spiritus ſuper aquas, *hoc eſt naturam aquæ ad fœturam præparabat. Quare quod à quibuſdam quæritur, ſatis ex hoc liquet, nempè ab actu creandi Spiritum Sanctum non abfuiſſe.* Hoc ſi intelligant, qui ſecundam allatam expoſitionem tuentur, non diſſentimus.

XXIV. Quod ſi dicas: Cur non poterit nomine *Spiritus* hìc intelligi aer, aut ventus, cùm ſæpè in Scripturis per Spiritum ſignificetur aer, aut ventus, ut ſuperiùs obſervatum eſt?

Reſpondeo cum D. Baſilio laudato loco. Quòd eſto alicubi Scriptura nomine Spiritus intelligat aerem, aut ventum, nunquam tamen nomine *Spiritus Dei. Obſervatum eſt*, inquit Baſilius, *Scripturam eum* (Spiritum Sanctum) *ejuſmodi appellatione peculiariter, ac præcipuè dignari, ac nullum alium Spiritum Dei nominare, quàm Sanctum illum Spiritum, qui divinam, ac beatam Trinitatem complet.*

Propterea huic expoſitioni adhæret major Patrum pars. Tertullianus *lib. de Baptiſmo cap.* 3. aquam laudans, ex illo, Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas: *Habes* (inquit) *homo in primis ætatem venerari aquarum, quòd antiqua ſubſtantia: de hinc dignationem, quòd divini Spiritus ſedes, gratior ſcilicet cæteris tunc elementis & lib.* 4. *contra Marcionem cap.* 26. ait: *A quo Spiritum Sanctum poſtulem? à quo nec mundialis ſpiritus præſtatur? an à quo fiunt etiam Angeli ſpiritus; cujus & in primordio Spiritus ſuper aquas ferebatur?*

XXV. Item S. Ambroſius *lib.* 1. *in Hexaemeron cap.* 8. ait: Et Spiritus Dei ſuperferebatur ſuper aquas.

Quem

Quem etſi aliqui pro aere accipiant, aliqui pro ſpiritu, quo ſpiramus, & carpimus aura hujus vitalis ſpiritum; nos tamen cum Sanctorum, & fidelium ſententia congruentes, Spiritum Sanctum accipimus, ut in conſtitutione mundi operatio Trinitatis eluceat. Præmiſſo enim quia in principio fecit Deus Cœlum & terram, idest in Chriſto fecit Deus, vel Filius Dei Deus fecit, vel per Filium Deus fecit, quia omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: ſupererat plenitudo operationis in Spiritu, ſicut ſcriptum eſt. Verbo Domini Cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum &c.

XXVI. Conſentit S. Hieronymus tùm *lib. Quæſt. Hebraic. in Geneſ.* ubi hæc habet: Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. *Pro eo quod in noſtris Codicibus ſcriptum eſt* ferebatur, *in Hebræo habet*, Merefeth, *quod nos appellare poſſumus*, incubabat, *ſive* confovebat, *in ſimilitudinem volucris, ova calore animantis. Ex quo intelligimus, non de ſpiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, ſed de Spiritu Sancto, qui & ipſe vivificator omnium à principio dicitur.* Tùm Epiſt. 83. modò 82. ad Oceanum. *Rudis* (inquit) *mundus nec dum Sole rutilante, nec pallente Lunâ, nec aſtris micantibus, incompoſitam, & inviſibilem materiam abyſſorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat. Solus Spiritus Dei in auriga modum ſuper aquas ferebatur, & naſcentem mundum in figura Baptiſmi parturiebat.*

In idem conſpirat S. Auguſt. tùm *lib.* 13. *Confeſſ. cap.* 5. ubi ait: *Ecce Spiritus tuus ſuperferebatur ſuper aquas. Ecce Trinitas Deus meus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Creator univerſa creaturæ*; quod repetit *cap.* 6. & 7. Tùm *lib. de Geneſ. ad litt. imperfecto cap.* 4. Ubi monet, ne putemus Spiritum Dei quaſi locorum ſpatiis ſuperferri materiæ, *ſed vi quadam effectoriâ, & fabricatoriâ, ut illud cui ſuperfertur efficiatur, & fabricetur, ſicut ſuperfertur voluntas artificis ligno, vel cuicumque rei ſubjectæ ad operandum, vel etiam ipſis membris corporis ſui, quæ ad operandum movet.* Addit tamen, hanc ſimilitudinem eſſe parvam, & propè nihil aptam ad intelligendam ſuperlationem Spiritus Dei ſuper materia ſibi ſubjectâ.

Idem dicit *lib.* 1. *de Geneſ. ad litt. cap.* 6. Imò cap. 7. formans ſibi objectionem, quam ſupra Severianus Gabalitanus opponebat; cur ſcilicet creaturæ imperfectæ commiſceatur Spiritus Dei: reſpondet, commiſceri, non tanquam eâ indigentem, ſed tanquam eam amantem, & beneficentiâ ſuâ illam complectentem, & ad explicandam ſupereminentiam ſuæ dilectionis Scripturam dicere ſuperferebatur, ſeu ferebatur ſuper aquas, eas ſcilicet vi, & efficaciâ fœcundando.

§. IV.

De productione Lucis.

XXVII. Proſequitur Moyſes v. 3. *Dixitque Deus*, non vocis ſono, ſed efficaci ſuæ mentis imperio, cui ſtatim adeſt effectus. Imò ait Ambroſius lib. 1. Hexaem. cap. 9. *Non ideò dixit, ut ſequeretur operatio, ſed dicto abſolvit negotium. Unde pulchrè Davidicum illud*: Dixit, & facta ſunt, *quia dictum implevit effectus*. Dixit ergo Deus *fiat lux*, & *facta eſt lux*.

XXVIII. Quænam ſit iſta lux, quæ primò facta eſt: an Angeli, an nubes aliqua lucida, vel aliud corpus lucidum, an lucem Solis informem, ardua quæſtio eſt. Lucis nomine Angelos intelligit S. Auguſtinus *lib.* 1. *de Geneſ. ad litt. cap.* 17. & *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 9. & *cap.* 19. diviſionem lucis à tenebris dicit fuiſſe, diſcretionem bonorum Angelorum à malis; & *cap.* 20. advertit, quòd ſtatim facta luce ſubjecit Deus, *vidit Deus lucem quòd eſſet bona*, non poſtquam ſeparavit inter lucem, & tenebras; ne ſimul cum

luce probaret tenebras, ſimul cum bonis Angelis etiam malos: *ne utrumque appellaretur bonum, cùm eſſet horum alterum malum, vitio proprio, non naturâ; & ideò ſola ibi lux placuit Conditori: tenebræ autem Angelicæ, & ſi fuerant ordinandæ, non tamen fuerant approbandæ.* Huic tamen interpretationi non adeò tenaciter hæret S. Doctor, quin etiam alias probet, ut nulli alteri fortè meliori præjudicium inferatur, ſecundùm regulam ab ipſo traditam *lib. 1. de Geneſ. ad litt. cap.* 18. & 20. ut ſuperiùs dub. præced. §. 2. num. 6. Auguſtino tamen ſubſcribit Rupertus *lib. 1. de Trinit. & ejus operibus cap.* 10. cujus rationes ſolvemus infra.

XXIX. Cæteri autem Patres, Lucem primo die productam, fuiſſe lucem corporalem exponunt, quamvis quænam fuerit illa lux inter ſe diſſentiant. Ignem fuiſſe, qui ex informi, & confusâ mole Dei imperio excitatus, ac digeri cæptus, levitate ſua exilierit, ſplendoreque ſuo omnia repentè repleverit, cenſet S. Gregorius Nyſſenus *lib. in Hexaemeron*. Quare ſecundùm ipſum lux primigenia corpus fuit, nimirùm elementum ignis. Eadem eſt S. Jo. Damaſceni ſententia *lib. 2. de fide orth. cap. 7.*

S. Baſilius *Homil. 2. & 6. in Hexaemer.* lucem primo die conditam exiſtimat verum accidens fuiſſe ſenſibile, primò abſque ſubjecto conſiſtens; ſed in Solem poſtea quartâ die productum, collocatum, ex cujus diffuſione, & contractione tres priores dies, & noctes contigerunt. At quòd primis illis diebus abſque ſubjecto fuerit, non potuit ſine miraculo fieri, quod nullum in prima rerum conditione contigiſſe legimus, hanc eandem ſententiam tenet Nazianz. *orat. in novam Dominicam, quæ eſt 43.*

S. Ambroſius lib. 1. Hexaemer. cap. 9. dicit, quòd Deus dicens fiat lux, *tam lucem fieri voluit, quæ oculis corporalibus comprehenderetur. Qui ædificium aliquod dignum habitaculo Patris familias ſtruere deſiderat, antequam fundamenta ponat, unde lucem ei infundat explorat: & ea prima eſt gratia, quæ ſi deſit, tota domus deformi horret incultu.* Quid tamen fuerit iſta lux, non exponit. De luce corporea interpretatur quoque Theodoretus *qu. 7. in Geneſ.*

XXX. De luce corporea intelligit quoque S. Thomas 1. par. qu. 67. ubi, art. 1. dicit, lucem non dici de rebus ſpiritualibus, niſi impropriè, & metaphoricè; ex uſu enim loquentium, & ex impoſitione nominis, nomen lucis primò impoſitum eſt ad ſignificandum id, quod facit manifeſtationem in ſenſu viſus, ſicut nomen viſionis primò impoſitum eſt ad ſignificandum actum ſenſus viſus: & ex uſu loquentium ſic intelligitur. Cùm ergo dici debeat, Moyſen populo rudi loquentem uſurpaſſe nomina ſecundùm ſignificationem, quam primò, & ex uſu loquentium habent, dici debet nomine lucis, quam primo die factam deſcribit, intellexiſſe lucem corporalem, non ſpiritualem.

XXXI. At dices cum Auguſtino *lib. 11. de Civit. Dei cap. 9. & 33.* non fuiſſe conveniens, Moyſen prætermiſiſſe lucis ſpiritualis productionem: prætermiſiſſet autem, ſi tam nomine Cœli, quàm nomine lucis Cœlum, ac lucem corpoream intellexiſſet.

Reſpondet D. Thom. laudatus *art. 4.* negando ant. cujus rationem alii diverſimodè aſſignant. Baſilius enim *homil. 1. in Hexaemer.* ſentit, Moyſen principium narrationis ſuæ feciſſe à principio temporis, quod eſt menſura rerum ſenſibilium, *ſed ſpiritualis creatura prætermittitur, quia fuit ante creata.* Ita ſentiunt quotquot putarunt, Angelos ante mundum corporeum fuiſſe creatos; quod tamen falſum eſſe ſuo loco oſtendemus.

Ideò aliter reſpondet Chryſoſtomus (homil. 2. in Geneſ.) Quod *Moyſes loquebatur rudi populo, qui nihil, niſi*

cor-

Digitized by Google

corporalia poterat capere, quem etiam ab Idololatria revocare volebat. Aſſumpſiſſent autem Idololatriæ occaſionem, ſi propoſitæ fuiſſent eis aliqua ſubſtantia ſupra omnes corporeas creaturas: eas enim reputaſſent Deos, cùm etiam proni eſſent ad hoc, quòd Solem, & Lunam, & Stellas colerent tanquam Deos: quod eis inhibetur Deuteronom. 4. Ita Divus Thomas.

XXXII. Hanc corporalem lucem convenienter primâ die fuiſſe factam oſtendit S. Tho. ibidem. Primò. Quia lux eſt qualitas primi corporis, ſcilicet Cœleſtis, unde ſecundùm eam mundus fuit primò formandus. Secundò. Quia lux eſt communiſſima, in ea enim corpora inferiora communicant cum ſuperioribus. Sicut autem in cognitione, ita in operatione convenienter proceditur à communioribus. Tertiò. Quia per lucem omnia alia manifeſtantur. Quartò. Quia dies non poteſt eſſe ſine luce, unde oportuit, in prima die fieri lucem.

XXXIII. Lucem à Deo productam non eſſe corpus oſtendit D. Tho. citatâ *qu.* 67. *art.* 2. Tùm quia duo corpora naturaliter non ſunt in eodem loco: lux autem eſt ſimul cum aere, quem illuminat. Tùm quia ſi eſſet corpus, illuminatio fieret per motum localem, & ſic non fieret in inſtanti contra experientiam. *Statim enim cùm Sol eſt in puncto horizontis, illuminatur totum Hemiſphærium uſque ad punctum oppoſitum.* Tùm tertiò. Quia ſequeretur, quòd dum aer per abſentiam luminaris fit tenebroſus, corpus illud, vel corrumperetur, vel alio transferetur cum luminari: neutrum autem dici poteſt. Non primum; quia ridiculum eſt, ad ſolam præſentiam, vel abſentiam Solis tantum corpus, quale eſſet lux per totum Hemisphærium diffuſa, quotidie generari, & corrumpi; ac rursùs, quòd dum hoc corpus corrumpitur, & fiunt tenebræ, materia hujus corporis tranſiret ad formam tenebrarum, & ſic tenebræ eſſent corpus. Neque ſecundum; quia ſi candela illuminans cubiculum aliquo corpore opaco clauditur, ſtatim cubiculum fit tenebroſum. Non apparet autem, quò tam citò illa corpuſcula lucida transferantur: non enim congregantur circa candelam, quia hæc non apparet magis luminoſa quàm ante; quod tamen eſſe deberet, ſi omnes particulæ lucis, quæ per totum cubiculum diffundebantur, circa illam congregarentur.

XXXIV. Obſervandum eſt primò. Quòd lux, aut lumen aliquandò uſurpatur pro corpore lucido, vel luminoſo; & ſic tùm lux, tùm lumen dici poteſt corpus: & in hoc ſenſu D. Auguſtinus lib. 3. de lib. arbitr. cap. 5. dicit, quòd *lux in corporibus primum tenet locum*, accipit enim *lucem pro corpore lucido in actu, ſcilicet pro igne, quod inter quatuor elemenenta nobiliſſimum eſt*. Ita D. Th. *hoc art.* 2. *ad* 1. Quòd ſi aliquando lumini proprietates corporis tribuuntur, hoc ſolùm metaphoricè ei convenit, ut idem S. Doct. *ad* 3. Nec enim intentio D. Thomæ fuit negare lucem eſſe accidens quoddam corporeum, & ſenſibile, ſed ſolùm eſſe corpus propriè de prædicamento ſubſtantiæ, & quantitatis.

XXXV. Obſervandum ſecundò ex eodem S. Thoma in 2. *diſt.* 13. *qu.* 1. *art.* 3. Quod *iſta quatuor differunt, lux, lumen, radius, & ſplendor. Lux enim dicitur ſecundùm quòd eſt in aliquo corpore lucido in actu, à quo alia illuminantur, ut in Sole. Lumen autem dicitur, ſecundùm quòd eſt receptum in corpore diaphano illuminato. Radius autem dicitur illuminatio ſecundùm directam lineam ad corpus lucidum, & ideò ubicumque eſt radius, eſt lumen: ſed non convertitur. Contingit enim, lumen eſſe in domo ex reflexione radiorum Solis, quamvis non ex directa oppoſitione, propter aliquod corpus interjacens. Splendor autem eſt ex reflexione radii ad aliquod corpus terſum, & politum, ſicut ad aquam, & ad argentum, vel ad aliquod hujuſmodi,*

Digitized by Google

di, ex qua reflexione etiam radii projiciuntur.

XXXVI. Suppoſito ergo, quòd lux non ſit corpus, ſed accidens de genere qualitatis quod oſtendit D. Th. *qu.* 67. *art.* 3. Quæritur, in quo ſubjecto fuerit tribus primis diebus creationis mundi: dicere enim cum D. Baſilio, ſuperiùs allato, per tres illos dies conſervatam fuiſſe extra omne ſubjectum per Dei potentiam, & quarto die collocatam in Sole, non videtur credibile: quia, ut ait D. Tho. hoc art. 4. ad 3. ex D. Auguſtino [lib. 2. ſuper Geneſ. ad litt. cap. 1.] *In prima inſtitutione naturæ non quæritur miraculum, ſed quid natura rerum habeat.*

Alii propterea dixerunt, lucem illam in nube lucida productam fuiſſe, quæ, facto poſtmodum Sole, vel in præjacentem materiam rediit; vel fuit conjuncta Soli, & adhuc manet, ut diſcerni non poſſit; vel quòd ex illa nube formatum eſt corpus Solis. Sed has expoſitiones ſuperiùs *dubio præcedenti* §. 3. *num.* 22. *&* 23. improbavimus ex D. Thoma *qu.* 4. *de potent. art.* 2. *ad* 8. & modò 1. *par. qu.* 67. *art.* 4. *ad* 2. Repetendo igitur, quæ ſuperiùs citato loco cum eodem D. Thoma dixi; probabilius exiſtimo, quòd *illa lux fuit lux Solis, quantùm ad hoc quòd jam erat ſubſtantia Solis, & habebat virtutem illuminativam in communi, ſed poſtea data eſt ei ſpecialis, & determinata virtus ad particulares effectus*. Ita D. Tho. hoc art. 4. ad 2. qui ad 3. addit, *quòd duplex eſt motus in Cœlo. Unus communi toti Cœlo, qui facit diem, ac noctem, & iſte videtur inſtitutus primo die. Alius autem, qui diverſificatur per diverſa corpora, ſecundùm quos motus fit diverſitas dierum ad invicem, & menſium, & annorum. Et ideò in prima die fit mentio de ſola diſtinctione noctis, & diei, quæ fit per motum communem. In quarta autem die fit mentio de diverſitate dierum, & temporum, & annorum, cùm dicitur*, ut ſint in tempora, & dies, & annos; *quæ quidem diverſitas fit per motus proprios*. Conferantur quæ ſuperiùs dub. præcedente locis citatis ex eodem S. Doctore dicta ſunt.

XXXVII. Luce productâ, & approbatâ *diviſit* Deus *lucem à tenebris*. Non quia priùs lux mixta eſſet tenebris, ut indigeret ab illis ſeparari: *ſed eo ipſo, quò lux facta eſt, conſecuta eſt etiam diviſio inter lucem, & tenebras. Quæ enim ſocietas lucis cum tenebris? Deus ergo diviſit inter lucem, & tenebras, quia lucem fecit, cujus abſentia tenebræ vocantur. Intereſt autem inter lucem, & tenebras, ſicut intereſt inter veſtimentum, & nuditatem, inter plenum, & inane, & ſimilia*. Ita S. Auguſtinus *lib. de Geneſ. ad litt. imperfecto cap.* 5.

Lucem ergo, quæ tenebras fugavit, appellavit diem, & tenebras noctem. Non enim quæcumque lux eſt dies, ſed ea ſola, quæ ex præſentia Solis fit ſicut nec quæcumque tenebræ ſunt nox, ſed illæ tantùm, quæ ex abſentia Solis conſequuntur. *Lucem autem dico diem* (inquit S. Auguſtinus loco citato cap. 5.) *& tenebras dico noctem, ne aliquam aliam lucem intelligas, quæ non ſit dies; & ne aliquas alias tenebras intelligas, quæ non ſint nox.*

XXXVIII. *Factumque eſt veſpere, & mane dies unus*: dies ſcilicet naturalis conſtans luce, & tenebris, ſeu die artificiali, & nocte, qui ſpatio vigintiquatuor horarum abſolvitur: unde Baſilius homil. 2. in Hexaemeron, ait: *Vigintiquatuor horarum menſura unius diei eſt ſpatium: vel Cœli ab eodem ſigno ad idem reditus, uno die peragitur*. Præmiſit autem veſperam, deinde mane; non quia dies ille à veſpere cæperit (cæpit enim à productione lucis, quam vocavit diem, artificialem ſcilicet, cauſatum ex motu lucis ſolaris, quæ tunc moveri cæpit motu diurno, ut probabiliùs judicavimus cum D. Thom.) ſed quia, cùm jam nominaſſet lucem diem, finem illius diei per veſperam, & no-

ctem,

ctem, & mane, ut initium diei ſequentis, ſicque integram diem naturalem, voluit indicare. *Itaque* (inquit Baſilius laudatus) *ut prioris generationis prærogativam diei tribueret, priùs commemoravit finem diei, deinde noctis, velut inſequente diem nocte.* Et Ambroſius lib. 1. Hexaemer. cap. 10. ait: *Quærunt aliqui, cur priùs veſperam, poſtea mane Scriptura memoraverit, ne forte noctem priùs quàm diem ſignificare videatur. Nec advertunt primò, quod præmiſerit diem dicendo: & vocavit Deus diem lucem, & tenebras vocavit noctem: Deinde quod Veſper finis diei ſit, & mane finis noctis.* Et poſt aliqua: *Principium ergo diei, vox Dei eſt:* Fiat lux, & facta eſt lux. *Finis diei veſper eſt. Jam ſequens dies ex noctis fine ſuccedit. Sententia autem Dei evidens, quia diem primò vocavit lucem, & ſecundò vocavit tenebras noctem. Præclarè etiam unum, non primum diem dixit* (dies unus) *Nam ſecuturo ſecundo, & tertio die, & deinceps reliquis* primum *potuit dicere, & hoc ordinis videbatur. Sed legem ſtatuit, ut vigintiquatuor horæ diurnæ, atque nocturnæ diei tantùm nomine definiantur, ut ſi diceret: viginti quatuor horarum menſura unius diei tempus eſt. Sicut enim virorum generatio computatur, & intelligitur etiam fœminarum, quia nectuntur ſecunda potioribus: ita etiam dies numerantur, & noctes æſtimantur adjunctæ. Sicut igitur circuitus unus, ita dies unus.* Ita præclarè Ambroſius.

XXXIX. Nec movere debet quòd S. Thomas 1. *par. qu.* 63. *art.* 6. *ad* 4. & *qu.* 8. *de Veritate art.* 16. *ad* 8. dicat primam diem habuiſſe veſperam, & non mane. Nam ibi loquitur Sanctus Thomas in opinione D. Auguſtini accipientis *Veſperam* ſpiritualiter nempe pro cognitione veſpertina, quâ res creatas Angeli primò cognoverunt in ſuis naturis, & *Mane* pro cognitione matutinâ quâ primò cognoverunt in verbo; & quia cognitio veſpertina præceſſit matutinam, ideò dicit in prima die commemorari veſperam, ſed non mane. *Angelus* (inquit quæſt. cit. de verit.) *in principio ſuæ creationis non fuit beatus, nec per eſſentiam Verbum vidit. Unde nec cognitionem matutinam habuit, ſed primò habuit veſpertinam, & ex veſpertina profecit in matutinam. Unde ſignanter primus dies mane non dicitur habuiſſe, ſed primò veſpere, quod veſpere tranſivit in mane, quia lux illa ſpiritualis, quæ primo die facta dicitur, ſcilicet ſubſtantia Angelica, ſtatim facta ſeipſam cognovit, quod fuit cognitionis veſpertinæ; & hanc cognitionem retulit ad laudem Verbi, in quo facta eſt ei cognitio matutina, & propter hoc dicitur Gen. 1. factum eſt veſpere, & mane &c.* Verùm in ſecundo diſt. 13. qu. 1. art. 4. ad 1. relatâ Auguſtini ſententiâ, quid ſibi probabilius videatur exponens, ait: *Alii dicunt, quòd prius tempore fuit opus creationis, & poſtea per aliquod temporis intervallum formata eſt lux: & tunc dies primò incæpit .... & hoc quidem magis conſonat litteræ Geneſis ſecundùm ſuum ſenſum planum.*

XL. Quæres primò. Quantum temporis illæ tenebræ lucis exortum anteceſſerint?

Reſpondeo, ſex horas conjectare aliquos, alios duodecim. Sed nihil certi. Solus ille certò novit, qui fecit, & ſic fecit, quia voluit. Principiis jam ſtatutis, & Scripturæ conformius videtur, quòd cùm fiat ſermo de diebus realibus, non intelligibilibus, & metaphoricis, ita tenebræ realiter præceſſerint lucem, vel tempore, vel uno ſaltem momento, ſic ut immediatè ſequenti, vel tempore, vel momento poſt tenebras lux affulſerit; & aliqua reali duratione Cœlum, & terra fuerint ſub tenebris ſine luce, deinde ſecuta ſit lux. Porrò tempus, vel momentum, quo mundus fuit ſub tenebris ante lucis formationem, non potuit dici *nox*. Quamvis enim Hilarius *lib. de Synodis* ita ſentiat, & proinde exiſtimet, noctem præ-

præceſſiſſe diem. Sed contrarium tenendum videtur cum Baſilio, & Ambroſio citatis, quibus adhæret S. Auguſt. tùm *lib. de Geneſ. ad litt. imperf. cap. 6.* tùm *Sermone* 221. aliàs 79. *de diverſis* Non enim omnes tenebræ ſunt nox, ſed illæ quas præceſſit dies, ſeu nox eſt lux, & tenebræ certis inter ſe vicibus ordinatæ, ſeu tenebræ ſuccedentes luci diurnæ.

XLI. Quæres ſecundò. Quis fuerit ille primus dies conditionis mundi?

Reſpondeo fuiſſe diem correſpondentem diei Dominico. Si enim dies Sabbati fuit ſeptimus, quo Deus requievit ab opere, clarum eſt, quòd primus fuerit dies Dominicus, qui poſt Sabbatum eſt octavus, & ante Sabbatum primus. Hoc Epiſcopi in Concilio Paleſtino ſub Victore Papa congregati, cujus extat fragmentum, apud Bedam, ſe credere ſecundùm Scripturarum veritatem profeſſi ſunt. Sed hæc ſatis.

DUBIUM III.

De opere ſecundæ Diei.

§. I.

Quid nomine Firmamenti Moyſes intellexerit.

I. Opus ſecundæ diei ſic deſcribitur à Moyſe Gen. 1. v. 6. 7. & 8. *Dixit quoque Deus: fiat Firmamentum in medio aquarum: & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus Firmamentum, diviſitque aquas, quæ erant ſub Firmamento ab his, quæ erant ſuper Firmamentum. Et factum eſt ita. Vocavitque Deus Firmamentum Cœlum. Et factum eſt veſpere, & mane, dies ſecundus.* Duo hìc negotium faceſſunt. Unum, quid nomine Firmamenti Moyſes intellexerit; alterum, quid ſint aquæ, quæ ſupra Firmamentum eſſe dicuntur.

II. Quod Græcè *Stereome* ideſt latine *Firmamentum* dicitur, Hebraicè *Rakiah* ideſt *expanſum* ſive *extenſum* legitur, quo indicatur, Firmamentum eſſe aliquid expanſum, & extenſum, ſolidum tamen in medio abyſſi, ſeu vaſtitatis à terra uſque ad Cœlum pertingentis poſitum, ceu murum dividentem aquas inferiores à ſuperioribus. Quid ergo ſit hoc Firmamentum, quæſierunt Veteres, quærunt & Recentiores, nec adhuc cuiquam invenire, ac pro certo ſtatuere datum eſt.

III. Aliqui, Firmamentum putant eſſe illudmet Cœlum, quod in exordio libri Geneſis conditum dicitur, cui hac ſecundâ die novum attributur officium dirimendi aquas ſuperiores ab inferioribus. In hanc ſententiam propendit S. Jo. Chryſoſtomus *homil. 4. in Geneſ.* quam velut probabilem admittit D. Thomas 1. *par. qu.* 68. *art.* 1. dicens, quòd ſi nomine Firmamenti intelligatur Cœlum, cùm hoc ſit ſecundùm ſuam naturam incorruptibile, ejus materia non poteſt ſubeſſe alteri formæ, nec potuit fieri ex materia priùs exiſtente. *Unde productio ſubſtantiæ Firmamenti ad opus creationis pertinet. Sed aliqua formatio ejus... pertinet ad opus ſecundæ diei. Sicut etiam Dionyſius dicit 4. cap. de divin. Nomin. quòd lumen Solis fuit informe in primo triduo, & poſtea fuit in quarta die formatum.*

IV. Alii nomine Firmamenti intelligunt Cœlum Sydereum, quod ſecundo die creatum dicunt, cui opinioni favent S. Baſilius *homil.* 3. *in Hexaemeron*, S. Gregorius Nyſſenus *lib.* 1. *contra Eunomium*, S. Ambroſius *lib.* 2. *in Hexaemeron cap.* 4. & Theodoretus *qu.* 11. *in Geneſim*. Qui duos Cœlos agnoſcit: unum luce prius, alterum verò factum poſt lucem: & illud quidem non ex aliqua alia materia, ſed ex nihilo creatum: hoc autem ex aquis formatum, & ideò vocatum Firmamentum. *ſiquidem cùm ex aquarum fluida ſubſtantia compoſitum ſit, & natura fluida condenſata, & conſolidata fuerit, Fir-*

Digitized by Google

mamentum nominatum eſt. *Deinde quia ſurſum collocatum eſt, prioris Cœli uſum commodo noſtro perficiens, Cœli nomen ſortitum eſt.* Quibus videtur Theodoretus aſſerere, hoc Cœlum, quod eſt Firmamentum, eſſe de natura elementari ſecundùm opinionem Empedoclis, vel Platonis, vel Ariſtotelis, quam refert, & improbat D. Thomas hâc *qu. 68. art. 1.* cùm Cœlum debeat eſſe naturâ incorruptibile.

V. Alii propterea Firmamenti nomine intelligunt totam hanc regionem aeris, quæ à terra uſque ad nubes, imò uſque ad Cœlum (quantum noſtro adſpectui patet) porrigitur, ac totam mundi oram circumquâque ambit. Hanc D. Thomas laudatus ſic exponit. *Poteſt autem & alio modo intelligi, ut per Firmamentum, quod legitur ſecundâ die factum, non intelligatur Firmamentum illud, in quo fixæ ſunt Stellæ; ſed illa pars aeris, in qua condenſantur nubes, & dicitur Firmamentum propter ſpiſſitudinem aeris in parte illa. Nam quod eſt ſpiſſum, & ſolidum, dicitur eſſe corpus firmum:* Et addit *ſecundùm hanc opinionem nihil ſequitur repugnans cuicumque opinioni.*

Hanc expoſitionem refert, & laudat S. Auguſtinus *lib. 2. de Geneſi ad litt. cap. 4.* dicens: *Laudabiliter conatus eſt quidam demonſtrare aquas ſuper Cœlos... Et primum quidem, quod facillimum fuit, oſtendit, & hunc aerem Cœlum appellari, non ſolùm ſermone communi, ſecundùm quem dicimus ſerenum, vel nubilum Cęlum, ſed etiam noſtrarum ipſarum conſuetudine Scripturarum, cùm dicuntur* Volatilia Cœli, *cum aves in hoc aere manifeſtum ſit volare, & Dominus cum de nubibus loqueretur;* Faciem, *inquit*, Cœli poteſtis probare, nubes *autem etiam per proximum terris aerem conglobari ſæpè cernimus, cùm per declivia jugorum ita recumbunt, ut plerumque excedantur etiam cacuminibus montium. Cùm ergo probaſſet, hunc aerem Cęlum dici, nullâ aliâ causâ etiam Firmamentum voluit exiſtimari, niſi quia intervallum ejus dividit inter quoſdam vapores aquarum, & iſtas aquas, quæ corpulentiùs in terris fluitant... Hanc ergo diligentiam, conſiderationemque laude digniſſimam judico. Quod enim dixit, neque contra fidem eſt, & in promtu poſito documento credi poteſt.* Ita exponit; approbat, & rationibus munit hanc opinionem S. Auguſtinus. Conſentit S. Hieronymus Epiſt. 82. aliàs 83. ad Oceanum dicens: *Inter Cęlum, & terram medium extruitur Firmamentum.* Adeſt quoque congruentia; nam Moyſes populari ratione loquendi uſus fuiſſe credendus eſt: atqui popularis loquendi modus fert, ut aer Cœli nomine nuncupetur; ergo &c.

VI. In hanc propendere videtur S. Thomas hâc *qu.68.art.1.* ut vidimus: unde ad primum obſervat, quòd Firmamentum non dicitur abſolutè Cœlum, ſicut abſolutè dicitur Cœlum, quod primâ die creatum fuit: ſed dicitur *vocatum* Cœlum, ſicut lux dicitur vocata dies, quod indicare videtur, Firmamentum non eſſe naturâ Cœlum, ſed ſolùm appellatione, & æquivocè Cœlum; ſicut nec lucem eſſe naturâ, ſed appellatione diem. Unde ait: *Per Firmamentum verò ſecundâ die factum intelligitur ſpatium aeris in quo nubes condenſantur, quod etiam Cœlum æquivocè dicitur. Et ideò ad æquivocationem deſignandam ſignanter dicitur:* Vocavit Deus Firmamentum Cœlum, *ſicut & ſupra dixerat*, Vocavit lucem diem, *quia dies etiam pro ſpatio viginti quatuor horarum ponitur.*

VII. Huic opinioni, quæ apud Recentiores videtur communior, & nos ſubſcribimus & dicimus, Firmamentum eſſe ſpatium illud pro illa parte, quâ illam aeris regionem complectitur, in qua nubes condenſantur: tùm propter ſpiſſitudinem aeris in parte illa, quod enim eſt ſpiſſum, & ſolidum dicitur firmum. Tùm quia eſt veluti firmus quidam limes interiacens inter aquas ſuperiores, & inferiores. Regulam tamen præ oculis habentes, quam ex D. Auguſt. *lib. 1. de*

Digitized by Google

de Gen. ad litt. cap. 18. & lib. 12. confeſſ. cap. 23. & 24. nobis præſcribit S. Thomas laudatus, nempè, quòd *in hujuſmodi quæſtionibus duo ſunt obſervanda. Primò quidem, ut veritas Scripturæ inconcuſsè teneatur. Secundò cùm Scriptura divina multipliciter exponi poſſit, quòd nulli expoſitioni aliquis ita præcisè inhæreat, ut, ſi certâ ratione conſtiterit, hoc eſſe falſum, quod aliquis ſenſum Scripturæ eſſe credebat, id nihilominus aſſerere præſumat, ne Scriptura ex hoc ab Infidelibus irrideatur, & ne eis via credendi præcludatur.*

VIII. Quod negotium faceſſit, eſt, primò, quòd quarta die *v.* 17. productis luminaribus, Sole, Lunâ, & Stellis, dicitur *& poſuit eas in Firmamento Cœli, ut lucerent ſuper Terram.* At eas non poſuit in aere expanſo, vel extenſo; ergo nomine Firmamenti non venit aer extenſus.

Secundò. De volatilibus *v.* 20. dicitur, quòd ſint *ſub Firmamento Cœli*, ſi autem Firmamentum eſſet aer à terra expanſus ad Cœlum, non eſſent *ſub*, ſed *in* Firmamento.

Tertiò Daniel. 3. *v.* 58. *& ſequent.* ubi excitantur quaſi per gradus creaturæ omnes ad benedicendum Domino, ſtatim poſt Angelos, & Cœlos ponuntur aquæ ſupra Cœlos, deinde Sol, Luna, & Stellæ, ac ſeparatim imbres, & rores, ac cætera aeris metheora; ergo aquæ quæ ſupra Firmamentum eſſe dicuntur, non ſunt ſupra nubes, ſed ſupra Solem, Lunam, & Stellas.

IX. Reſpondetur tamen. Ad primum dico, Solem, Lunam, & Stellas poſitas fuiſſe in Firmamento, non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm illuminationem, *ut luceant* ſcilicet *in Firmamento Cœli, & illuminent terram.* Quo fit, ut licèt præfata luminaria in Cœlo verè ſint, cùm tamen ratione lucis, quam per univerſam aeris regionem à Cœlo uſque ad terram diffundunt, noſtris obtutibus appareant, ac ſi in ſuprema aeris regione ſint, quæ eſt ſuperior firmamenti pars, Moyſes, qui volebat narrationem ſuam ad ſenſum Vulgi accommodare, ita ea deſcripſerit, ac ſi per hoc ſpatium decurrens inter Cœlum, & terram volverentur. Et hac ratione dicimus, Solem eſſe in noſtro Hemyſphærio, quando in eo lucet, in eoque conſpicitur. Porrò quòd Moyſes ad popoli ſenſum, ac exiſtimationem ſeſe demittere voluerit, apparet, quòd opus quartæ diei commemorans, Lunam appellaverit luminare Magnum: *fecitque Deus* (inquit) *duo luminaria magna*. Cùm tamen certis argumentis demonſtrent Mathematici, Lunam ſyderibus plurimis eſſe magnitudine longè inferiorem.

X. Ad Secundum dico, voſucres eſſe ſub Firmamento, & in Firmamento nimirùm in parte inferiori, & ſub parte ſuperiori: ſicut piſces dicuntur eſſe in aquis, & ſub aquis, & etiam homines in aquis natantes; non quia habeant omnes aquas ſupra ſe, ſed quia ità ſunt in aquis, ut aliquas ſub ſe habeant, alias ſupra ſe & Exod. 20. v. 4. Quædam dicuntur eſſe in aquis ſub terra, licèt ea non ſint, niſi ſub aliqua parte terræ. Sic volucres ſunt ſub Firmamento, quia ſub nubibus volant, & in Firmamento, quia per partem mediam volitant.

XI. Ad tertiam dico, Danielem ſingulas creaturas excitare, non ſecundùm ſituationem, quam in Univerſo habent, ſed ſecundùm diſeretionem, quam unaquæque habet in natura ab aliis. Cujus ſignum eſt, quod imber, ros, pruina, gelu, & frigus, glacies, & nives, noctes, & dies, commemorantur ante lucem, & tenebras; cùm tamen in exordio mundi priùs fuerint tenebræ, poſtea lux, & lux diù ante glaciem, nivem, & imbrem. Addo quòd *Pſalm.* 148. Sol, Luna, & Srellæ, & lumen ſtatim commemorantur poſt Angelos, ac poſtea aquæ, quæ ſuper Cœlos ſunt.

XII. Adverto, quòd Firmamentum hoc dicitur factum ſecundo die, non quòd aer fuerit primò quoad ſubſtantiam

tiam productus, cùm initio temporis unâ cum aliis elementis creatus ſit: ſed quia tunc aer accepit, ut eſſet Firmamentum, nimirùm condenſatus, ut poſſet eſſe quaſi murus, & ſepes dividens aquas ab aquis, eaſque in ſinu ſuo concipiens, & continens, donec ſit tempus, eas in terram effundendi per pluvias. Quare ſecundo die factum eſt, ut aer eſſet firmus quidam limes diſterminans aquas pluviales à terreſtribus. Unde S. Auguſt. lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 10. *Firmamentum* (inquit) *non propter ſtationem, ſed propter firmitatem, aut propter intranſgreſſibilem terminum ſuperiorum, & inferiorum aquarum, vocatum intelligere licet.*

§. II.

De Aquis, quæ ſunt ſuper Firmamentum.

XIII. AQuas eſſe ſupra Firmamentum ſupponit Moyſes Geneſ. 1. v. 7. dùm ait, Deum diviſiſſe aquas, quæ erant ſub Firmamento ab his, quæ erant ſuper Firmamentum. Ex quibus verbis, teſte Auguſtino *lib. de Hæreſ. cap.* 75. quidam hæretici occaſionem ſumſerunt dicendi, aquam non eſſe à Deo creatam, ſed ipſi coæternam; eo quòd ubi rerum omnium creatio deſcribitur, non dicitur, Deum creaſſe aquas, ſed aquas jam exiſtentes diviſiſſe. Sed quamvis Moyſes expreſſam mentionem creationis aquarum non fecerit, dùm tamen dixit terram à Deo creatam, nomine terræ reliqua elementa complexus eſt, & maximè elementum aquæ, utpotè terræ maximè affine. Expreſsè autem aqua creata dicitur Pſalm. 88. v. 12. *Mare tu creaſti.* Pſalm. 148. poſtquam invitantur ad laudandum Dominum Cœli, & aquæ omnes, quæ ſuper Cœlos ſunt, additur v. 5. *Quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt*; & tandem tres pueri excitantes opera Domini ad ei benedicendum, inter iſta aquas recenſent Daniel. 3. v. 60. *benedicite aquæ omnes, quæ ſuper Cœlos ſunt ... v. 77. benedicite fontes Domino ... benedicite maria, & flumina Domino.* Hoc ergo ſuppoſito.

XIV. Quòd aliquæ aquæ ſupra Cœlos, ſeu ſupra Firmamentum ſint, nimis apertè, & conſtanter Sacræ litteræ docent, ut quamvis, quænam ſint illæ aquæ Deo ſoli certum ſit, aliquas tamen aquas ſuper Cœlos eſſe negari non poſſit. Unde S. Auguſt. lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 5. *quoquo autem modo* (inquit) *& qualeſlibet aquæ ibi ſint, eas eſſe ibi minimè dubitemus: major eſt quippe Scripturæ hujus auctoritas, quàm omnis humani ingenii capacitas.*

XV. Multas de hujuſmodi aquis ſupra Cœlos poſitis refert opiniones D. Auguſtinus *lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 1. & ſequent.* Qui nomine Firmamenti Cœlum ſydereum intelligebant, veras aquas ſuper illud vix admittere inducebantur: non enim videtur, ajebant, quomodo ſublime illud Cœlum aquarum pondus ferre poſſit, niſi fingamus, illud tanquam quoddam pavimentum ſolidum, ſoliditas autem terræ quidem propria eſt, non Cœli. Si ergo in Cœlo ſoliditas non eſt, aquæ illæ ſuo pondere ruent: eò vel maximè quòd cùm Cœlum illud ſit igneum, ſi aer, qui eſt multò levior aquâ, ſupra ignem locum habere non poteſt, ut experientia conſtat ex conatu, quo ignis aerem tranſcendere nititur, multò minus aqua ſupra ignem locum habebit.

Quòd ſi dicatur, aquas illas tenuiſſimas eſſe, & ad modum vaporis ſubtiliſſimi; ſicut ergo poteſt aqua, ut videmus in minutiſſimas particulas evaporari, ut ſuper aerem iſtum, qui naturâ levior eſt aquis, feratur: cur non poterit, & ſuper illud levius Cœlum minutioribus guttis, & levioribus immanere vaporibus?

Reſpondebant, hoc fieri non poſ-

ſe; quia cùm Stella, quam vocant Saturni ſit frigidiſſima, aquæ ſupra illam poſitæ, non vaporali tenuitate, ſed glaciali potiùs frigiditate conſiſterent. Sed ab eis quærebatur: *unde illa Stella ſit frigida, quæ tantò ardentior eſſe deberet, quantò ſublimiore Cœlo rapitur. Nam procul dubio, cùm rotunda moles circulari motu agitur, interiora ejus tardiùs eunt, exteriora celeriùs ... Proinde memorata Stella magis debuit calida eſſe, quàm frigida*, plura videre poterit apud S. Auguſt. loco citato Studioſus.

XVI. Quòd aquæ vaporabiliter reſolutæ eleventur ſupra Cœlum ſydereum inveriſimile, imò omnino impoſſibile judicat D. Thomas 1. par. qu. 68. art. 2. *Tùm propter ſoliditatem Cœli. Tùm propter regionem ignis mediam, quæ hujuſmodi vapores conſumeret. Tùm quia locus, quò feruntur levia, & rara, eſt infra concavum orbis Lunæ. Tùm etiam, quia ſenſibiliter apparet, vapores non elevari uſque ad cacumina quorundam montium. Quod etiam dicunt de rarefactione corporis in infinitum, propter hoc, quòd corpus eſt in infinitum diviſibile, vanum eſt. Non enim corpus naturale in infinitum dividitur, aut rareſit, ſed uſque ad certum terminum.* Hæc D. Thomas.

Neque dicere valet, quòd aquæ, quamvis ſint naturaliter graves, virtute tamen divinâ ſuper Cœlos continentur. *Nunc enim* (ait Auguſt. lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 1. apud D. Tho. laudatum ad 1.) *quemadmodum Deus inſtituerit naturas rerum, ſecundùm Scripturam ejus nos convenit quærere; non quid in eis, vel ex eis ad miraculum potentiæ ſuæ, velit operari.*

XVII. Origenes, referente eodem D. Th. loco relato, *in corp.* exiſtimavit, *quòd aquæ illæ, quæ ſuper Cœlos ſunt, ſunt ſpirituales ſubſtantiæ. Unde in Pſalm.* 148. *dicitur*: Aquæ omnes, quæ ſuper Cœlos ſunt, laudent nomen Domini. *Et Dan.* 3. Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper Cœlos ſunt.

Sed contra eſt primò. Quia aquæ inferiores, de quibus ibi Gen. 1. agitur ſunt corporeæ; ergo idem judicium ferendum eſt de aquis ſuperioribus. Secundò. Quia hæc expoſitio minùs accommodata eſt ad captum populi rudis, cui Moyſes ſcribebat, & aliena à narratione hiſtorica. Tertiò. Quia S. Auguſt. licèt *lib.* 13. *Conf. cap.* 15. *&* 32. eam non improbaſſe viſus ſit, eam tamen rejecit *lib.* 2. *retract. cap.* 6. dicens: *& in lib.* 13. *quod dixi*, Firmamentum factum inter ſpirituales aquas ſuperiores, & corporales inferiores, *Non ſatis conſideratè dictum eſt. Res autem in abdito eſt valdè.*

Nullius autem momenti eſſe rationem, quâ utebatur Origenes, oſtendit D. Thomas ibi ex S. Baſilio *homil.* 3. *in Hexaemeron*. Nam quod dicitur Pſalm. 148. & Danielis 3. *Non dictum, eò quòd aquæ ſint rationales natura; ſed quia conſideratio earum prudenter à ſenſum habentibus contemplata, glorificationem perficit Creatoris. Unde ibidem dicitur idem de igne, & grandine, & hujuſmodi, de quibus conſtat, quòd non ſunt rationales creaturæ.*

XVIII. Quid autem nos ſentiamus, abſque verioris expoſitionis præjudicio, ex dictis §. præcedenti apparere poteſt. Cùm enim Firmamentum collocaverimus in ea aeris regione, quæ à terra, & aquis expanditur, & in ea præſertim parte, in qua condenſantur nubes, ubi aer propter ſpiſſitudinem firmior dicitur, & eſt; conſequenter etiam dicimus, quòd aquæ, quæ ſuper Cœlos ſunt, rectè intelliguntur eſſe ejuſdem rationis, ſeu ſpeciei cum elementaribus, nimirùm aquarum terreſtrium vapores tenuiſſimos, qui poſtea, in nubes condenſati pluviam efficiunt. Id enim & hiſtoricæ narrationi ſimplici congruit, & nihil habet repugnans veritati: imò ut ſupra §. præcedenti num. 5. oſtendimus à D. Auguſtino laudatur. Et S. Thomas licèt hoc expreſsè non affirmet, eam tamen ſic proponit hâc qu. 68. art. 1. in corp. & ad 1. quod §. *præcedente nu.* 5. *&* 6. obſervavimus, ut po-

potiùs eam probare videatur, & maximè *quodlibeto* 4. *art.* 3. ubi cum S. Auguſtino *lib.* 2. *de Geneſ. ad litt. cap.* 4. concludit: *Hanc conſiderationem digniſſimam judico, quod enim dicitur, neque contra fidem eſt, & in promtu poſito documento credi poteſt.* Verùm quidem eſt, quòd S. Doctor nulli ex duabus opinionibus de aquis ſupra Cœlos, ſive per Cœlos ſumatur Cœlum Sydereum, ſive aer nubilus, ſive per aquas quodcumque corpus diaphanum, ſive aquæ veræ elementares intelligantur; adeò ut cuique liberum relinquat, pro ut libuerit, opinari.

XIX. Quòd ergo aquæ ſuper Cœlos poſitæ aquæ pluviales in nubibus contentæ ſint, valdè veriſimile redditur ex eo quod Geneſ. 7. v. 11. ubi *Cataractæ Cœli apertæ* dicuntur, quod de illis aquis, quæ ſupra Firmamentum ſunt par eſt intelligi: eo autem capite ſermo eſt de materia aquea in nubibus exiſtente; ergo aquæ, quæ ſuper Cœlos ſunt, rectè intelliguntur illæ, quæ ſunt in nubibus. Maximè quia *Job* 26. *v.* 8. legitur: *Qui ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum.*

XX. Rursùs. Scriptura affirmat, Deum tegere ſuperiora Cœli aquis. Pſalm. 103. v. 3. *Qui tegis aquis ſuperiora ejus*, idest Cœli: deinde ſtatim ſubditur: *Qui ponis nubem aſcenſum tuum:* & Pſalm. 146. v. 8. legitur: *qui operit Cœlum nubibus, & parat terræ pluviam;* ergo aquæ ſuperiora Cœli tegentes, & Cœlum operientes ſunt aquæ pluviales contentæ intrà nubes. Quod & Jeremias indicavit, tùm *cap.* 10. *v.* 13. ubi Deus, inquit, *ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in Cœlo, & elevat nebulas ab extremitatibus terræ.* Tùm *cap.* 51. *v.* 16. ubi de Deo, ait: *Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in Cœlo, qui levat nubes ab extremo terræ.* Aquæ ergo, quæ in Cœlo, ſeu ſuper Cœlum ſunt, nubes aquoſæ, ſeu aquæ in nubibus contentæ rectè exiſtimari poſſunt.

XXI. Hinc facilè explicatur, quâ ratione Firmamentum, ideſt aer, dividat aquas ab aquis, quia vapores, ſeu nubes medio aere dividuntur ab aquis, quæ in terris fluitant. Ita D. Thomas hâc qu. 68. art. 3. ſecundùm hanc opinionem loquens: *Aer verò (inquit) nubiloſus diſtinguit ſuperiorem aeris partem, in qua generantur pluviæ, & hujuſmodi impreſſiones, ab inferiori parte aeris, quæ aquæ connectitur, & ſub nomine aquarum intelligitur.*

Quomodo autem hæc diviſio primò facta, ſit explicari poteſt ſic. Ab initio mundi terra fuit quaſi nebulâ tecta. Die autem ſecundo vapores aqueos ab aquis inferioribus, & terreſtribus Deus ſeparavit, & fecit, quod aer eſſet medius inter utraſquæ illas aquas, eique dedit munus Firmamenti, hoc eſt firmiter, ac ſtabiliter ſuſtinendi aquas illas, ſeu vapores in ea parte, qua nubes concreſcunt, ne cum aquis inferioribus miſceantur. Quamvis ex aquis ſuperioribus aliqua pars per pluviam defluat in terras, & aquis inferioribus miſceatur. Non ſic tamen miſcentur, ut tollatur Firmamentum, hoc eſt aeris interſtitium inter utraſque medium: ſemper enim manent in ſuperioribus aliquæ, & novæ aſcendunt aquæ, ſeu vapores eâ abundantiâ, ut ſemper verum ſit, eſſe ibi aqueos vapores, & proinde aquas ſuper aquas. Sed de his ſatis.

§. III.

Numerus Cœlorum.

Quærit Divus Thomas *artic.* 4. *quæſt.* 68. Utrum ſit tantùm unum Cœlum.

XXI. Supponit S. Doctor, Cœlum tripliciter dici in Scripturis, nimirum propriè, & naturaliter. Secundò per participationem alicujus proprietatis Cœleſtis corporis. Tertiò Metaphoricè.

Quoad primum reſpondet, Chryſoſtomum *homil.* 4. *in Geneſim* unum tan-

tantùm Cœlum propriè, & naturaliter tale admiſiſſe; Baſilium verò *homil.* 3. *in Hexaemeron*; & Damaſcenum *lib.* 2. *Fidei orth. cap.* 6. plures Cœlos admiſiſſe. Hanc tamen diverſitatem magis in voce, quàm in re ſitam eſſe, exiſtimat S. Thomas. *Nam Chryſoſtomus unum Cœlum nominat totum corpus, quod eſt ſupra terram, & aquam. Nam etiam aves, quæ volant in aere, propter hoc dicuntur volucres Cœli. Sed quia in iſto corpore ſunt multæ diſtinctiones, propter hoc Baſilius poſuit plures Cœlos.*

XXII. Tres ergo eſſe Cœlos aſſerit D. Thomas. Primum totaliter lucidum, quod vocat Empyreum. Secundum totaliter diaphanum, quod dicitur Cœlum aqueum, & Chryſtallinum. Tertium partim diaphanum, & partim lucidum actu, quod dicitur Cœlum Sydereum, & hoc dividitur in octo Sphæras. Nempe in ſphæram ſtellarum fixarum, & in ſeptem ſphæras Planetarum & ſecundùm hanc diviſionem dici poſſunt decem Cœli, nempe Lunæ, Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Jovis, Saturni, Cœlum Sydereum, Cœlum aqueum ſeu Chryſtallinum, & Cœlum Empyreum. His multi addunt: undecimum, medium inter Empyreum, & Chryſtallinum, illo inferius, ſuperius iſto, quod vocant Primum Mobile, ad quod *reducunt motum diurnum, qui eſt de Oriente in Occidentem*. Ita D. Tho: in 2.*diſt.* 14. *qu.* 1. *art.* 1. illud vocans *ſphæram decimam*.

Quoad ſecundum reſpondet, Cœlum per participationem alicujus proprietatis corporis Cœleſtis, ſeu veriùs abſtrahens à Cœlo partim propriè, & per participationem dici: & ſic triplex aſſeritur à Damaſceno citato: nempè *Aereum*, & eſt totum ſpatium ab aquis uſque ad orbem Lunæ; *Sydereum*; & aliud *Superius*, de quo intelligitur quod Apoſtolus legitur *raptus uſque ad tertium Cœlum*: & hoc complectitur nonum, decimum, & undecimum.

Quoad Tertium reſpondet, Cœlum metaphoricè pro ſublimitate, & luce accipi. Hoc modo Sanctiſſima Trinitas ejuſque ſublimitas Cœlum dicitur, quò tetenderunt verba Diaboli Iſaiæ 14. *aſcendam in Cœlum*, ideſt ad æqualitatem Dei. Bona etiam ſpiritualia, quibus Sancti remunerantur, Cœli dicuntur Matth. 5. *Merces veſtra multa eſt in Cœlis*. Viſiones quoque ſupernaturales, ſive corporales, ſive imaginariæ, ſive intellectuales Cœlum dicuntur, de quibus Auguſt. *lib.* 12. *ſuper Geneſ. ad litt. cap.* 29. & 34. exponit Pauli raptum uſque ad tertium Cœlum.

DUBIUM IV.

De opere Tertiæ Diei.

§. I.

Aquarum congregatio in locum unum.

I. Opus Tertiæ Diei ita deſcribit Moyſes Gen. 1. v. 9. &c. *Dixit verò Deus; Congregentur aquæ, quæ ſub Cœlo ſunt, in locum unum: & appareat arida: & factum eſt ita. Et vocavit Deus aridam Terram, congregationeſque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus, quòd eſſet bonum. Et ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum .... & factum eſt ita: & Protulit terra herbam virentem .... & vidit Deus, quòd eſſet bonum, & factum eſt veſpere, & mane, dies tertius*. Itaque ſeparatis ſecundâ die aquis ſuperioribus ab inferioribus, ut dictum eſt, cùm aquæ inferiores undequaque terram cooperirent, ac inundarent, quæ propterea inviſibilis adhuc erat, & incompoſita; volens Deus terram apparere, & præparare, ut congrua eſſet hominum habitatio, juſſit, aquas congregari in locum unum, & à terra recedere, ac deinde terram germinare herbas, & plantas, ejuſque imperium opere imple-

pletum eſt. Statim enim aquæ receſſerunt in locum, apparuit terra, & plantas, herbaſque germinavit.

II. Quæres primò: quis ſit ille locus, in quem illæ aquæ congregatæ ſunt?

Reſpondeo, eſſe, vel terræ cavitates, quibus maria continentur; vel meatus ſubterraneos, quibus maria invicem communicare perſpicuum eſt; vel tandem ipſam terræ ſuperficiem, ad quam, ad eam irrigandam, aquæ decurrunt.

III. Quæres ſecundò: quomodo hoc factum ſit? ſi enim omnia terræ loca etiam concava, & ima aquis erant occupata, & plena, quò ad imperium Dei ſe recipere potuerunt aquæ, ut à terrâ diſcederent?

Variè reſpondent Patres. Primò hoc factum fuiſſe, quia aqua, quæ primò erat rarior, & ad inſtar nebulæ terram cooperiebat, poſtea fuerit condenſata, ſervatâ tamen ſuâ naturali proprietate. Hanc reſponſionem indicat S. Auguſtinus *lib. 1. de Geneſ. ad litt. cap. 12.* ubi, repudiatâ opinione dicentium, aquas in altum congregatas fuiſſe, *ſicut fit, cùm ad ventilandum in area meſſis trita ſubrigitur, & congeſta in aggerem nudat locum, quem diffuſa contexerat*; quia campos maris conſtat æquabiliter eſſe fuſos, *qui etiam, cùm aqua fluctuantis quidam velut montes eriguntur, ſedatis rurſus tempeſtatibus complanantur, quin terram iterum cooperiant*, quærit. *Cùm autem totam omnino terram undoſa natura cooperiret, quò cederet, ut nudaret aliquas partes?* Deinde ſubdit. *An fortè rarior aqua, velut nebula, terras tegebat, quæ congregatione ſpiſſata eſt, ut ex multis eas partibus, in quibus arida poſſet apparere, nudaret?* Sed quia adhuc aſſignandus erat locus, in quem aquæ condenſatæ confluerent: ideò

IV. Reſpondet ſecundò, terram præbuiſſe aquis illis concavitates, in quas ſe reciperent. *Quamquam* (inquit) *& terra longè, latèque ſubſiſtens, potuit alias partes præbere concavas, quibus confluentes, & corruentes aquæ reciperentur, & appareret arida ex his partibus, unde humor abſcederet.*

Huic reſponſioni ſubſcribit S. Baſilius *hom. 4. in Hexaemeron*, ubi quærens: *Quò igitur, concavis jam occupatis, collecturæ ſe erant aquæ?* dicit: *Ad hoc ſanè reſpondebimus, præparata tunc fuiſſe receptacula, cùm aquam oporteret in unam ſecerni coacervationem. Neque enim erat illud, quod eſt extra Gades Mare, neque magnum illud, & horrendum navigantibus pelagus .... ſed poſtquam Dei mandato inſtructus eſt locus, tunc in ipſum ſe receepere aquarum copia.*

Quomodo autem iſta receptacula, ſeu cavitates ſtatim fieri potuerint, Deus novit. Per ipſius terræ dilatationem ſentiunt, & diffuſionem ſenſerunt aliqui teſte S. Ambroſius *lib. 3. in Hexaemeron cap. 3.* ipſà aquarum concitatarum vi terram fuiſſe excavatam. *Potuit etiam* (inquit idem Sanctus Ambroſius) *ipſa aquarum vis profundiora ea facere, quæ inſederat, tanto fluctuum motu, tantoque æſtu concitatioris elementi, qui quotidie ima pelagi torquere, & arenas vertere ſoleat de profundo.* Dicunt alii Recentiores, quòd tellus ipſa, quæ antea deſinebat in æquabilem omni ex parte ſphæram, in pluribus ſui partibus altiùs depreſſa, & in immenſum excavata eſt. Hincque factum eſt, ut aliæ illius partes in ingentem altitudinem elatæ ſint, indeque ſurrexerint montes, qui quaſi terræ tumores extiterint. Ita Juenin *Inſtit. Theol. par. 3. diſſert. 2. de Univerſ. product. qu. 3.* Dici etiam poſſe exiſtimarem, cavitates illas fuiſſe ab initio unà cum terra productas, ſed quodam terreo quaſi tegmine coopertas, quæ ad imperium Dei, fracto tegmine, aquas in ſe confluentes tertiâ die receperint.

V. Quæres tertiò: quomodo dixerit Moyſes, aquas fuiſſe congregatas in unum locum, cùm plura ſint aquarum receptacula, maria, lacus, paludes? &c.

Reſ-

Reſpondeo primò cum D. Baſilio *homil.* 4. *in Hexaemeron*, Moyſen non omnes omnino particulares aquarum coacervationes, ſed maximam, & præcipuam Congregationis nomine indicaſſe. *Non ergo* (inquit) *quaslibet aquarum coacervationes congregationis appellatio indicat, ſed præcipuam, & maximam, in qua totum elementum coacervatum oſtenditur*. Sicut ignis dicitur in æthere, vel ſuâ ſphærâ congregatus, quamvis multæ ignis minutiæ noſtro uſui deſerviant; & aer, qui acervatim loca terræ adjacentia occupavit, in exiguas tamen partes per terreſtria corpora diſtribuitur; *Ita & in aqua tametſi parva quadam collectiones fuerunt ſeparata, tamen una eſt congregatio, qua totum à cæteris ſegregat elementum*.

VI. Reſpondeo ſecundò. In illa ſententia, *congregentur aquæ in locum unum*, locum unum intelligi debere *diſtributivè*, hoc eſt, in ſuum quemque locum, vel *confusè*, perinde, ac ſi diceretur: ſingulæ aquarum coacervationes congregentur in aliquem locum à loco terræ diverſum, unaquæque in ſuum; ſicut ſi diceretur: omnes homines habeant ſuum caput, non eſſet ſenſus, quòd omnium hominum fieret unum caput, ſed quòd unaquęque hominum congregatio ſuum caput, qui eam regeret, haberet: ita in caſu de aquis. Unde ſignanter dicitur *congregationes aquarum* [non dixit *congregatio aquarum*] ut indicaret eſſe plures congregationes, non unam; nec dixit *mare*, ſed *maria*.

VII. Quæres quartò: cur dixit Moyſes, ut *appareat arida*, non *ut appareat terra?*

Duplici de cauſa inquit S. Baſilius homil. 4. in Hexaemeron. Primò. *Ne iterum ipſam oſtendat incompoſitam, & canoſam, aqua immixtam, nec dum propriâ formâ, aut virtute indutam*. Secundò. *Simul etiam, ne ariditatis cauſam Soli attribueremus, terra ariditatem generatione Solis effecit Opifex vetuſtiorem*; ut agnoſceremus, ariditatem eſſe terræ proprietatem. Eodem modo reſpondet S. Ambroſius *lib.* 3. *in Hexaemeron. cap.* 4.

§. II.

Germinatio herbarum, ac plantarum.

VIII. Singularis S. Auguſtini ſententia fuit, arbores, & plantas, tertia die cauſaliter ſolùm, & in ſemine productas fuiſſe. Ita *lib.* 5. *de Geneſ. ad litt. cap.* 4. ubi poſt multas *cauſaliter ergo* (inquit) *tunc dictum eſt, produxiſſe terram, herbam, & lignum, ideſt producendi accepiſſe virtutem. In ea quippe jam tanquam in radicibus, ut ita dixerim, temporum facta erant, quæ per tempora futura erant.*

IX. Verùm reliqui Patres, Baſilius *homil.* 5. *in Hexaemeron.* Ambroſius *lib.* 3. *in Hexaemer. cap.* 8. Chryſoſtomus *homil.* 5. *in Geneſim* oppoſitum ſentiunt, nimirùm, terram non ſolùm virtutem producendi tunc accepiſſe; ſed actu ſtatim protuliſſe omnes herbarum, & plantarum ſpecies, eaſque adultas, & vel omnes, vel ſaltem aliquas cum maturo fructu. Et hæc ſententia magis congruit narrationi Moyſis, qui refert, quòd ſtatim ac dixit Deus: *Germinet terra herbam virentem &c. Protulit terra herbam virentem.... lignumque quodque faciens fructum, & habens unumquodque ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam*. Inde *Geneſ.* 2. v. 5. dicitur, quòd Deus omnipotenti ſuâ virtute *fecit omne virgultum agri, antequam*, vi & modo naturali, *oriretur in terra, omnemque herbam regionis priuſquam germinaret*, ideſt priuſquam humano opere ſata, Solis calore fota, Deo ſic faciente, germinavit. Quare ſingulari Dei providentiâ hoc factum aſſerunt prælaudati Patres: futuri enim erant, qui germina terræ, & plantarum fructus, ſive labori hominum, ſive Solis influxibus, ſive pluviis fæcundantibus potiùs, quàm Deo adjudicarent. Ad præ-

Digitized by Google

præcludendos ergo hos errores, ante opus hominis, ante pluviam, ante Solis productionem, terram germinare fecit herbas, plantas &c. ut ad Dei virtutem hæc omnia referrentur: & propterea citato loco ex *Geneſ.* 2. *v.* 5. additur: *Non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat, qui operaretur terram*, & ſequenti die Solis, & luminarium productio narratur. Videantur relati Patres, ac præſertim Chryſoſtomus *hom.* 5. *in Geneſ.* Et Ambroſ. *lib.* 4. *in Hexaemeron cap.* 1. & *lib* 3. *cap.* 6.

X. S. Thomas, etſi in venerationem S. Auguſtini probabilem admittat ejus ſententiam 1. *par. qu.* 69. *art.* 2. hanc tamen amplectitur: unde verba illa *antequam oriretur in terra, & antequam germinaret*, in quibus opinio Auguſtini fundatur, exponit ſic: *ideſt antequam ex ſimilibus ſimilia producerentur. Sicut nunc naturaliter fieri videmus ſecundùm viam ſeminationis. Unde ſignanter Scriptura dicit*: Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen: *quia ſcilicet ſunt producta perfecta ſpecies plantarum, ex quibus ſemina aliarum orirentur. Nec refert, ubicumque habeant vim ſeminativam, utrum ſcilicet in radice, vel in ſtipite, vel in fructu.*

XI. Dices. Saltem tribuli, & ſpinæ, quæ *Geneſ.* 3. *v.* 17. & 18. productæ dicuntur in maledictionem terræ ob peccatum, actu tertiâ die non germinarunt.

Reſpondet D. Thomas ibi ad ſecundum, quòd *etiam ante illam maledictionem ſpinæ, & tribuli producti erant ... ſed non erant producti homini in pœnam, ut ſcilicet terra, quam propter cibum coleret, infructuoſa quadam, & noxia germinaret; unde dictum eſt*: Germinabit tibi. Hanc reſponſionem hauſerat ex S. Auguſtino *lib.* 3. *de Geneſ. ad litt. cap.* 18. qui addit: *Non quòd aliis locis hæc antea naſcerentur, & poſt in agris, quos homo ad capiendas fruges coleret; ſed & priùs, & poſtea in eiſdem locis, priùs tamen non homini, poſt autem homini, ut hoc ſignificetur, quod additum eſt* tibi, *quia non eſt dictum, ſpinas, & tribulos pariet, ſed*, pariet tibi, *ideſt, ut tibi jam iſta naſci incipiant ad laborem, quæ ad paſtum tantummodo aliis animalibus antea naſcebantur.*

XII. Eâdem ratione credere par eſt, terram germinaſſe tunc etiam herbas noxias, ac venenoſas: quæ licèt ſint homini ſic noxia, illi tamen nunc ſunt in remedium, & tunc fuiſſent quibuſdam animalibus ad edendum utiliſſimæ. Hinc S. Baſilius homil. 5. in Hexaemeron: *& ſtatim*, inquit, *unâ cum edulibus prolata ſunt nociva, cicuta cum frumento, cum eſculentis reliquis helleborus, aconitum, Mandragora, papaveris ſuccus.* Et inferiùs: *Nihil autem horum fruſtrà, nihil eſt inutiliter in lucem editum. Aut enim alicui brutorum animalium ſubminiſtrant alimentum, aut etiam nobis ipſis à medica arte ad deliniendas quaſdam ægrotationes inventa ſunt &c.* Idem S. Ambroſius *lib.* 3. *Hexaemer. cap.* 9. Quòd verò dixerit Deus homini Geneſ. 1. v. 29. *ecce dedi vobis omnem herbam &c. ut ſint vobis in eſcam*, diſtributio eſt accommoda, pro omni herba comeſtibili.

XIII. De marmoribus, metallis, & mineralibus, quæ pertinent ad formationem terræ, veriſimile eſt, productæ fuiſſe tertiâ die: ſunt enim quodammodo ſemina terræ. De iis tamen Moyſes non meminit, ait D. Th. relatus ad 3. quia *Moyſes ea tantùm propoſuit, quæ in manifeſto apparent, ſicut jam dictum eſt* (qu. 67. art. 4.) *corpora autem mineralia habent generationem occultam in viſceribus terræ. Et iterùm non habent manifeſtam diſtinctionem à terra, ſed quædam terræ ſpecies videntur; & ideò de eis mentionem non fecit.*

XIV. De Paradiſo terreſtri, ac plantis in ipſo poſitis, an hac tertiâ die fuerint producta, ſentit D. Thomas 1. *part. qu.* 102. *art.* 1. *ad* 5. eodem modo, ac de aliis plantis diſcurrendum

dum eſſe, nimirùm ſecundùm Auguſtinum productas ſolùm cauſaliter tertiâ Die, & ſolùm in actu poſt opera ſex dierum. *Secundùm verò alios ſanctos oportet dicere, quòd omnes plantæ productæ ſunt in actu tertio die, & etiam ligna paradiſi. Sed quod dicitur de plantatione lignorum Paradiſi poſt opera ſex dierum, intelligitur, per recapitulationem dictum. Unde littera noſtra habet:* Plantaverat Dominus Deus hortum voluptatis à Principio. Hæc D. Thom. Sed de hoc, ſi Deus dederit, fuſior erit ſermo alibi.

DUBIUM V.

De opere quartæ Diei.

§. I.

Productio Luminarium.

I. QUartâ Die, refert Moyſes, Gen. 1. v. 14. &c. Dixit Deus: *Fiant luminaria in Firmamento Cœli, & dividant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, ut luceant in Firmamento Cœli, & illuminent terram. Et factum eſt ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præeſſet diei; & luminare minus, ut præeſſet nocti: & ſtellas. Et poſuit eas in Firmamento Cœli, ut lucerent ſuper terram, & præeſſent diei, ac nocti, & dividerent lucem, ac tenebras. Et vidit Deus, quòd eſſet bonum. Et factum eſt veſpere, & mane, dies quartus.*

II. Quæritur hic, quomodo intelligendum ſit, Solem, Lunam, & Stellas hâc quartâ die factas fuiſſe, an ſcilicet quoad ſubſtantiam primò conditas, an verò ſolùm novâ virtute, & ornatu donatas.

Patres, qui, ut diximus, volunt lucem primo die creatam, & quæ tres priores diſtinxit, non fuiſſe lucem Solis, ſed vel primò conſervatam ſine ſubjecto, vel lucem nubis, quæ quartâ die producto Sole reſoluta fuerit, vel ex ea Sol fuerit formatus, vel in Solem converſa, conſequenter dicunt, quartâ die Solem, ac cætera luminaria primò, & quoad ſubſtantiam producta fuiſſe. Nos verò, qui ſuperiùs *Dub.* 1. §. 3. *nu.* 23. & 24. *Dub.* 2. §. 2. *nu.* 13. & §. 4. *nu.* 36. & *Dub.* 3. §. 1. *nu.* 9. probabilius cum D. Tho. judicavimus, omnes orbes Cœleſtes, ac etiam Solem, Lunam, & Sydera primo die quoad ſubſtantiam creata fuiſſe cum luce ſaltem informi, & motu communi omnibus Cœlis diſtinguente diem à nocte, qui vocatur diurnus, cohærenter dicimus, luminaria dici facta quartâ die, per acceſſionem formæ accidentariæ, & per collationem determinatæ virtutis ad determinatos effectus. Lux enim, primorum dierum fuit informis, imperfecta, & valdè exigua, ſolùm vim habens diſtinguendi diem à nocte; quartâ autem die aucta, & virtute ad plures alios effectus, quos nunc in Sole, Luna, & Syderibus præſtat, donata fuit; ſingulis etiam aſtris virtus propria collata, ea reddidit potentia varia producere: unde videmus, alia à radiis Solis, alia à radiis Lunæ, & ſic de aliis provenire. Rectè igitur quarto die dicuntur facta, quia tunc eis data eſt lux, & virtus in ea perfectione, quam nunc habent, & quam eorum conditio poſtulat, ſecundùm quam alia ab aliis peculiariter diſtinguuntur.

III. Hoc docuit D. Tho. hâc 1. *part. qu.* 67. *art.* 4. *ad* 2. & hâc *qu.* 70. *art.* 1. *ad* 3. ubi ait, *quòd in prima die facta eſt communis diſtinctio temporis per diem, & noctem ſecundùm motum diurnum, qui eſt communis totius Cœli, qui poteſt intelligi incæpiſſe primo die; ſed ſpeciales diſtinctiones dierum, & temporum, ſecundùm quòd dies eſt calidior die, & tempus tempore, & annus anno, ſiunt ſecundùm ſpeciales motus Stellarum, qui poſſunt intelligi quarto die incæpiſſe.* Clariùs autem in 2. ſent. tùm diſt. 13. qu. 1. art. 4. ad

4. Su-

4. *Subſtantia* (inquit) *corporis Solaris à principio creationis in ſua forma ſubſtantiali fuit, unde ipſum corpus lucidum ſubſtantia Solis fuit: ſed dicitur ex eo Sol quartâ die factus per additionem novæ virtutis, ſicut dicitur ex homine non muſico fieri homo muſicus.* Tùm etiam diſt. 15. qu. 1. art. 1. ad 1. ubi ait: *Hoc quod dicitur, fiant luminaria in Firmamento Cœli, non intelligitur, quòd hujuſmodi corpora luminarium ſecundùm eſſe ſuum ſpecificum ex præjacenti materia facta ſint: ſed eorum ſubſtantiâ priùs exiſtente, tunc primò virtutes determinatæ eis collatæ ſunt, ex quo ultimum complementum ſui acquiſiere.* Conferantur quæ docet *qu. 4. de potentia art. 4. ad 8. & 10.*

IV. Ex quibus, & ex iis, quæ habet hàc 1. *p. qu. 67. art. 4. ad 2.* ſic diſcurro. Si Sol quoad ſubſtantiam ſolùm quartâ die factus fuit, illa lux, quæ diſtinguens lucem à tenebris, diem à nocte creata primo die refertur, quid fuit? non fuit accidens conſervatum tribus diebus prioribus extra omne ſubjectum, deinde quartâ die collocata in Sole: quia hoc ſine miraculo fieri non potuiſſet. In prima autem rerum conditione miraculum non quæritur, nec quid Deus poſſit, ſed quid rerum natura exigat. Non fuit nubes, quæ producto Sole, tranſierit in præjacentem materiam; quia Geneſis commemorat inſtitutionem rerum, quæ perſeverant. Non fuit illa nubes quartâ die conjuncta Soli, ut ab eo diſcerni non poſſit; quia illa nubes modò ſuperflua eſſet. Non fuit ex illa nube factum corpus Solare, nam aliàs Sol non eſſet naturâ ſuâ incorruptibilis, ſed de natura quatuor elementorum, cum materia ejus fuiſſet ſub alia forma, quod eſto aliqui, etiam ex Patribus admittant, concedendum non eſt. Relinquitur ergo, quòd lux illa primo die creata fuerit corpus Solare cum luce ſufficiente quidem ad diſcernendum diem à nocte, ſed informi, & nondum auctâ virtute ad producendos determinatos effectus, ut modò, ditata. Quod augmentum virtutis rudi illi populo exprimere volens Moyſes, illud ita deſcripſit, ac ſi de novo Sol, & cætera luminaria producta fuiſſent; quia eſto de novo quoad ſubſtantiam producta non fuerint, de novo tamen facta fuerunt ad noſtros uſus, ac utilitatem: ſicut de novo dicitur fieri Rex, cum incipit regere, & Regni utilitatem procurare. Ita probabiliter ex S. Thomæ doctrina, ſalvâ aliorum placitorum probabilitate.

§. II.

An orbes Cœleſtes ſint animati?

V. ORbes Cœleſtes eſſe animatos celebre fuit apud antiquos: ut enim refert D. Thomas 1. *par. qu. 70. art.* 3. ex S. Auguſtino *lib.* 18. *de Civitate Dei capite* 41. Anaxagoras factus eſt reus apud Athenienſes, quia dixit, Solem eſſe lapidem ardentem, negans utique, ipſum eſſe Deum, vel aliquid animatum. Quam opinionem maximè viguiſſe crediderim apud eos, qui Solem, ac Sydera colebant, tanquam Numina: non enim coluiſſent, ſi ea res inanimes exiſtimaſſent. Platonici ſimiliter poſuerunt corpora Cœleſtia eſſe animata.

VI. Similiter apud Doctores fidei locum obtinuit hæc opinio. *Origenes enim* lib. 1. Periarch. cap. 7. (ait D. Thomas) *poſuit corpora Cœleſtia animata*: Hieronymus idem ſentire videtur in cap. 1. Eccleſiaſtæ, ubi dicit, Solem nominari *ſpiritum*, quòd *animet, ſpiret, & vigeat*. Quamvis id non ex ſua ſententia dixiſſe Hieronymus rectiùs credatur, cùm *epiſt.* 59. nunc 94. *ad Avitum*, inter errores Origenis recenſeat quòd dixerit, Solem, Lunam, & reliqua aſtra eſſe animantia. Sanctus verò Auguſt. *lib.* 2. *de Geneſ. ad litt. cap.* 18. hærere videtur, an Cœli luminaria à Spiritibus rectoribus ſic *etiam vitaliter inſpirentur, ſicut animantur carnes per animas ani-*

malium, an ſolà ſine ulla permixtione præſentiâ. Et in Enchirid. cap. 58. ait: *Sed ne illud quidem certum habeo, utrum ad eandem ſocietatem* (Angelorum) *pertineant Sol, & Luna, & cuncta Sydera, quamvis nonnullis lucida corpora eſſe, non cum ſenſu, vel intelligentia, videantur*.

VII. Baſilius verò homil. 3. in Hexaemer. Non eſſe animatos Cœlos ſentit: *neque enim* (inquit) *animati ſunt Cæli, eo quòd* Dei enarrant gloriam: *neque Firmamentum animal eſt ſenſu præditum, eò quòd* opus manuum ipſius annunciat. Unde Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 6. ait: *nullus porrò Cælos, aut luminaria animata eſſe arbitretur: anima quippe & ſenſu carent*. Cùmque in Sacris Litteris invitantur ad lætandum, laudandum &c. dicit, hoc eſſe per *proſopajam* dictum, qua *de inanimis perinde, ac de animatis loqui ſolet Scriptura*. Ita ſentiunt omnes Catholici cum D. Tho. hâc *qu. 70. art. 3.* adeò, ut oppoſitum cenſeatur in fide parùm tutum: cujus oppoſitum eſto D. Thomas ob auctoritatem Auguſtini non quidem *aſſerendo*, ſed dubitando ſentire videatur 2. *Contragentes cap. 70.* ſuam tamen mentem aperiens *qu. un. de ſpirit. creaturis art. 6. in corp.* ait: *ſic igitur negandum eſt, corpora Cæleſtia eſſe animata eo modo, quo iſta inferiora corpora animantur: non eſt tamen negandum, corpora Cæleſtia eſſe animata, ſi per animationem nihil aliud intelligatur, quàm unio moventis ad mobile*: addens, quòd licèt Auguſtinus ſub dubio relinquat utrumque, *dicendum eſt, quòd habent rectores Spiritus, à quibus tamen non ſic animantur, ſicut inferiora à ſuis animabus*. Et conformiter ad hæc reſolvit hâc *qu. 70. art. 3.* Quâ ratione judicat, poſſe conciliari eos, qui ponunt Cœlos eſſe animatos, cum illis, qui hoc negant; nimirùm, ut priores intelligantur de anima, ſeu intelligentia purè aſſiſtente, ſicut motor adeſt mobili contactu virtutis, ac proinde ſolùm æquivocè: poſteriores autem, de anima, ut informante, & ut parte componente unam ſubſtantiam, & conſequenter propriè.

VIII. Porrò Cœlos non eſſe animatos propriè hâc ratione oſtendit hoc art. 3. Cœli enim luminaria animata non ſunt animâ vegetativâ; quia operationes hujus, quæ ſunt nutritio, augmentatio, & generatio, non poſſunt convenire Cœlis, qui ſuâ naturâ ſunt incorruptibiles. Non animâ ſenſitiva: tùm quia operationes ſenſuum fundantur in tactu, qui eſt apprehenſivus qualitatum elementarium, quæ in corporibus Cœleſtibus non ſunt: tùm quia organa ipſa ſenſuum ex proportionata elementorum commixtione conſtituuntur. Non denique animâ intellectivâ; quia hæc ſupponit ſenſum in eo corpore, cui unitur tanquam forma, cùm non poſſit operationem intelligendi unita Corpori elicere, niſi per ſenſus miniſtrentur ei phantaſmata: unde ſi in Cœlis non eſt ſenſus, nec poterit eſſe operatio intelligendi, & conſequenter nec volendi, quia operatio volendi neceſſariò ſupponit operationem intelligendi.

IX. Neque, quòd Cœleſtia corpora influant, & ſint cauſa viventium, quod maximè patet in animalibus, qui ex putrefactione generantur, quæ virtute Solis, & Stellarum generari, non pauci ſentiunt. = Nam ad hæc non concurrunt corpora Cœleſtia, ut cauſæ principales, & virtute propriâ; ſed ut inſtrumenta, & virtute ſui Motoris, qui, cùm ſit ſubſtantia vivens, poteſt cauſare vitam. Ita D. Thom. *hâc qu. 70. art. 3. ad 3. & quæſt. de Spirit. creat. art. 6. ad 12.*

X. Neque refert, quòd *Pſalm. 18.* dicatur, Cœlos narrare gloriam; quod *Baruch. 3. v. 35.* dicatur: *Stellæ vocatæ ſunt, & dixerunt, adſumus*. = Nam ad primum reſpondet D. Thom. qu. citatâ de Spirit. creat. art. 6. ad 14. quòd *Cœli dicuntur enarrare gloriam Dei, laudare, & exultare materialiter, inquantùm ſunt hominibus materia laudandi, vel enarrandi, vel exul-*

Digitized by Google

exultandi: ſimilia enim inveniuntur in Scripturis, de montibus, & collibus, & aliis inanimatis creaturis. = Ad ſecundum dicitur, ſermonem eſſe figuratum, ad ſignificandam efficaciam divinæ operationis, ad quam res inanimatæ ſtatim adſunt, perinde ac ſi ratione præditæ eſſent. Aliàs concludi poſſet, ventos, mare, famem eſſe viventia ratione prædita, cùm *Matt.* 8. *v.* 27. dicantur venti, & mare obedire Chriſto; & *Pſalm.* 104. *v.* 16. fames dicatur vocari à Deo ſuper terram.

DUBIUM VI.

De opere quintæ Diei, & ſextæ.

§. I.

De opere quintæ Dei.

I. Opus quintæ Diei ſic à Moyſe deſcribitur. Geneſ. 1. verſ. 20. &c. *Dixit etiam Deus: producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub Firmamento Cœli. Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem ... & vidit Deus, quod eſſet bonum. Benedixitque eis dicens: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas Maris, aveſque multiplicentur ſuper terram. Et factum eſt veſpere, & mane dies quintus.*

II. Hìc nomine *reptile* piſces intelliguntur, quia, ut colubri in terra repunt, ita piſces in aquis: pedibus enim carent; & ſi qui habent, ut *amphibia*, ideſt, qui tam in aquis, quàm in terra degunt, illis utuntur tanquam remis ad reptandum, & quaſi remigandum: ut ſunt crocodili, equi pluviales &c. Ita S. Ambroſ. *lib.* 5. *in Hexaemer. cap.* 1.

III. Ex aquis etiam productæ dicuntur aves, quæ ſunt velut quidam piſces aeris, aerem findentes, & alis ſuis per aerem velut natantes. Dicuntur etiam aves productæ ex aquis, ſicut & piſces, nempe rarioribus, ut docet S. Auguſtinus. Nam ut ait lib. 3. de Geneſ. ad litter. cap. 3. *Utrumque hoc animantium genus ex aquis productum eſſe narratur. Quidquid ergo aquarum ſive labiliter undoſum, & fluidum eſt, ſive vaporaliter tenuatum, atque ſuſpenſum, ut illud reptilibus animarum vivarum, hoc volatilibus appareat diſtributum, utrumque tamen humida natura deputatur.* Et lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 15. ſcribit, quòd aer, ut ſuſtinendis avibus ſit idoneus, humidis, & aqueis exhalationibus pingueſcere debet: nam in puriſſimo aere aves volare non poſſunt, & propterea refert, in montis Olympi culmine, quod nubes omnes excedere dicitur, nec aves volare, nec homines reſpirare poſſe, niſi ſpongiam humectatam naribus applicando. Meritò igitur quidquid aquæ, ſive fluidum, ſive vaporaliter attenuatum, atque ſuſpenſum aqueæ naturæ dicitur. Videri poſſunt Baſilius *homil.* 8. *in Hexaemeron*. Et S. Ambroſ. *lib.* 5. *in Hexaemer. cap.* 14. convenientiam inter natatum piſcium, & volatum avium aſſignantes.

IV. Ex aquis ergo variis de cauſis productæ dicuntur aves, ſicut & piſces (ex aquis inquam tanquam ex cauſa materiali, non efficiente) quarum prima eſt convenientia loci, aquæ ſcilicet cum aere; ambo enim ſunt corpora diaphana, humida, & quæ facilè cedunt. Secundo, quia aer, per quem volant aves, eſt plenus humore aqueo, & facilè in aquam reſolubilis. Tertia, quia & avium, & piſcium corpora quandam habent tùm levitatem, tùm agilitatem. Quarta, quia conveniunt in temperamento; tam enim in avibus, quàm in piſcibus prædominatur humor aqueus, eſto in iſtis craſſior, in illis verò ſubtilior: hinc multæ aves ſunt aquatiles, ut cycni, anſeres, anates, &c.

V. Neque obeſt, quòd Geneſ. 2. v. 19. dicatur. *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus Cœli.* Neque

que quòd textus Hebraicus legat: non *producant aquæ .... volatile ſuper terram*: ſed: *Volatile volet ſuper terram*.

Nam ad primum ex D. Auguſt. lib. 9. de Geneſ. ad litt. cap. 1. dico, vel ly *de humo* cadere ſolùm ſuper *animantia terræ*, non verò ſuper volatilia Cœli; *ut volatilia Cœli etiam tacente Scripturâ, intelligamus, unde finxerit, velut qui ſciamus ...., ex aquis ea eſſe producta*. Vel nomine *humi*, ſeu terræ univerſaliter ſic appellatæ, intelligi etiam aquas, ſicut cùm dicitur: *laudate Dominum de terra, ſecundùm iſtam univerſalem appellationem terræ, ſecundùm quàm etiam de toto mundo dicitur, Deus qui fecit Cœlum, & terram; ſive de arida, ſive de aquis quæcumque creata ſunt, de terra creata veraciter intelliguntur*.

Ad ſecundam, dico primò, ſtandum eſſe Verſioni noſtræ Vulgatæ, quam ut authenticam probabvit Eccleſia. Secundò, textum Hebraicum convenire cum noſtro, ſubaudiendo pronomen *quod*, hoc modo, *& volatile, quod volet ſuper terram*. Nam in hebræo hoc pronomen frequenter ſubintelligitur, unde fiet ſenſus: *producant aqua reptile .... & volatile volans, ſeu quod volet ſuper terram*.

VI. Addit Moyſes: *Creavitque Deus cete grandia*. Duas, inquiunt Judæi, balenas, Enoch, & Leviathan, cum quorum altera Deus quotidie ludat, alteram occiſam juſtis ad epulandum reſervet: ita periit ſapientia à Sapientibus. Sed hæ fabulæ ſunt. *Cete grandia* ſunt piſces maximi, ita ut, inquit Baſilius *homil. 7. in Hexaemer.* & poſt eum Ambroſ. lib. 5. in Hexaem. cap. 11. *ſi quando ſupernatant fluctibus, annatare inſulas putes*, quorum nonnullos, refert Plinius *lib.* 9. eſſe in Athlantico Mari 960. pedum, ſeu quatuor jugerum.

VII. Deinde avibus, & piſcibus benedixit Deus, fæcunditatem eis tribuendo; unde addidit *creſcite, & multiplicamini*. Hujus benedictionis effectus eſt illa maxima fœcunditas avium, maximèque piſcium, ex abundantia humoris, & ovorum procreatione nata, quæ animalibus terreſtribus deſunt: etſi enim Recentiores quidam, etiam terreſtria animalia ex ovis in fœmina conceptis velint procreari, hæc tamen in tanta quantitate non ſunt, ſicut in avibus, & maximè piſcibus.

§. II.

De opere ſexta Dei.

VIII. Sextâ Die animalia terreſtria, & homo producta ſunt. Ita Moyſes Geneſ. 1. v. 24. *Dixit quoque Deus producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia & beſtias terræ, ſecundùm ſpecies ſuas. Factumque eſt ita. Et fecit Deus beſtias terræ .... & vidit Deus, quòd eſſet bonum. Et ait: faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*.

IX. Prior pars textus explicatur. Per animam viventem intelligit Moyſes animalia terreſtria, quæ in tres claſſes dividuntur; in *Jumenta* à juvando dicta, quia ſunt in adjumentum hominum; tùm ad laborem, ut equi, cameli, boves; tùm etiam ad cibum, ut oves, vituli, ac boves ipſi: in *Reptilia*, quæ ſuper terram, aut repunt ut Serpentes, vel ſaltitant ut lacerti, locuſtæ: in *Beſtias terræ*, hoc eſt, quod animalium reliquum eſt; & maximè feræ, ſive noxiæ hominibus, ſive non. Non enim citra peccatum ei nocuiſſent, ſed ejus paruiſſent imperio, ut in hac mortali vita Paulo vipera obedivit; & Leones Danieli. Ita Auguſtinus *lib. 3. de Geneſ. ad litt. cap.* 15. docet animalia, cùm jam creata eſſent innoxia, nonniſi poſtea peccatoribus nocere cæperunt; & cap. 16. dicit beſtias ſibi invicem nocere, quibus nec ulla peccata ſunt, *quia ſcilicet alia cibi ſunt aliarum*. Imò ex ipſis animalibus etſi noxis, nullum eſt, ex quo non trahat homo aliquid in re-

tiam.

Digitized by Google

medium ſeu utilitatem, de quo S. Auguſt. *lib.* 1. *de Geneſ. contra Manich. cap.* 15. & nos aliqua ſuperiùs diximus.

De animalibus imperfectis quæſtio eſt, iis ſcilicet, quæ ex ſudore, exhalatione, & putrefactione naſcuntur, ut pulices, & vermiculi, de quibus

X. Reſpondeo cum D. Auguſtino *lib.* 3. *de Geneſ. ad litt. cap.* 14. ejuſmodi animalia, alia eſſe, quæ ex animalium vitiis corruptione, vel putrefactione oriuntur. Alia, quæ naturaliter oriuntur ex corruptione aquæ, terræ, ligni, plantarum. Poſteriora hæc cenſet S. Auguſtinus fuiſſe actu producta tertiâ die, quando apparente terrâ cæperunt ex ea germinare herbæ, & plantæ. Priora verò abſurdum reputat credere, fuiſſe actu creata, quando animalia producta ſunt, ſed tantùm virtute. *Cætera verò, quæ de animalium gignuntur corporibus, & maximè mortuorum, abſurdiſſimum eſt dicere, tunc creata, cùm animalia ipſa creata ſunt: niſi quia inerat jam omnibus animatis corporibus vis quadam naturalis, & quaſi præſeminata, & quodammodo liciata primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro ſuo quæque genere, ac differentiis, erant exortura.* Ita quoque ſentit S. Thomas 1. *par. qu.* 72. *art. unic. ad* 5. & *qu.* 73. *art.* 1. *ad* 3. ubi etiam docet, animalia, quæ ex congreſſu diverſarum ſpecierum generantur, ut mulus ex equa, & aſino, lynx ex lupo, & cerva, leopardus ex leæna, & pardo, non fuiſſe ſexto die creata actu, ſed ſolùm cauſaliter, inquantùm in aliis animalibus tunc productis fuit virtus illa producendi.

XI. Poſterior verò pars de hominis productione multa involvit conſideratione digna, imò Candidato neceſſaria ſcitu, de qua cùm S. Thomas ſpecialem inſtituat Tractatum à *qu.* 90. *ad qu.* 103. ideò, & nos ſpeciali Tractatu eam complectemur.

XII. His omnibus perfectis, quæ ad creationem, formationem, & ornatum mundi pertinent, dicit Moyſes Gen. 2. v. 2. Deus *requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat*, ideſt ceſſavit à novis creaturarum ſpeciebus producendis, non tamen ab opere, quo, vel creaturam conſervat, vel univerſam creaturam adminiſtrat. Ita D. Thom. 1. *par. qu.* 73. *art.* 2. *ad* 1. & *in corp. ejuſdem art.* explicans, quomodo Deus requieverit, ait: *Requies dupliciter accipitur. Uno modo pro ceſſatione ab operibus. Alio modo pro impletione deſiderii. Et utroque modo dicitur Deus requieviſſe die ſeptimâ. Primò quidem, quia die ſeptimâ ceſſavit novas creaturas condere; nihil enim poſtea fecit, quod non aliquomodò præceſſerit in primis operibus, ut dictum eſt* (qu. 69. art. 2. & art. præced. ad 3.) *Alio modo ſecundùm quòd rebus conditis ipſe non indigebat, ſed ſeipſo fruendo beatus eſt. Unde poſt conditionem omnium operum, nòn dicitur, quòd* in ſuis operibus requievit, *quaſi eis ad ſuam beatitudinem indigens; ſed* ab eis requievit, *utique in ſeipſo, quia ſufficit ſibi, & implet deſiderium ſuum. Et quamvis ab æterno in ſe ipſo requieverit: tamen quòd poſt opera condita in ſe ipſo requievit, hoc pertinet ad ſeptimum diem, & hoc eſt ab operibus requieſcere, ut Auguſtinus dicit lib. 4. de Geneſ. ad litt. cap.* 15. Ita D. Thomas. His igitur de Deo Creatore generatim Tractatu completo, & nos requieſcamus.

Digitized by Google

TRACTATUS
DE DEO CREATORE
ANGELORUM.

DEum eſſe Creatorem Angelorum, quamvis Moyſes de generali rerum omnium productione diſſerens non meminerit, certum tamen eſt, ut videbimus. Angelorum autem nomine intelligimus ſubſtantias quaſdam veluti medias inter Deum, & homines, inferiores quidem Deo, ſuperiores autem homine. Porrò *Angeli* nomen non ſignificat ſubſtantiam, ſed officium; idem enim eſt, ac *Nuncius*, ſeu *miſſus*. Hinc à Græcis Mercurius, cùm putaretur Jovis eſſe Nuncius, Iris ſerenitatis, Aurora Solis, hoc nomine vocabantur. Quapropter, D. Gregor. *homil.* 34. in Evangelia, *Angelorum vocabulum* (inquit) *nomen eſt officii, non naturæ. Nam ſancti illi Cœleſtis patriæ Spiritus ſemper quidem ſunt Spiritus, ſed ſemper vocari Angeli nequaquam poſſunt; quia tunc ſolùm ſunt Angeli, cùm per eos aliqua nunciantur.* Quod ante docuerat D. Auguſt. *in Pſal.* 102. dicens: *Quæris nomen hujus naturæ, Spiritus eſt: quæris officium, Angelus eſt. Ex eo quod eſt, Spiritus eſt; ex eo quod agit, Angelus eſt. Vide illud in homine. Nomen naturæ homo, officii miles &c.* Quamvis autem, teſte eodem Gregorio *ibid.* relato à D. Thom. 1. *par. qu.* 112. *art.* 2. ex D. Dionyſio, ſoli Angeli inferiorum Ordinum foras ad miniſterium mitti dicantur: *Nam ſuperiora illa agmina ab intimis nunquam recedunt; quoniam ea, quæ præeminent, uſum exterioris miniſterii nequaquam habent*. Nihilominus uſu factum eſt, ut *Angeli* nomen omnibus Cœleſtibus Spiritibus accommodetur; quia licèt non omnes ad exterius miniſterium mittantur, omnes tamen idonei ſunt ut legatione divini Numinis fungantur, ſive viſibili, ſive inviſibili, ſive per ſe, ſive per alios, ut docet D. Thomas laudatus. De his ergo quærimus, an ſint, quando creati ſint, quid ſint, eorum proprietates, dona, meritum, peccatum, cæteraque à D. Thoma expenſa breviori quantùm fieri poterit examine percurremus.

QUÆSTIO I.

De exiſtentia, & creatione Angelorum.

DUBIUM I.

An dentur Angeli?

§. I.

Exiſtentia Angelorum aſſeritur ex ratione.

I. DAri Angelos, ſeu naturas purè intellectuales, & Spiritus, quidam veterum Philoſophorum negaverunt. Cujus erroris cauſam deſcribens D. Thomas 1. *par. qu.* 50. *art.* 1. ait *ignorantes vim intelligendi, & non diſtinguentes inter ſenſum, & intellectum, nihil eſſe exiſtimaverunt in mundo, niſi quod ſenſu, & imaginatione apprehendi poteſt. Et quia ſub imaginatione non cadit, niſi corpus, exiſtimaverunt, quòd nullum ens eſſet, niſi corpus.* Nec mirum. Si enim hac ratione ipſimet Deo corpus aliqui eorum affinxerunt, putantes,

Digitized by Google

tes, quidquid non eſt Corpus, eſſe nihil, multò magis negare debuerunt, dari creaturam aliquam, quæ ſpiritus ſit, & non corpus.

II. Hoc errore, teſte eodem S. Thoma ibi, laborarunt Sadducæi apud Hebræos hæretici (à quodam Saddoc Judæo orti) quorum palmare principium erat, nullum ens creatum exiſtere, quod corpus non eſſet, teſtante Scripturâ act. 23. v. 8. *Sadducæi enim dicunt, non eſſe Reſurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum, Phariſæi autem utrumque confitentur*. Unde S. Auguſt. *ſerm.* 71. aliàs 11. *de Verbis Domini cap.* 3. infert, Sadducæos negaſſe etiam Spiritum Sanctum. *Sadducæi*, inquit, *Spiritum Sanctum negabant: Phariſæi verò eum eſſe contra Sadducæorum hæreſim defendebant: ſed eſſe in Domino Jeſu Chriſto negabant*. Veritas tamen Catholica ſemper docuit, dari Angelos, & Spiritus, qui ſint creaturæ mediæ inter Deum, & homines, quod fides docet & ratio ſuadet. Ut ergo Philoſophos id negantes confutemus, utemur ratione, ut verò Sadducæos convincamus, Scripturam adhibebimus.

III. Dico primò. Angelos verè dari conſtat experientiâ, & ratione. Experientiâ quidem. Nam ipſis ſenſibus patet, energumenos dari, magos, incantatores; homines qui aliqua faciunt, aut dicunt, quæ vi ſuâ nativâ facere, aut dicere non poſſunt, quod indicium eſt, eos ab aliqua ſuperiori intelligentia moveri: ſæpè enim ſecreta, eventus diſtantes revelant, loquuntur linguis, quas nunquam didicerunt, tempeſtates movent, præſtigiis oculos adſtantium eludunt, ut de Apollonio Thianæo diximus: atqui ejuſmodi effectus excedentes eorum vires, ſpeciali Dei auxilio fieri nefas eſt credere: Nam ſæpè contingit, homines illos obſeſſos, ceteroquin pios, in enormes blaſphemias contra Deum erumpere, magos ea mirabilia patrare, ut ſerviant impiorum iniquitatibus, vel falſæ religioni fidem concilient, quæ à Deo ſpeciali auctore eſſe non poſſunt; ergo cauſa illa ſuperior alia eſſe non poteſt, quàm Angelus, ſeu Spiritus nequam.

IV. Ratione quoque. Primò ſic. Deus condidit hoc univerſum eſſentialiter perfectum; ergo poſuit in eo omnes gradus rerum, quibus ejus perfectio eſſentialis conſurgit; ergo ſicut in eo poſuit gradum rerum purè materialium, gradum rei partim materialis, & corporeæ, partim ſpiritualis, & incorporeæ, qualis eſt homo conſtans corpore, & ſpiritu, poſitus proinde quaſi in confinio corporalium, & ſpiritualium: ita oportuit, ut in eo poneret gradum rerum purè immaterialium, & intellectualium, & in hoc gradu ſunt Angeli.

V. Secundò probatur, & roboratur præcedens ratio. Oportet, ut in univerſo detur aliqua creatura, quæ modo poſſibili aſſimiletur Deo in forma per quam agit, quia omne agens intendit aſſimilare ſibi effectum in forma, quâ agit perfectiori modo poſſibili, ſicut architectus intendit aſſimilare. quantum poteſt, in forma nempè Idea, quam habet, & ſecundùm quam facit domum. Sed effectus, qui perfectiori modo aſſimilatur Deo agenti ſecundùm intellectum, & voluntatem eſt creatura intellectualis, & prædita intellectu, & voluntate; ergo hæc datur. Rationes iſtæ ſumtæ ſunt ex D. Thom. 1. *part. qu.* 50. *art.* 1.

VI. Confirmatur primò ex eodem S. Doctore 2. *contragentes cap.* 46. Tunc effectus maximè perfectus eſt, quando perfectè in ſuum redit principium, unde & circulus inter omnes figuras, & motus circularis inter omnes motus perfectiores ſunt, quia in eis ad principium reditur. Cùm autem omnes creaturæ aliquomodo redeant ad ſuum principium Deum, aliquæ ſecundùm eſſe, aliquæ ſecundùm vivere: illæ tamen magis redeunt ad ſuum principium agens per intellectum, & voluntatem, quæ ſecun-

Digitized by Google

dùm intellectum & voluntatem illi aſſimilantur; iſtæ enim ad illud redeunt non ſolùm per naturam, ſed etiam per operationem, ac expreſſionem ſui principii imaginem gerunt; ergo naturas aliquas intellectuales eſſe, divinorum operum perfectio poſtulat.

VII. Confirmatur ſecundò ex eodem. ibidem. Ille effectus perfectior eſt, in quo forma, quâ agens agit, recipitur ſecundum eundem modum eſſendi, quo eſt in agente: hac ratione ignis genitus ab alio igne perfectior effectus eſt, quia habet formam ignis ſecundùm eundem modum, quo eſt in igne generante. E contra domus extra poſita, non ita perfectè recipit formam, quâ architectus agit, quia non recipit eam ſecundùm modum eſſendi: nam in Architecto eſt ſecundùm modum intelligibilem, in domo autem exteriùs poſitâ, ſecundùm modum materialem. Ergo univerſi perfectio requirit utramque ſimilitudinem, & quòd dentur creaturæ, quæ recipiant eſſe, ſed ſecundùm alium modum, quo in Deo eſt; & quòd dentur aliæ, quæ illud participent, ſecundùm modum intellectualem, quo in Deo eſt, & iſtæ erunt perfectiores, & conſequenter Angeli.

Hinc vides, totam vim rationum D. Thomæ pro exiſtentia Angelorum ſitam eſſe in hoc, quia, ut univerſum ſit perfectum debet dari gradus creaturarum, qui maximè Deum imitetur, & ad eum accedat.

VIII. Neque propterea inferas, ex dictis rationibus ſequi, quòd ut Univerſum eſſet perfectum deberent dari etiam omnes ſpecies poſſibiles, imò & omnia individua, imò creaturam omnium perfectiſſimam.

Nam contra eſt. Inter gradus enim rerum, & ſpecies ac individua duplex eſt diſcrimen. Primum. Quòd gradus, nimirùm eſſendi, vivendi, & intelligendi, pertinent ad perfectionem formalem Univerſi, ſpecies autem, & individua ad perfectionem ſolum materialem. Secundum quòd gradus ſunt in certo, ac determinato numero, nempè tres præfati eſſe, vivere, & intelligere, & præter illos alii non dantur. At ſpecies, & individua ſunt infinita, quâcumque enim ſpecie datâ poteſt Deus aliam, & aliam perfectiorem producere in infinitum, ut nunquam deveniatur ad perfectiſſimam, ultra quam Deus non poſſit &c. Individua quoque in infinitum multiplicabilia ſunt. Infinitum autem non poteſt totum ſimul in actu poni.

IX. Neque iterum dicas, gradum intellectivi poſito homine ſufficienter haberi in univerſo.

Nam contra eſt. Gradus intellectivi reperitur in homine, non completè, & perfectè, ſed incompletè, & imperfectè, non ut natura, ſed ut pars naturæ; homo enim adequatè conſtat animâ, & corpore; anima etiam in corpore non eſt purè intellectiva, ſed eſt ſenſitiva, & vegetativa. Uno verbo. Homo eſt quid medium. Oportet ergo in univerſo dari extremum, nempè creatura purè intellectualis, & ſpiritualis ſicut aliud, nempè creatura purè materialis, & corporea.

X. Moneo tamen meum Candidatum, ut rationes præfatas exiſtimet quidem congruentiſſimas, non tamen demonſtrativas, neque à priori, neque à poſteriori. Non à priori, nimirùm ex cauſa, quia Deus, qui eſt cauſa Angelorum non ex neceſſitate, ſed porſus liberè eos produxit, neque cum eorum exiſtentia ullam connexionem habet, aut Angelis indiget, ut ſit, aut beatus ſit. Neque Univerſi perfectio abſolutè Angelorum exiſtentiam exigit; Nam potuiſſet Deus Univerſum aliter perfectum facere, quàm modò fecit, aut etiam non facere tam perfectum, quàm modò eſt, & proinde ſine Angelis. Unde D. Thomas hoc art. 1. in fine corporis, ait: *Hoc ipſum, quòd intellectus eſt altior ſenſu, rationabiliter oſtendit, eſſe aliquas res incorporeas à ſolo intellectu comprehenſibiles.* Ubi *rationabiliter*, inquit, non dicit

Digitized by Google

dicit vel *efficaciter*, vel *de neceſſitate* requiritur.

Neque à poſteriori. Quòd enim detur creatura, quæ perfectè quantùm fieri poteſt Deum repræſentet, conveniens quidem eſt, ſed non abſolutè, neceſſarium. Neque datur effectus ullus evidenter nos manuducens ad inferendam exiſtentiam Angelorum: omnes enim effectus, quos in Energumenis, Magis, aliiſque, ſuperiùs videre nos diximus, effectus æquivoci ſunt, dici enim poſſet, ad multos ſufficere virtutem Dei. ad alios aliquas alias cauſas, quæ ab Angelis diverſæ ſunt, puta animas hominum defunctorum, vel phantaſiæ corruptionem, aut aliud hujuſmodi.

XI. Neque obſtat, quòd nonnulli Philoſophi exiſtentiam Angelorum agnoverint. Plato enim tùm *in Timeo* tùm *in Convivio*, Angelorum ſæpè meminit. Ariſtoteles etiam *lib.* 8. *Phyſic.* ſcribit, aſtra ab Angelis moveri.

Nam reſpondeo, hoc ſolùm evincere, exiſtentiam Angelorum poſſe ratione naturali oſtendi probabiliter, non verò demonſtrativè ob rationes allatas. Si enim ſeclndantur documenta ex Scripturis, Patribus, & traditionibus petita, non idcircò quis piam convinceretur ex mirabilibus effectibus ad aſſerendum, dari ſubſtantias ſuâpte naturâ ſeparatas, ab animabus rationalibus diſtinctas; poſſet enim ſuſpicari, omnia hæc, vel à Deo, vel animabus eorum, qui defuncti ſunt, quorum multæ apparitiones narrantur, provenire. Addo de Platone dici poſſe, eum ex Moyſis Pentateucho, quem Auguſtino teſte *lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 11. ſi non legit, audire tamen potuit ab Hebræis dùm in Ægypto moraretur, didiciſſe.

* * *

§. II.

Angelorum exiſtentia aſſeritur ex Scripturis.

XII. Poſtquam Philoſophis oſtendimus, eos potuiſſe ſaltem probabiliter in cognitionem exiſtentiæ Angelorum devenire, reſtat, ut Sadducæos eam negantes convincamus, quod ex Scripturis maximèque ex Pentateucho, quem ſolum admittebant, præſtabimus. In primis enim Geneſis multas Angelorum narrat apparitiones *cap.* 16. *v.* 7. *&* 9. Angelus Domini Agari perſuadet, ut in Domum Abrahæ revertatur. *cap.* 19. *v.* 1. Venerunt duo Angeli Sodomam, & apud Loth Abrahami Nepotem hoſpitati ſunt. Et *veſ.* 15. coegerunt Loth, ut è Sodomis incendio mox delendis exiret, *cap.* 24. *v.* 7. Abrahamus famulum ſuum mittens in Meſopotamiam ſic ait: *Dominus Deus Cæli... ipſe mittet Angelum ſuum coram te.* Videatur etiam *cap.* 31. *v.* 11. *cap.* 32. *v.* 1. *&c.* Eorum pariter mentio fit in lib. Exodi *cap.* 14. *v.* 19. *cap.* 23. *v.* 20. *&* 23. *cap.* 32. *v.* 34. *cap.* 33. *veſ.* 2. Item in lib. Numer. *cap.* 20. *v.* 16. *cap.* 22. *v.* 23. 24. *&c.* Angeli quoque ſæpè memorantur in aliis veteris Teſtamenti libris, ſicut & Chriſtus in Evangelio præſertim *Matth.* 18. *v.* 10. dicit: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei qui in Cœlis eſt;* quod & Paulus, & cæteri novi Teſtamenti Scriptores Sacri frequenter teſtantur; adeò ut S. Auguſtinus in Pſal. 103. *Eſſe Angelos* (inquit) *novimus ex fide, & multis apparuiſſe ſcriptum legimus, & tenemus, nec inde dubitare fas nobis eſt.* Et S. Gregorius *homil.* 34. *in Evangelia* Novem Angelorum ordines ex Sacra Scriptura luculenter oſtendit.

XIII. Dicebant fortè Sadducæi, Pentateuchum Angelorum nomine non intelligere Spiritus, perſonas, aut ſubſtantias per ſe ſubſiſtentes: Sed inſpi

ſpirationes occultas, quibus quaſi Dei nunciis, homines de Dei voluntate certiores facti fuerint.

Sed inanis eſt hæc evaſio. Nam Pentateuchus, ſicut & alii libri Sacri, de Angelis ſic loquuntur, ut eos exhibeant aliquibus apparentes, in via comites, apud homines hoſpitantes, cum hominibus manducantes, beneficiis eos cumulantes, eos humana voce vocantes, quæ omnia Perſonas ſubſiſtentes indicant, & ſine manifeſta violentia ad internas inſpirationes, ſive mentis cogitationes trahi non poſſunt.

XIV. Dices tamen adhuc cum eiſdem. Si Angeli verè ſunt ſubſtantiæ, ac Perſonæ à Deo creatæ, Moyſes recenſens Univerſi ac partium ejus creationem, eos, tanquam Univerſi partem præcipuam nominare debuiſſet, cùm ergo de iis mentionem nullam fecerit, ſignum eſt, Moyſen non exiſtimaſſe, eos eſſe ſubſtantias ſubſiſtentes.

XV. Retorqueo primò inſtantiam. Si Moyſes non exiſtimaſſet, Angelos eſſe ſubſtantias à Deo creatas, nec debuiſſet illos in ſuis libris exhibere, tanquam perſonas loquentes, manducantes, hominibus comites ſe adjungentes: ſed hoc præſtitit, ut vidimus; ergo exiſtimavit, eos eſſe ſubſtantias &c.

XVI. Reſpondeo ergo primò cum D. Tho. 1. *part. qu.* 61. *art.* 1. *ad* 1. Quòd ſecundùm D. Auguſt. lib. 11. de Civit. Dei cap. 9. & 33. *Angeli non ſunt prætermiſſi in illa prima rerum creatione, ſed ſignificantur nomine Cœli, aut etiam Lucis. Quod ſi vel prætermiſſi ſunt, vel nominibus rerum corporalium ſignificati*. Hoc ideò fuit, *quia Moyſes rudi populo loquebatur, qui nondum capere poterat incorpoream naturam. Et, ſi eis fuiſſet expreſſum, aliquas res eſſe ſuper omnem naturam corpoream, fuiſſet eis occaſio idololatriæ, ad quam proni erant, & à qua Moyſes eos præcipuè revocare intendebat*. Ita S. Thomas.

XVII. Hæc reſponſio immeritò diſplicet Gonet, & aliis, eò quòd idem Moyſes Angelorum poſtea ſæpè meminerit, & ſic fuiſſet majus idololatriæ periculum: cùm enim non tradatur eorum creatio, rudi populo facilè erat putare, quòd non eſſent creati.

Etenim advertere debuiſſent, S. Thomam non ſimpliciter dicere, quòd Angelorum creatio ſit à Moyſe prætermiſſa, ne populo rudi daretur occaſio idololatriæ, ſed dicere Angelos, vel fuiſſe prætermiſſos, vel nominibus rerum corporalium ſignificatos, quia populus rudis, & nondum valens capere, quomodo poſſet dari natura, quæ ſit prorſus incorporea, & ſupra omne corpus, & ſit creata, ſi Angelorum naturam Moyſes expreſſiſſet in prima rerum creatione, non valuiſſent capere, quomodo eſſent creati, ſi non eſſent corporei. Quod periculum non fuit, etſi prætermiſsâ eorum expreſsâ creatione Angelos poſtea nominarit; quia, & ſemper eos declaravit tanquam unius veri Dei miniſtros, & eos ſemper ſub corporea, & humana ſpecie repræſentavit. Unde Judaicus pupolus, qui etiam res inanimes cultu idololatrico proſecutus fuit, etſi (Sadducæis exceptis) Angelos reverà dari, & veras eſſe ſubſtantias crediderit, nunquam tamen legitur, divinum eis cultum exhibuiſſe.

XVIII. Huic reſponſo adeſt præſidio S. Jo. Chryſoſt. homil. 2. in Geneſ. *Vide* (inquit) *quantum noſtra parvitati ſe attemperat. Nihil de inviſibilibus virtutibus diſſerit, neque dicit, in Principio fecit Deus Angelos, vel Archangelos. Non ſimpliciter, neque temerè hanc nobis doctrina viam paravit. Quia enim Judæis loquebatur, qui toti præſentibus rebus inhiabant, neque ſpirituale quidquam animo concipere valebant, eos à ſenſibilibus ad cognoſcendum univerſi opificem inducit, ut ex creaturis fabricatorem mundi diſcentes, adorarent Creatorem omnium, & non in creaturis ipſis permanerent, & quie-*

Digitized by Google

quieſcerent. Nam cùm licèt hac ita facta ſint, non intermiſerint, ex creaturis Deos facere, & divinum honorem fœdiſſimis brutis exhibere, in quam non amentiam incidiſſent, niſi tantâ erga eos attemperatione fuiſſet uſus?

XIX. Reſpondeo ſecundò. Ideò Moyſen Angelorum non meminiſſe, quia ſui inſtituti ratio id non poſtulabat: propoſitum enim ipſi erat hujus tantùm mundi adſpectabilis originem aperire, quod indicat tota ſeries rerum, quæ in illis ſex diebus factæ ſunt. Item quia ea ſola volebat exprimere, quæ in gratiam hominum, & eorum uſibus ſervire debebant. Cui reſponſioni favet S. Hieronymus *ep.* 139. *ad Cyprianum* (modò tom. 2. inter epiſtolas criticas p. 694.) ubi de Moyſe ait: *cujus ore, creaturam mundi, eorum dumtaxat, quæ viſibilia ſunt, conditionem hominis, & omnis retrò hyſtoriæ didicimus veritatem*, & D. Cyrillus *lib. 2. contra Julianum* ſcribit, Moyſen Angelorum conditionem aliarumque ſubtilium rerum prætermiſiſſe narrationem: tùm, ut homines, qui tunc erant doctrinâ veritatis informaret, eoſque ab errore, quo tenebantur abduceret, oſtendens illis, Cœlum, Solem, Lunam, ſydera, beſtias, quæ omnia ut Deos colebant, eſſe creaturas à ſummo opifice factas. Tùm ut ab iis, quæ magis obvia, & eorum captui magis accommodata ſunt, ſenſim ad ea, quæ abſtruſiora ſunt percipienda præpararet: *An verò* (inquit) *puerorum Magiſtros laudabimus qui ſe ad eorum captum demittunt, & paulatim ad abſtruſarum rerum ſcientiam, quaſi manu ducentes, nihil nimis elaboratum principio, & inacceſſi quodammodo aditus per initia proponunt: Moſen verò illum Sanctiſſimum, qui hoc tam egregiè præſtitit, non omni genere laudis proſequemur?* Hæc Cyrillus. Nihil ergo ex ſilentio Moyſis contra exiſtentiam Angelorum concluditur.

XX. Quare obſervandum eſt, quòd populus Hebraicus valdè proclivis erat ad colendas res corporeas, & ſenſibiles, ideòque expediviſſe, ut ipſi declararetur, eas omnes à Deo fuiſſe creatas, ac per conſequens non eſſe Deos; ad colendas verò ſpirituales creaturas, utpote ignotas, non ſic erant proni, & ideò opus non fuit, ut Angelorum creatio eis exprimeretur; ſed ſatis fuit, ut ſub Cœlo comprehenderentur, quòdque poſtea, ut Miniſtrorum Dei, mentio ipſorum fieret. De hoc dicetur Dubio ſequenti.

XXI. Dicebant ulterius Sadducæi nomen Angeli ex dictis non eſſe nomen alicujus ſubſtantiæ, ſed ſolùm Officii, quare à Chriſto Matth. 11. v. 10. Joannes Baptiſta dicitur eſſe ille, qui Malachiæ 3. v. 1. dictus fuerat Angelus: *Ecce ego mitto Angelum meum*. Ergo &c.

Reſpondetur tamen, aliud eſſe id, à quo nomen imponitur, aliud ad quod ſignificandum eſt impoſitum. Nam nomen *Lapis* à lædendo pedem fuit impoſitum, & tamen lapis ſignificatus per illud nomen ſubſtantia quædam eſt. Sic Angelus à nunciando dicitur, & ab officio *Angelus* vocatur, res tamen, quæ tali officio deputatur, & tali nomine ſignificatur, ſubſtantia, & Perſona quædam eſt. Nam etiam *Orator*, *legatus* in humanis nomina officii ſunt; non hinc tamen colligitur, eum qui tale officium exercet non eſſe Perſonam. Joannes tamen Baptiſta à Chriſto vocatur *Angelus* eo modo, quo ibi v. 14. dicitur *Elias*. Sicut autem *Elias* dicitur officio, & ſpiritu non Perſonâ, ut ait D. Gregorius *homil. 7. in Evang.* Ita & dicitur Angelus. Porrò ſicut ex hoc non infertur, quòd Elias verè non fuerit particularis Perſona: ita nec inferri poteſt, quòd non dentur Angeli, qui ſubſtantiâ, & Perſona, & non tantùm officio, Angeli ſint.

Digitized by Google

DUBIUM II.

Quo tompore & loco Angeli Creati ſint.

§. I.

Angeli ſunt creati, non tamen ab æterno.

I. FIde certum eſt, Angelos dari, & exiſtere, atque à Deo creatos fuiſſe, ut ex Dub. præcedenti apparet. Et non tantùm bonos, ſed eos etiam, qui mali facti ſunt. Unde Concilium Lateranenſe IV. cap. 1. *Deus* (inquit) *ſimul ab initio, temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam:* & de Angelis malis, ſive Dæmonibus ſubdit: *Diabolus enim, & Dæmones alii, à Deo quidem naturâ creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali.*

II. Hoc Scriptura apertè teſtatur. Quamvis enim Moyſes in generali rerum conditione, productionis Angelorum expreſsè non meminerit ob rationes adductas §. 2. *praecedentis dubii*, alibi eos à Deo factos, & creatos apertè pronunciat, ut Pſalm. 148. ubi poſtquam dicitur: *Laudate eum omnes Angeli ejus*, ſubditur v. 5. *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.* Item *Dan.* 3. ubi ad benedicendum Deo omnia *opera ejus* invitantur, Angeli non omittuntur: *Benedicite Angeli Domini Domino.* Præterea Heſter 13. v. 10. *Tu feciſti Cœlum & terram, & quidquid Cœli ambitu continetur;* ergo etiam Angelos, qui Cœli ambitu continentur; & tandem Paulus ad Coloſs. 1. v. 16. *In ipſo condita ſunt univerſa, in Cœlis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.*

III. Hanc veritatem probat D. Tho. 1. *par. qu.* 61. *art.* 1. Quia Angeli ſunt entia per participationem; ergo facti ſunt ab eo, qui eſt ens per eſſentiam, ideſt à Deo: Omne enim, quod eſt per participationem tale in aliquo genere, cauſatur ab eo, quod eſt per eſſentiam tale in illo genere, ſicut quod eſt per participationem calidum, fit calidum, ab eo, quod eſt calidum per eſſentiam.

IV. Confirmatur. Cùm Angeli ſint, vel à ſe ipſis ſunt, vel ab alio: non à ſe ipſis ſunt, quia cùm non ſint ipſum eſſe, à ſe ipſis nihil ſunt: nihil autem agere non poteſt, & nihil poteſt eſſe cauſa ſui, aliàs eſſet, antequam eſſet. Si ergo ſunt ab alio, vel ſunt à Deo, vel ab alia creatura: non ſunt ab alia creatura; tùm quia de hac quæri deberet, à quo eſſet; Tùm quia ſi ab alia creatura eſſent, maximè ab alio Angelo, ſicut homo eſt ab homine: & hoc non. Quia vel eſſent ab eo per generationem externam, & hoc minimè, quia Angelus non generat Angelum: hoc enim corporum corruptibilium proprium eſt. Vel per generationem internam: & hoc minùs. Nam ſolius Dei Patris prærogativa eſt, quòd generatione interna, & intellectuali producat terminum ſubſtantialem ſibi ſimilem in natura.

V. Certum etiam ſuppono, Angelos non fuiſſe à Deo creatos ab æterno. Tùm quia ex dictis *Tract. praecedent. qu.* 2. *Dub.* 1. §. 2. nihil creatum fuit ab æterno, ut oppoſitum ſit hæreticum, cùm contrarium ſit definitum in Concilio Lateranenſi IV. *cap. firmiter* ubi dicitur: Deus *ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corporalem*, Tùm quia textibus Scripturarum loco allato generaliter probavimus, nullam creaturam eſſe ab æterno. Videantur ibi dicta.

Quæſtio igitur eſt, an ſuppoſito, quòd Angeli fuerint à Deo creati, & non ab æterno, fuerint creati ante mundum hunc corporeum; an verò ſimul

ſimul cum hoc mundo corporeo, & an in Cœlo Empireo, an alibi.

§. II.

Reſolvitur de tempore creationis Angelorum.

VI. DIco primò. Angeli non ſunt creati ante mundum hunc corporeum, & viſibilem, ſed ſimul cum eo. Contrariam ſententiam multi veterum Patrum, præſertim Græcorum, amplexi ſunt: noſtra tamen aſſertio ſtabilita videtur in Concil. Lateran. IV. *cap. firmiter* citato, ubi dicitur, quòd Deus ab initio temporis *ſimul utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam*. Si ergo ſimul utramque naturam ex nihilo Deus condidit, non ante condidit Angelicam, deinde mundanam. Ita ſentit D. Thomas 1. *par. qu.* 61. *art.* 3. quem omnes Theologi Catholici ſequuntur.

VII. Probatur primò ex Scriptura Gen. 1. In *principio creavit Deus Cœlum, & terram*. Ubi ly *in Principio*, idem ſonat, ac *primùm omnium*, ſeu *ante omnia*. Sic D. Auguſt. *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 6. dicens: *Porrò ſi littera Sacra, maximèque veraces ita dicunt, In principio feciſſe Deum Cœlum, & terram, ut nihil antea feciſſe intelligatur, quia hoc potiùs in principio feciſſe diceretur, ſi quid fuiſſet ante cætera cuncta, quæ fecit.*

Verùm quia ly *in Principio* uſurpatur etiam pro eodem, ac *in Filio* & inſuper dici poteſt, Moyſem tunc de rerum corporalium ſola productione fuiſſe locutum. Quam expoſitionem idem Sanctus Auguſtinus ibidem cap. 32. non improbat, & ideò cuique liberum relinquit circa tempus productionis Angelorum, ut libuerit, opinari. Propterea

VIII. Probatur ſecundò ex cap. 20. Exodi v. 11. *Sex diebus fecit Dominus Cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt;* ergo cùm hæc poſtrema verba complectantur omnia, quæ ſive in Cœlo, ſive in terris ſunt, & Angeli in Cœlis ſint, & eorum aliqui in terra, credendum eſt Angelos illorum ſex dierum ſpatio fuiſſe creatos.

IX. Congruentia, quam affert D.Th. hâc *qu.* 61. *art.* 3. hoc etiam ſuadet. Nam Deus ſtatim produxit hoc Univerſum perfectum, & conſtans omnibus partibus, quibus naturaliter coaleſcit, ſed Angeli ſunt partes, quibus præcipuè, & naturaliter hoc Univerſum; conſtat creaturarum enim Univerſitas ex ſpiritualibus, & corporalibus integratur, neque creaturæ ſpirituales unum per ſe Univerſum, ſeu mundum conſtituunt, diverſum à mundo, ſeu Univerſo creaturarum corporalium; ergo cum creaturis corporalibus, non ante, fuerunt Angeli producti. Maj. probatur; Hoc enim convenientius eſt, tùm ex parte Dei, cujus perfecta ſunt opera, & cujus non eſt ſucceſſivè operari; ſicut enim ſingulas Univerſi partes in eſſe perfecto produxit, ita & totum Univerſum, & non prius partem, deinde totum. Tùm ex parte ipſius Angeli, qui licèt in ſuo eſſe abſolutè perfectus ſit, in ratione tamen partis Univerſi, ad quod per ſe ordinatur, perfectius illi eſt factum fuiſſe cum toto Univerſo, quàm ante Univerſum.

X. Hinc patet, hanc D. Thomæ congruentiam immeritò ab aliquibus reſpui, quia, inquiunt, Angeli non ſunt partes Univerſi, niſi quia ipſum movent, regunt, & adminiſtrant, quod autem hoc modo habet rationem partis, extra totum perfectionem ſuam habet, ut patet in Gubernatore Navis, & Duce Exercitus.

Nam nec Gubernator Navis, nec Dux Exercitus ſunt per ſe, & ex natura ſua partes, ille Navis, iſte Exercitus: ſi enim in ſe, ut homines ſunt, conſiderentur, nullum ordinem dicunt, neque ad Navem gubernandam, neque ad Exercitum regendum, ideòque abſ-

Digitized by Google

abſque tali ordine in ſe perfecti ſunt. At Angelus, & quælibet creatura per ſe, & naturaliter eſt pars Univerſi, & propterea perfectius illi eſt unâ cum toto, quàm extra totum produci. Videatur D. Thomas *in* 2 *diſt.* 2. *qu.* 1. *art.* 3. & *qu.* 3. *de potentia art.* 18. ubi ait: *Angeli enim non ſolùm ſunt conſiderandi abſolutè, ſed etiam inquantùm ſunt pars Univerſi. Et hac conſideratio eorum intantùm eſt magis attendenda, in quantùm bonum Univerſi præeminet bono cujuslibet creaturæ particularis, ſicut bonum totius præeminet bono partis. Secundùm autem, quòd conſiderantur Angeli, ut partes Univerſi, competit eis, quòd ſimul cum creatura corporali ſint conditi. Unius enim totius una videtur eſſe productio. Si autem ſeorſum eſſent Angeli creati, viderentur omnino alieni ab ordine creaturæ corporalis, quaſi aliud Univerſum per ſe conſtituentes. Unde dicendum eſt, quòd Angeli ſimul cum creatura corporali ſunt conditi, tamen ſine alterius opinionis præjudicio.*

XI. Hoc idem teſtantur ex Patribus Græcis Epiphanius Hereſ. 65. nu. 4. & 5. *Illud enim*, (inquit) *ſermo divinus declarat, neque poſt ſydera productos Angelos, neque ante Cælum, terramque conſtitutos.* Quod probat ex cap. 1. Geneſ. dicens: *Quoniam in principio creavit Deus Cælum, ac terram, ut illud ſit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit.* Conſentit Theodoretus *qu.* 3. *in Geneſ.* ubi huic ſibi propoſitæ quæſtioni *Præceduntne Angeli creationem Cæli, & terræ, an unâ cum eis creati ſunt?* Reſpondet, creatos non eſſe ante mundum corporeum (etſi non ſatis probandâ utatur ratione) tùm quòd Cœlo circumſcripti ſunt; tùm quia, cùm ad hominum tutelam deſtinati ſint, inutilis fuiſſet ante mundi creationem eorum productio. *Quo miniſterio* (inquit qu. 4.) *fungebantur Angeli, qui creationem præcedebant, cùm nullus eſſet, qui indigeret, ut adjuvaretur eorum operâ?* Refertur quoque Procopius, qui *præfat. in Geneſim* dicit, Moyſen nomine *Cæli* Angelos comprehendiſſe ponendo continens pro contento

XII. Ex Latinis hoc expreſsè docuit S. Auguſtinus pluribus in locis, præcipuè *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 9. dicens. *Ubi de mundi conſtitutione ſacræ Litteræ loquuntur, non evidenter dicitur, utrum, vel quo ordine creati ſint Angeli. Sed ſi prætermiſſi non ſunt, vel Cæli nomine ubi dictum eſt*, in principio fecit Deus Cœlum, & terram, *vel potiùs lucis, hujus, de qua loquor, ſignificati ſunt.* Idem docet citato loco *cap. 6. lib. de Geneſ. imperfecto cap.* 3. & alibi, cui adjungere poteris S. Gregorium *lib.* 32. *moral. cap.* 9. *nunc* 12. Bedam *in Hexaemeron* dicentem, in principio cum Cœlo, & terra conditos fuiſſe Angelos, & ideò Moyſen de terra dixiſſe in principio fuiſſe inanem, & vacuam, quia fructibus, & habitatoribus carebat; non autem dixiſſe hoc de Cœlo, *quia mox creatum, ſuis incolis, hoc eſt beatiſſimis Angelorum ſpiritibus repletum eſt.* Unde ſubdit Moyſes. *Perfecti ſunt Cæli, & omnis ornatus eorum*, quippe debitos incolas habentes.

XIII. Colligitur primò ex dictis, non fuiſſe creatos poſt mundi hujus corporei completam conditionem. *Quis porrò* (inquit S. Auguſtinus lib. 11. de Civit. Dei cap. 9.) *audebit opinari, poſt omnia iſta, quæ ſex diebus enumerata ſunt, Angelos factos? Sed etſi quiſquam ita deſipit, redarguit iſtam vanitatem illa Scriptura paris auctoritatis, ubi Deus dicit* (*Job* 38. *v.* 7. *ſecundum lxx.*) Quando facta ſunt ſydera, laudaverunt me voce magna Angeli mei. *Jam ergo erant Angeli, quando facta ſunt ſydera. Facta ſunt autem quarto die &c.* inde probat, eos nec tertio, nec ſecundo factos fuiſſe, ſed primâ die, quando facta eſt lux.

XIV. Colligitur ſecundò ex his Auguſtini verbis, Angelos prima die fuiſſe creatos, quando fuit creatum Cœlum, aut fuit creata lux, hoc indicavit

Digitized by Google

cavit Concilium Lateranenſe IV. cap. 1. citato cum ait: *Deus ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam*, & Job. *cap.* 38. *v.* 7. laudato, ubi ſecundùm Vulgatam legitur, quòd quando Deus ponebat fundamenta terræ, & baſes ejus ſolidabat, *laudabant* eum *aſtra matutina*: ideſt *omnes Angeli Dei*, ut in Hebræo; ſeu *Turma Angelorum* ut in Caldaico; ergo ſive Deum ponentem fundamenta terræ, & ſolidantem baſes ejus intelligas Deum terram primò creantem, quod primo die fecit, ſive terram in montes erigentem, & deprimentem in valles, tunc enim in centro gravitatis, quod nunc habet conſtituta eſt, Angeli producti, Deumque laudantes intelliguntur.

§. III.

Fundamenta contraria.

XV. Contrariæ ſententiæ fundamentum dant Patres Græci, & Latini. Ex Græcis primò. Nazianzenus *orat.* 38. ubi deſcripta creatione Angelorum, ſubdit: *Poſteaquam autem primas creationis partes* (mundi nempe intelligibilis) *præclarè conſtitutas vidit, alterum mundum materiâ conſtantem, & adſpectabilem cogitavit, hunc nimirùm ex Cælo, & terra, & his rebus, quæ eorum complexu continentur &c. quod repetit orat.* 42. Nazianzenum laudat, & ſequitur Damaſcenus *lib.* 2. *orthod. fid. cap.* 3. apud D. Thomam 1. *par. qu.* 61. *art.* 3. in primo argumento dicentem: *Quidam dicunt, quòd ante omnem creationem geniti ſunt Angeli, ut Theologus dicit Gregorius: Primùm quidem excogitavit angelicas virtutes, & cæleſtes; & excogitatio opus ejus fuit.*

S. Baſilius homil. 1. in Hexaemer. *Erat* [inquit] *ſtatus quidam mundi ortu antiquior, cæleſtibus Poteſtatibus conveniens.* Deinde expoſitâ creatione Angelorum ſubdit: *Tùm demum oportebat, & hunc mundum rebus jam exſtantibus adjungi &c.* pro eadem referuntur Origenes *homil.* 1. *in Geneſ. & homil.* 10. *in Matth.* Chryſoſtomus *lib.* 1. *ad Stagirium*, Severianus Gabalitanus *orat.* 4. *de mundi opificio*, Anaſtaſius Sinaita *lib.* 6. *in Hexaemeron*.

Ex Latinis in eadem Sententia verſantur S. Ambroſius *lib.* 1. *in Hexaemeron* cap. 5. dicens: *Angeli, Dominationes, & Poteſtates, etſi aliquando cæperunt, erant tamen jam, quando hic mundus eſt factus*. Et præfat. in Pſalmos: *Ante* (inquit) *ipſum initium mundi Cherubin, & Seraphin cum ſuavitate canora vocis ſuæ dicunt Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Subſcribit Hilarius *lib. contr. Auxent.* Hieronymus *in cap.* 1. *epiſt. ad Titum*, ſic dicens: *ſex millia nec dùm noſtri Orbis implentur anni, & quantas priùs æternitates, quanta tempora fuiſſe arbitrandum eſt, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæteraque Virtutes ſervierint Deo, & abſque temporum vicibus, atque menſuris Deo jubente ſubſtiterint?* Hieronymo, adhæret Beda *lib. quæſtionum quæſt.* 9. dicens *Angeli ante creationem mundi creati ſunt.*

Ex his ergo argui poteſt ſic: Illa ſententia eſt probabilior, cui ferè omnes, vel ſaltem major pars Patrum ſubſcribit: ſed Patres ferè omnes, vel ſaltem major eorum pars, ſentit, Angelos fuiſſe creatos ante mundum corporeum; ergo &c. Min. probatur ex allatis eorum auctoritatibus; quantùm enim ad Græcos S. Thomas hâc *qu.* 61. *art.* 3. *ad* 1. dicit, quòd *omnes* hoc concorditer ſentiunt, quòd Angeli ſunt ante mundum corporeum creati. Et quantùm ad Latinos major pars in hoc conſpirat, Auguſtino, aliiſque paucis exceptis.

XVI. Reſpondeo, non ſemper majorem partem Veterum reddere opinionem probabiliorem; ſed ulteriùs requiri, ut ſubſequentium ſeculorum conſenſione firmetur, & Eccleſiæ mens in eam propendat; aliòquin, cùm omnes

Digitized by Google

omnes fere Veteres maximè Græci in eam opinionem iverint, quæ Regnum Millenarium ſtatuit, & eam, quæ animas juſtorum nonniſi poſt univerſalem reſurrectionem Deum viſuras aſſerit, deberent reputari tanquam probabiliores. Cùm ergo Angelos fuiſſe creatos ante mundum corporeum, multi quidem Græcorum ſenſerint, non tamen omnes (nam Epiphanium, & Theodoretum oppoſitum tenuiſſe ſuperiùs oſtendimus) & Latinorum etiam aliqui eidem adhæſerint; & rursùs poſt Auguſtini tempora contraria opinio prævaluerit, & ei, tanquam veriori, Eccleſia in Concilio Lateranenſi IV. citato adhæſerit, dùm ait, Deum *ſimul* ab initio temporis utramque ex nihilo condidiſſe naturam, ſpiritualem, & corporalem, angelicam, & mundanam; ideò hæc, ut probabilior amplectenda eſt. Quomodo autem nos gerere debeamus circa Patres, diximus ſupra *Tom. 1. quæſt. de Locis Theologic. Dub. 7.*

Quòd verò D. Thomas dicit, Græcos concorditer ſenſiſſe, Angelos conditos ante mundum corporeum, non eſt accipiendum univerſaliter, & diſtributivè; ſed pro majori parte; hoc autem damus, vel ſaltem omittimus: poſſent enim aliquâ expoſitione eorum dicta temperari.

XVII. Sed dices. Ea opinio probabilior eſt, cui apertiùs favet Scriptura; ſed opinioni Græcorum apertiùs favet Scriptura Job. 38. v. 7. *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ.... cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* Quibus Angeli, *per aſtra matutina* ſignificati, ſupponuntur jam eſſe, cùm fundamenta terræ poſita fuerunt; ergo &c.

XVIII. Hæc non urgent: nam hinc ſolùm ſequitur, Angelos fuiſſe creatos ante formationem ſyderum, ſi cum Epiphanio *hæreſ. 65.* & Auguſtino *lib. 11. de Civit. Dei cap. 9.* ſecundùm lxx. legamus, *quando facta ſunt ſydera, laudaverunt me voce magna Angeli Dei*: formatio autem ſyderum dicitur facta quartâ die, vel ante fundationem, vel ſolidationem terræ, quæ legitur facta tertiâ die. Utroque modo Angeli, qui primâ die cum Cœlo creati ſunt, præceſſerunt. Unde Divus Gregorius lib. 28. Moral. cap. 7. nunc 14. *Quia* (inquit) *prima in tempore condita natura rationabilium ſpirituum creditur, non immeritò matutina aſtra Angeli vocantur. Quod ſi ita eſt, dùm terra eſſet inviſibilis, & incompoſita, dùm tenebræ eſſent ſuper abyſſum, venturum diem ſubſequentis ſæculi per lucem ſapientiæ exiſtendo prævenerunt.* Quòd ſi velimus, ſydera, & terram hìc ſumi pro prima creatione, quam ſupra diximus contigiſſe primâ die, non verò pro ornatu, qui quartâ, & tertiâ die legitur factus, tunc Angelos præceſſiſſe ſydera, & terram, non duratione, ſed naturâ dicendum eſt.

XIX. Neque iterùm dicas, Job. 40. *v.* 40. Behemoth, ideſt Diabolum, dici *principium viarum Dei*.

Nam reponam, nomine *Behemoth* litteraliter ſumi, non Diabolum, ſed Elephantem; unde v. 10. dicitur: *ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet, fortitudo ejus in lumbis ejus &c.* qui ideò dicitur principium viarum Dei, quia inter terreſtria animalia præcipuum eſt. Quòd ſi dè Diabolo, ſeu Lucifero intelligatur, dicitur principium viarum Dei; non quia duratione præcedat, ſed dignitate, & excellentiâ. Ita S. Gregorius lib. 32. Moral. cap. 18. modò 33. *Principium viarum Dei Behemoth dicitur: quia nimirùm, cùm cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit.* De hoc videatur D. Thom. in *cap. 40. Job. lect. 2.* Hæc pro veritate dicta ſint. Cæterùm

XX. Reſpondeo ſecundò ad argumentum principale, prænarratas auctoritates Patrum, Angelos fuiſſe creatos ante mundum corporeum opinantium, ſolùm evincere, noſtram ſenten-

tiam

riam non eſſe dogma fidei, & contrariam non eſſe hæreticam, vel aliquâ cenſurâ notandam: contrarium enim hactenus *non eſt demonſtratum, nec fide expreſſum*, ait D. Thom. in 2. *ſent. diſt.* 2. *qu.* 1. *art.* 3. *Qu.* 3. *de potentia art.* 18. & hâc *qu.* 61. *art.* 3. ubi, ſtabilitâ ſuâ opinione ſubjungit: *Quamvis contrarium non ſit reputandum erroneum. Præcipuè propter ſententiam Gregorii Nazianzeni, cuius tanta eſt in doctrina Chriſtiana auctoritas, ut nullus unquam ejus dictis calumniam inferre præſumſerit, ſicut nec Athanaſii documentis, ut Hieronymus dicit.*

Quod huic reſponſioni obſtare poteſt, eſt Concilium Lateranenſe IV. ſæpè laudatum, quo definitum videtur, Angelos *ſimul ab initio temporis* cum creatura corporali conditos fuiſſe. Porrò etſi illa particula *ſimul* non ſemper indicet ſimultatem temporis, ſed aliquando idem ſonet, ac *ſimiliter:* ſicut enim, dum dicitur Pſalm. 48. v. 11. *ſimul inſipiens, & ſtultus peribunt*, ſenſus ſit, quòd *ſimiliter*, ideſt eodem genere mortis, licèt non eodem tempore, uterque peribit; ita dici poſſet, Angelos, & naturam corpoream *ſimul* ideſt ſimiliter eodem genere conditionis nempè *ex nihilo*, quamvis non eodem tempore conditos fuiſſe: attamen ly *ſimul* conjunctum cum ly *ab initio temporis* nimis apertè indicat, de ſimultate temporis Concilium loqui; maximè quia ſtatim ſubjungit, *& deinde humanam*, quod certè poſterioritatem temporis ſignat, quia homo poſtea, nempè ſextâ die, conditus fuit.

XXI. Verùm hæc ſatis acuta meditatio, noſtram quidem, & communem ſententiam eſſe probabiliorem, & menti Concilii, imò & Scripturæ magis conformem oſtendit, at contrariam proinde omni probabilitate non exuit: nam poſſet quis reſpondere primò, Concilium, eſto loquatur de ſimultate temporis, non loqui tamen de ſimultate phyſica, ſed morali, quæ quandam patitur latitudinem, eâ fermè ratione, quâ res quæ eodem die, vel menſe, vel etiam eodem anno factæ ſunt, ſimul factæ plerumque dicuntur. = Secundò eſto Concilium loquatur de ſimultate etiam phyſica, hanc tamen non propoſuiſſe, tanquam rem definitam, ſed tanquam ſententiam probabiliorem: ut enim in Tractatu de Locis Theol. agentes de Conciliis obſervavimus, non omnia, quæ in Conciliis dicuntur pro definitis habenda ſunt; aliàs D. Thomas qui poſt Concilium ſcripſit, contrariam ſententiam à nota erroris immunem non pronunciaſſet.

Tertiò quia mens Concilii non fuit damnare Patrum Græcorum ſententiam, ſed errores varios, qui circa mundi creationem, ſive à Philoſophis, ſive ab hæreticis maximè Manichæis, & præſertim ab Origene prodiere. Hoc D. Thomas oſtendit Opuſ. 23. quod ſuper laudatum caput Lateranenſis edidit. Ubi exponens illa verba *ſimul ab initio temporis &c.* ait: *Alius fuit error Origenis ponentis, quòd Deus à principio creavit ſolas ſpirituales creaturas, & poſtea quibuſdam earum peccantibus creavit corpora, quibus quaſi quibuſdam vinculis ſpirituales ſubſtantiæ alligarentur: ac ſi corporales creaturæ non fuerint ex principali intentione Dei productæ, quia bonum eſſet, eas eſſe: ſed ſolùm ad puniendum peccatum ſpiritualium creaturarum. Cùm tamen dicatur Geneſ.* 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. *Unde ad hoc excludendum dicit, ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam.* Hæc D. Thomas. Quæ in gratiam Antiquorum ſatis, firmitati noſtræ ſententiæ nihil detrahendo.

XXII. Objicies ſecundò. Si Angeli creati eſſent cum mundo corporeo, creationis illorum mentionem aliquam feciſſet Moyſes: at nullam mentionem illorum fecit, cùm de creatione mundi corporei ſermonem faceret; ergo &c. Maj prob. quia eſto ex argumento negativo non benè concludatur, ſi neceſſe

ceſſe non ſit rem aliquam exprimere, ſecùs tamen ſi neceſſe ſit ad exactam rerum narrationem illam non omittere: cùm ergo ad exactam rerum creationem neceſſe ſit etiam Angelos recenſere; vel Angeli cum mundo corporeo creati non ſunt, vel Moyſes non fuit accuratus ſcriptor, ſed diminutus.

XXIII. Huic objectioni reſponſum eſt *Dub. præced.* §. 2. à nu. 14. Vel Angelorum creationem non fuiſſe à Moyſe prætermiſſam, ſed indicatam nomine Cœli, aut Lucis. Vel rationabiliter omiſſam, quia ſolius mundi hujus adſpectabilis conditionem exponere in animo habuit. Videantur propterea ibi dicta. Utramque reſponſionem dat Sanctus Thomas qu. 3. de pot. art. 18. ad 4. *Ad quartum* (inquit) *dicendum, quod ſicut Baſilius dicit in primo Hexaemer. Moyſes Legiſlator in principio Geneſis exordium viſibilis creaturæ incapit exponere, prætermiſſâ creaturâ ſpirituali, quæ ante fuerat condita* (prioritate tamen naturæ, non temporis) *de qua mentionem non fecit, quia rudi populo loquebatur, qui ad ſpiritualia capienda idoneus non erat. Secundùm Auguſtinum verò, creaturam ſpiritualem per Cœlum intelligit, ſicut per terram creaturam corporalem, cùm dicit*: In principio creavit Deus Cœlum & terram. *Quare autem ſub metaphora Cœli, & non expreſsè creationem Angelorum tradidit, poteſt eadem ratio adſignari, quæ & ſupra, ſcilicet ex populi ruditate; & iterùm ad vitandam Idololatriam, in quam proni erant: ad quam daretur eis occaſio, ſi plures ſubſtantiæ ſpirituales ponerentur præter unum Deum, quæ eſſent Cœlo nobiliores, & præcipuè cum hujuſmodi ſubſtantiæ à Gentilibus Dii dicerentur. Secundùm verò Strabum, & alios priores, per Cœlum, quod in auctoritate inducta ponitur, intelligitur Cœlum Empyreum, quod eſt habitaculum Sanctorum Angelorum, Metonımæ* (per Metonymiam) *ſicut quando ponitur continens pro contento.* Hæc D. Thom.

XXIV. Objicies tertiò. Non minùs requiritur ordo in exitu rerum à principio, quàm in reductione earum in finem: ſed in reducendo res in finem hæc eſt lex divinitatis ſtatuta, ut Dionyſius dicit, quòd ultima reducantur in finem per media; ergo ſimiliter creaturæ corporales, quæ ſunt infimæ procedunt à Deo per angelicas creaturas, quæ ſunt mediæ: & ſic Angeli corporales creaturas præcedunt ſicut cauſa effectum.

XXV. Urgetur. Creatura angelica media eſt inter naturam divinam, & corpoream: ævum etiam, quod eſt Angeli menſura, medium eſt inter æternitatem, & tempus: ſed Deus ſuâ æternitate fuit ante Angelos, & viſibilem creaturam; ergo & Angeli ſuo ævo fuerunt ante mundum viſibilem.

XXVI. Reſpondeo cum D. Thoma, cujus eſt hoc argumentum qu. 3. de pot. art. 18. ad 15. *Quod res in finem ordinantur per ſuam operationem; non autem producitur in eſſe per ſuam operationem, ſed ſolùm per operationem cauſæ agentis. Unde magis eſt conveniens, quòd creaturæ ſuperiores cooperentur Deo in reducendo creaturas inferiores in finem, quàm in earum productione.* Hæc doctrina ſupponit, omnia ſuiſſe immediatè à ſolo Deo primò creata, quod ſuperiùs oſtendimus *Tractatu de Deo Creatore qu. 1. Dub. 3.* creationi autem nulla creatura cooperari poteſt.

Ad id, quod urgetur reſpondeo cum eodem S. Thom. ad 19. *Quòd Deus eſt cauſa naturæ angelicæ: non autem natura angelica cauſa eſt naturæ corporalis: & ideò non eſt ſimile.*

Si dicas, quòd eſto natura angelica non ſit cauſa, eſt tamen movens naturam corporalem, motor autem præcedit mobile = Reſpondebo cum eodem S. Doct. ibi ad 21. *Quòd motor non de neceſſitate præcedit tempore mobile, ſed dignitate, ſicut patet in anima, & corpore.*

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

De loco, in quo creati ſunt Angeli.

XXVII. Dico ſecundò. Probabilius eſt, Angelos creatos eſſe in Cœlo Empyreo, ſeu in ſupremo corpore, quocumque nomine nuncupetur. Ita D. Thom. hàc *qu.* 61. *art.* 4. & alibi. Et quidem rationabiliter. Decuit enim, ut inter creaturas ſuprema, in ſupremo corporum ut in loco ſibi proprio crearetur. Quamvis enim Angeli à corpore, vel loco non dependeant, ad creaturam tamen corporalem aliquem ordinem habent, tanquam toti naturæ corporali præſidentes; ergo decuit, ut in loco nobiliſſimo, atque inter omnia ſupremo conderentur. Tùm etiam conveniens fuit, ut Angeli crearentur in eo loco, qui congruentior erât eorum operationi, quæ eſt contemplatio, huic autem congruentius erat Cœlum Empyreum ſeu corpus inter omnia ſupremum; ergo &c. Hac ratione utitur S. Thom. *in* 2. *diſt.* 6. *qu.* 1. *art.* 3. Nam Cœlum Empyreum eſt lucidum, immobile, & ſedes Beatorum.

XXVIII. Secundò probatur. In eo loco omnes Angeli creati ſunt, unde Angeli prævaricatores ceciderunt, ac dejecti ſunt: ſed hi dejecti ſunt ex Cœlo Empyreo: unde Lucæ 10. v. 18. *videbam Satanam ſicut fulgur de Cœlo cadentem*, cui conſonat illud Iſaiæ 14. v. 12. *Quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer?* quæ de Cœlo ſupremo intelligit Auguſtinus *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 33. vocans illud Cœlos Cœlorum; diſtinguens enim ſocietatem bonorum Angelorum à ſocietate malorum: *illam*, (inquit) *in Cœlis Cœlorum habitantem*; *iſtam inde* (è Cœlis Cœlorum) *dejectam*; fuerunt ergo Angeli omnes in Cœlis Cœlorum, hoc eſt in ſupremo Cœlo, ut in proprio domicilio conditi, & ex ipſo Angeli prævaricatores dejecti. Nec enim in hoc faciendum eſt diſcrimen malorum Angelorum à bonis; cùm enim omnes ſint creati boni, non apparet ratio, cur diſcreti loco fuerint ante peccatum.

XXIX. Sed dices primò. In eo loco creati non fuerunt Angeli, ad quem mali ambierunt aſcendere: ſed hi ambierunt aſcendere ad Cœlum ſuperius, juxta illud Iſaiæ 14. v. 13. *In Cœlum conſcendam*: ſuper *aſtra Dei exaltabo ſolium meum*; ergo mali fuerunt conditi in Cœlo ſydereo inferiori ad Empyreum.

Urgetur hoc. Quis enim dicat Diabolum fuiſſe unquam in Cœlo, quod Beatorum ſedes eſt, & quòd in illo peccaverit? Dicendum ergo potiùs, quòd ſicut homo non fuit creatus in Paradiſo terreſtri; ſed extra illum, & poſtea in illum translatus: ita Angeli non fuerunt creati in loco proprio ſuæ beatitudinis, ſed extra illum, ut poſtea juxta ſua merita in ipſum transferrentur. Ita Suarez, & poſt ipſum Fraſſen, qui in Cœlo ſydereo Angelos, fuiſſe conditos opinantur.

XXX. Reſpondeo. Nego min. intellectam de Cœlo ſuperiori corporeo. Ad locum verò Iſaiæ dico primò, verba illa non eſſe Angeli prævaricatoris, ſed ad litteram Regis Babylonis, qui eò ſuperbiæ devenit; ut quamvis in Cœlum propriè volare nollet, ſummum tamen majeſtatis thronum, ac divinitatis honores, quibus Deus in Cœlo colitur, ambiret. Ita S. Hieronym. *lib.* 5. *in cap.* 14. *Iſaiæ* dicens: *nec ſuffecerat ei* (Nabuchdonoſori) *deſiderare* Cœleſtia (ideſt ſedere in Monte Teſtamenti, ideſt in Templo, ubi Dei jura ſunt condita, & in lateribus Aquilonis, ideſt in Jeruſalem) *niſi ad tantam prorupiſſet inſaniam, ut Dei ſibi ſimilitudinem vendicaret*.

Verùm, quia non eſt dubium, quin Rex Babylonis inducatur, ut gerens figuram Luciferi, ſeu Diaboli. Dico ſe-

ſecundò cum D. Tho. hâc *qu.* 61. *art.* 4. *ad* 2. quòd dùm Lucifer ait, aſcendam in Cœlum, *loquitur ibi non de Cęlo aliquo corporeo; ſed de Cęlo S. Trinitatis, in quod Angelus peccans aſcendere voluit, dùm voluit aliquo modo Deo æquiparari*. Unde, & ſubdit *ſimilis ero Altiſſimo*.

XXXI. Sed replicabis. D. Hieronymus *lib. 6. in dictum caput* 14. Iſaiæ ad illa verba *In Cęlum aſcendam*, ait, *ſi adhuc in Cęlo poſitus, quomodo dicit*, aſcendam in Cœlum? Cui interrogationi reſpondet. *Sed quia legimus* Cœlum Cœli Domino, *quùm eſſet in Cęlo, ideſt in Firmamento, in Cęlum, ubi ſolium Domini eſt, cupiebat aſcendere*. Firmamentum autem eſt Cœlum ſydereum, non Empyreum.

Reſpondeo, S. Hieronymum *Firmamenti* nomine intelligere ſupremum Cœlum corporeum, ſupra, quod eſt Cœlum, quod eſt Thronus Dei, ad quod aſcendere conabatur per ſuperbiam. Hanc autem eſſe Hieronymi mentem colligo ex iis, quæ antea dixerat in perſona Chriſti, dicentis ad diſcipulos *nomina veſtra ſcripta ſunt in Cęlo*: quibus addit: *Ut unde ille cecidit per ſuperbiam, vos aſcendatis per humilitatem*. At per humilitatem aſcendimus non ad Cœlum ſydereum tantùm, ſed Empyreum; ergo Lucifer non ex Cœlo ſydereo tantum cecidit, ſed ex Empyreo. Quod ex eo magis comprobatur. Nam Angeli, ut dictum eſt, creati fuerunt primo die: Firmamentum autem quomodocumque ſumatur ſolum quarto die factum fuit; ergo Cœlum, in quo creati ſunt Angeli non fuit Firmamentum propriè ſumtum.

XXXII. Neque officit id, quod urgetur. Si enim in Paradiſo peccavit homo; cur etſi in Empyreo, nondum tamen beatus, aut in gratia confirmatus non potuit peccare Angelus? Nec enim peccato ſpirituali Angeli labem ullam contrahere potuit Empyreum, quod eſt corporeum. Imò ad noſtram inſtructionem, & humilitatem hoc fuit (inquit S. Bernardus ſerm. de ligno, fœno, & ſtipula, modò ſerm. 30. de diverſis) *Nuſquam eſt ſecuritas, Fratres, neque in Cęlo, neque in Paradiſo, multò minus in mundo. In Cęlo enim cecidit Angelus ſub præſentia divinitatis; Adam in Paradiſo de loco voluptatis; Judas in mundo de ſchola Salvatoris*.

Ad id, quod additur de Homine, reſpondeo cum D. Thoma 1. *part. qu.* 102. *art.* 4. *in corp.* diſcrimen eſſe; *quòd Paradiſus fuit locus congruus habitationi humanæ, quantùm ad incorruptionem primi ſtatus. Incorruptio autem illa non erat hominis ſecundùm naturam, ſed ex ſupernaturali Dei dono. Ut ergo hoc gratię Dei imputaretur, non humanæ naturę, Deus hominem extra Paradiſum fecit, & poſtea ipſum in Paradiſo poſuit*... At *Cęlum Empyreum* (inquit ibi ad 1.) *eſt locus congruus Angelis, quantùm ad eorum naturam: & ideò ibi ſunt creati*.

XXXIII. Dices ſecundò. In eo ut in loco creati ſunt Angeli, in quo aliquid externum operari cæperunt, cùm Angelus ſit in loco per operationem in illum, ut dicemus: ſed Angeli in Cœlo Empyreo nihil operari potuerunt, non enim motum, ut in aliis Cœlis, quia Cœlum Empyreum eſt immobile; ergo &c.

XXXIV. Reſpondeo neg. min Angeli enim in Cœlo Empyreo creati ſtatim virtute ſua aliquid ad ornatum ei contulerunt. Quid verò hoc fuerit, incognitum eſt nobis, ſicut natura Cœli Empyrei incognita eſt. Probabile tamen eſt ad lucem quâ Cœlum Empyreum fulget, eos concurriſſe: unde ait D. Tho. in 1. diſt. 37. qu. 3. art. 1. in corp. quòd *Angelus eſt in loco* (cui non confert eſſe, ſed aliquid ad eſſe ſuperadditum) *in quantùm operatur circa aliquod corpus locatum, vel motum vel lumen, vel aliud hujuſmodi*. Sed de hoc ſermo redibit, cùm de loco Angelorum agetur.

XXXV. Pro complemento adverto cum

Digitized by Google

cum D. Thom. *hâc qu. 61. art. 4. ad 2.* non eſſe improbabile, quòd non omnes Angeli fuerint creati in Cœlo Empyreo, ſed aliqui, nempè inferiores, & ex iis, qui peccaverunt, creati fuerint in corporibus inferioribus, & ita exponit dictum S. Auguſtini *lib. 3. ſuper Gen. ad litt. cap. 10.* dicentis, Angelos fuiſſe creatos in ſuperiori parte aeris: ait enim quòd Auguſt. *vel loquitur non de omnibus Angelis, ſed de illis, qui peccaverunt, qui ſecundùm quoſdam fuerunt de inferioribus ordinibus. Nihil autem prohibet dicere, quòd ſuperiores Angeli habentes virtutem elevatam, & univerſalem ſuper omnia corpora ſint in ſupremo creaturę corporeæ creati; alii verò habentes virtutes magis particulares, ſint creati in inferioribus corporibus.* Et hoc poſito benè explicatur, quomodo Lucifer dicere potuerit; aſcendam in Cœlum, quia cùm eſſet in corpore inferiori creatus, appetiit ſuperbè ad ſuperius aſcendere.

QUÆSTIO II.

De natura Angelorum.

EXiſtentiam, & creationem Angelorum ſtatuimus. Modò eorum naturam examinandam aggredimur, rem equidem hominibus circa ſenſibilia occupari ſolitis ferè imperviam, quæque propterea, ut videbimus, Doctores maximè veteres in varias traxit opiniones. De hac ergo quærendum erit. Primò, an ſit prorsùs ſpiritualis. Secundò, an ſit immultiplicabilis. Tertiò, an ſit incorruptibilis.

DUBIUM I.

An Angeli naturâ ſint Spirituales?

§. I.

Notantur aliqua, & referuntur opiniones.

I. NIhil quovis tempore fuit communius, atque receptius, ſaltem apud Catholicos, quàm Angelos eſſe *Spiritus*. Quia tamen nomen *Spiritus* æquivocum eſt, ideò ex diverſa ejus acceptione in diverſas abitum eſt ſententias. Primò ergo nomen *Spiritus* accipitur pro re tenuiſſima, ac ſubtiliſſima, ſive ſit accidens, ſive ſubſtantia. Sic ſpecies, ſeu imagines, quæ ab objectis immittuntur ad ſenſus, ſpirituales, ſeu intentionales dicuntur. Sic tenuiſſimæ, ac puriores ſanguinis partes, per quas vegetandi, ſentiendique vis manat in reliquas, ſpiritus vocantur, vel animales, quatenus à cerebro ad ſenſus officia, & motus per nervos diffunduntur: aut vitales, quando per arterias à corde propagati inſitum calorem reficiunt, quo animalis vita continetur. Secundò. Nomen *Spiritus* accipitur pro vento, aere, & puriori exhalatione; unde *ſpirare*, *reſpirare*, idem eſt, ac aerem trahere; & ventus nimio impetu irruens *Spiritus procellarum* vocatur Pſalm. 148. v. 8. & act. 2. v. 2. aeris agitatio, quâ Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos deſcendit dicitur fuiſſe, *tanquam advenientis Spiritus vehementis*. Sic puriores exhalationes, quæ ope chymicâ ex corporibus craſſis extrahuntur ſpiritus dicuntur, & in hiſce duabus acceptionibus Medicis, & Chymicis familiare eſt nomen Spiritus.

II. Tertiò. Nomen *ſpiritus* pro anima, ſive rationali, ſive etiam ſenſitiva uſurpatur: unde Eccleſiaſtis 3. 21. *Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?*

III.

III. Quartò. Pro ſubſtantia incorporea, non quomodocumque, ſed ut opponitur corpori craſſo ex carne, & oſſibus conſtante, quomodo illud Chriſti Lucæ 24. v. 39. *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet*: & hoc modo, ut dicemus, Veterum multi arbitrati ſunt, Angelos eſſe ſpiritus, nempè, etſi corpora habentes, ea tamen ita aerea, & ſubtilia, ut nec tangi, nec ullo ſenſuum percipi poſſint.

IV. Quintò denique. Nomen ſpiritus ſignificat naturam purè intellectualem, nullo corpore, quamvis tenuiſſimo, nullâve materiâ phyſicâ conſtantem, vel concretam.

V. Hæc omnia didicimus à D. Thoma in 1. *diſt.* 10. *qu.* 1. *art.* 4. ubi ait: *Dicendum, quòd ſpiritus eſt nomen poſitum ad ſignificandam ſubtilitatem alicujus naturæ; unde dicitur tàm de corporalibus, quàm de incorporeis. Aer enim ſpiritus dicitur propter ſubtilitatem, & exinde attractio aeris, & expulſio dicitur inſpiratio, & reſpiratio: & exinde ventus etiam dicitur ſpiritus: & exinde etiam ſubtiliſſimi vapores, per quos diffunduntur virtutes animæ in partes corporis, dicuntur ſpiritus. Et ſimiliter incorporea propter ſuam ſubtilitatem dicuntur ſpiritus; ſicut dicimus duos ſpiritus, & Angelum, & animam* &c. & 1. *par. qu.* 41. *art.* 3. *ad* 4. de ſpiritu creato (inquit) quòd *quandoque dicitur ventus, quandoque aer, quandoque flatus hominis, quandoque etiam anima, vel quæcumque ſubſtantia inviſibilis.*

VI. Cùm ergo nomen ſpiritus indifferenter corporea, & incorporea ſignificet ob majorem, vel minorem ſubtilitatem, ſeu remotionem à materia, ſive in totum, ſive à materia craſſiori; propterea, quamvis Angeli in Scripturis dicantur ſpiritus, non formidarunt Veteres illis affingere corpora, eſto ſubtiliſſima. Ita Irenæus, qui licèt *lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 4. dicat *ſine carne eſſe*, lib. tamen 4. *cap.* 16. *al.* 30. *num.* 4. dicit: quòd *Angeli tranſgreſſi deciderunt in terram in iudicium*, ideſt in peccati pœnam præcipites in terram acti, mulierum ſpecie capti, cum iis ſtupri conſuetudinem habuerunt, è quorum ſatu natum fuit peſſimum hominum genus, quos ultricibus diluvii aquis Deus delevit; quod fatetur, & Clemens Alexandr. *lib.* 2. *Pedagogi cap.* 2. Et 3. *Stromat.* quæ fuit etiam opinio S. Juſtini Martyris, Athenagoræ, Lactantii, & Tertulliani, qui ſicut Deo affinxit corpus, putans, præter corpora nihil eſſe, ita multò magis hoc de Angelis opinatus fuiſſe credendus eſt. Ex præfatis autem Veteribus diſtinguebant quidam ruinam, & lapſum Luciferi à lapſu Angelorum inferiorum, & illum quidem ex ſuperbia proceſſiſſe aſſerebant; iſtum tamen ex libidine, ac cum mulieribus commixtione ortum habuiſſe contendebant.

VII. Quæſtio hæc adeò perplexos tenuit antiquos etiam Patres, ut vel Auguſtinum ipſum aliquando dubitantem audiamus. Nam *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 23. poſtquam attulit crebriſſimam famam eſſe, multos ſe expertos teſtari, *Silvanos, & Faunos, quos vulgò incubos vocant, improbos ſæpe extitiſſe mulieribus, & earum appetiſſe, ac peregiſſe concubitum; & quoſdam Dæmones, quos Druſios Galli nuncupant, hanc ejuſmodi immunditiam, & tentare, & efficere*: ſubjungit: *Non hinc audeo definire, utrum aliqui ſpiritus elemento aerio corporati (nam hoc elementum etiam cum agitatur flabello, ſenſu corporis, tactuque ſentitur) poſſint etiam hanc pati libidinem, ut quomodo poſſunt, ſentientibus fœminis miſceantur: Dei tamen Angelos Sanctos nullo modo illo tempore ſic labi potuiſſe crediderim*: & rationem dubitandi præmiſerat; nam ſicut Scriptura dicit: *qui facit Angelos ſuos ſpiritus*: (Pſalm. 103. v. 5.) ita ſubdit, & *Miniſtros ſuos ignem ardentem*, quibus verbis, an Angelis corpora adjunxerit, an caritatem, quâ fervere debent miniſtri ejus, indicare voluerit [in-

quit]

Digitized by Google

quit) S. Auguſtinus, *Ambiguum eſt.*

Item *Epſt.* 95. *olim.* 250. *ad* Paulinum. & Theraſiam num. 8. *Hinc*, ait, *oritur de Angelis quæſtio, utrum habeant corpora ſuis officiis, & concurſationibus congrua, an tantummodo ſpiritus ſint? Si enim habere dixerimus, occurrit nobis*, qui facit Angelos ſuos ſpiritus. *Si autem non habere dixerimus, pluè habet ſcrupuli, quomodo ſcriptum ſit, eos corporeis hominum ſenſibus ſine corpore præſentatos, hoſpitio receptos, pedes eis lotos, edentibus, & bibentibus miniſtratum. Faciliùs enim videri poteſt, ſic eſſe ſpiritus Angelos dictos, ut homines animas, ſicut ſcriptum eſt, cum Jacob in Ægyptum tot animas deſcendiſſe (neque enim corpora non habebant) quàm ut illa omnia ſine corporibus geſta credantur. Deinde certa quadam in Apocalypſi Angeli ſtatura definitur in ea menſura, quæ niſi corporum eſſe non poſſit, ut quod hominibus apparuerit, non ad falſitatem, ſed ad illam poteſtatem, ac facilitatem ſpiritalium corporum referatur.* Hæc Auguſtinus, qui, etſi ibi nihil definiat, ſe tamen propendere in hoc, quòd Angeli habeant corpora ſpiritalia, præter corpora craſſiora, quæ aliquando aſſumſerunt, indicavit lib. 3. de Trinit. cap. 1. ubi *Fateor* (inquit) *excedere vires intentionis meæ, utrum Angeli manente ſpiritali ſui corporis qualitate per hanc occultiùs operantes, aſſumant ex inferioribus elementis corpulentioribus, quod ſibi coaptatum, quaſi aliquam veſtem mutent, & vertant in quaslibet ſpecies corporales, etiam ipſas veras, ſicut aqua vera in verum vinum converſa eſt à Domino: an ipſa propria corpora ſua transforment in quod voluerint accommodatè ad id, quod agunt.* Corpora autem hæc ſpiritalia Angelorum formam, & membra humana habere dicit lib. 1. Retract. cap. 26. *Quod dixi, Angelica corpora, qualia nos ſperamus, habituros, lucidiſſima, atque æterea eſſe credendum eſt, ſi hoc ſine membris, quæ nunc habemus, & ſine ſubſtantia, quamvis incorruptibilis, tamen carnis, accipiatur, erratur.* Corpora ergo noſtra glorioſa videtur opinari futura, ſicut corpora angelica, ætherea ſcilicet cum membris tamen humanæ carnis.

VIII. Placuit in his aliquantiſper immorari, ut noverit meus Candidatus, non ſemper exploratum fuiſſe, Angelos eſſe puros ſpiritus ab omni materia, & corpore etiam puriori defæcatos; ſed multo tempore apud Veteres in utramque partem diſputatum fuiſſe: adeò ut etiam tempore S. Bernardi inter problemata computaretur. Etenim *lib. 5. de conſiderat. cap.* 4. de Angelis, inquit: *Quamquam de corporibus horum non modò unde ſint, ſed an aliquatenus ſint, hæret ſententia aliquorum. Unde ſi quis inter opinabilia magis id ponendum cenſuerit, non contendo.*

Nihilominùs poſt Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. ita certum eſt, Angelos eſſe puros ſpiritus, & omnino incorporeos, ut abſque ingenti ſaltem temeritate oppoſitum ſuſtineri non poſſit. Quare

§. II.

Veritatis aſſertio prima.

IX. Dico primò. Angeli ſunt omninò incorporei, & purè ſpirituales non conſtantes ex ſpiritu, & corpore, quamvis aereo, & ſubtili, & non ſolùm Angeli Sancti, ſed etiam prævaricatores, ſeu Dæmones. Probatur primò, quia Scriptura Angelos ſive bonos, ſive malos abſolutè vocat *ſpiritus* Pſalm. 103. v. 4. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus.* Ad Hebr. 1. v. 14. *omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus.* De Angelis etiam malis Lucæ 10. v. 20. dicitur: *ſpiritus vobis ſubjicientur* & cap. 11. v. 26. *aſſumit alios ſeptem ſpiritus ſecum nequiores ſe.* Matth. 8. v. 16. *ejiciebat ſpiritus verbo.* cap. 10. v. 1. *dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum.* Et alibi paſſim. Tunc ſic. Sed nomen ſpiritus abſolutè dictum in Scriptura, ſignificat rem prorſùs incorpoream, & omnis materiæ

Digitized by Google

expertem, quare *Jo.* 4. *v.* 24. etiam Deus hoc modo ſpiritus dicitur: *Spiritus eſt Deus*; ergo &c.

X. Secundò probatur auctoritate ſæpè laudati Concilii Lateranen. IV. cap. Firmiter, quo ſtatuitur: *Unum eſſe univerſorum principium, Creatorem omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium, quì ſuâ omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam*. Quibus Concilium plura ſtatuit.

Primò. Inter creaturas dari creaturam ſpiritualem condiſtinctam à corporali, & hanc eſſe angelicam: ſed creatura ſpiritualis condiſtincta à corporea non poteſt conſtare ex ſpiritu, & corpore, quamvis aereo, & ſubtili; quia aerea, vel quæcumque alia ſubſtantia, etſi ſubtilis, verè corporea eſt; ergo &c.

Secundò. Statuit, hominem eſſe ſubſtantiam communem, & quaſi mediam inter angelicam, & mundanam, ſeu corporalem creaturam, quia conſtat corpore, & ſpiritu; ergo cum Angeli non ſint medium inter ſpiritum, & corpus, ſed extremum condiſtinctum à corpore debent eſſe omnino incorporei: & ſicut corpus, quod eſt aliud extremum, nihil habet de ſpiritu, ita ſpiritus nihil habet de corpore.

Tertiò. Ità Angelus eſt ſpiritus, ſicut anima, ex qua conſtat homo, ſpiritus eſt: ſed anima eſt purè ſpiritualis, & incorporea, ut in altero Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſancitum eſt; ergo & Angelus.

XI. Confirmantur omnia ex ſuperiùs allatis Scripturis. Si ſpiritus una eſſet ſubſtantiæ angelicæ pars, & corpus altera, Scriptura, & Concilia alicubi proprio nomine expreſſiſſent completam illam ſubſtantiam ex ſpiritu, & corpore aereo conſtantem: ſicut eſto aliquando per animam deſignetur homo, velut totum per ſuam partem, alibi tamen aſſeritur hominem conſtare ex anima, & corpore: atqui Scriptura ità vocat Angelos ſpiritus, ut nullibi exprimat, eos ex ſpiritu, & corpore conſtare; Concilium pariter citatum hominem ex corpore, & ſpiritu conſtantem ponit medium inter naturam corporalem, & angelicam, quam ſpiritualem appellat; ergo ſicut Scripturæ, & Concilia dùm nominant hominem ex corpore, & ſpiritu conſtantem, nominant perſonam in eſſe ſubſtantiali completam; ita dùm dicunt Angelum eſſe ſpiritum, ſeu naturam ſpiritualem, nominant perſonam, ideſt naturam in eſſe ſubſtantiali completam.

XII. Hanc veritatem plures ex Patribus agnovere. Eam agnovit Ignatius Martyr *epiſt. ad Trallenſes* vocans Angelos *incorporeas naturas*. Agnovit Dionyſius *lib. de Cœleſti Hierarch. cap.* 1. appellans eos *ſpiritus ſimplices, nullis figuris præditos*; cap. 2. negans eos *ulli corporeæ ſpeciei affines, ſed puros eſſe ſpiritus* affirmans; & cap. 4. eos eſſe mentes liberas à materia, & corpore. Agnovit Gregorius Nyſſenus tam *epiſt. ad Euſtachium*, dicens: *natura hominis ex anima & corpore eſt complexa: angelica verò incorpoream naturam ſortita eſt*; & *orat* 4. in orat. Dominicam: *omnis*, inquit, *natura rationalis dividitur in corpoream, & incorpoream naturam. Incorporea porrò eſt angelica creatura, altera nos ſumus*. Agnovit Jo. Chryſoſtomus *homil.* 22. *in Geneſ.* dicens: *Quomodo rationi conſonum eſt, Angelum incorporeum .... homini invidere corpore circumamicto?* & paulò poſt: *Alioquin etiam quantâ non dementiâ plenum fuerit dicere, Angelos ita dejectos, ut cum mulieribus rem haberent, & incorporea illa natura copularetur corporibus, Annon audis Dominum dicentem de Angelorum ſubſtantia*: In reſurrectione enim neque matrimonium contrahunt, neque nubunt, ſed ſunt ſicut Angeli Dei? *Neque enim poſſibile eſt, incorpoream naturam*

talem

Digitized by Google

talem unquam concupiſcentiam habere. Agnoverunt S. Baſilius *lib. 4. adverſùs Eunom.* Angelos cum naturis incorporeis recenſens, & ex hoc probans eorum incorruptibilitatem. Theodoretus *homil. 10. in Geneſ.* Damaſcenus *lib. 2. de fide cap. 3.* Angelum definiens: *ſubſtantiam intelligentem materiæ atque corporis expertem*: tametſi comparatè ad Deum, quid craſſum, & materiale eſſe dicat. Non ideò tamen hoc dicit, quaſi putet, Angelum aliquâ conſtare materiâ: ſed quia, ut ait D. Thomas hâc qu. 50. art. 1. ad 1. *Subſtantia incorporea medium ſunt inter Deum, & creaturas corporeas. Medium autem comparatum ad unum extremum, videtur alterum extremum; ſicut tepidum comparatum calido videtur frigidum*. Et omnes creaturæ comparatæ ad Deum videntur quaſi non ſint Iſaiæ 40. v. 17. *Omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputata ſunt ei*. Et quis neget, gentes verè eſſe, quis putet creaturas in ſe eſſe nihil, ac inane? Hi omnes recenſiti Græci ſunt.

XIII. Nec minùs hanc veritatem agnoverunt Patres Latini. S. Hieronymus tùm *Ep. 53. aliàs 29. ad Theodoram viduam*; *tùm Ep. 86. aliàs 27. ad Euſtochium*, exponens, quomodo in reſurrectione erimus, ſicut Angeli Dei: *non natura* (inquit) *& ſubſtantia corporum tollitur. Non ſubſtantiam nobis Angelorum, ſed converſationem, & beatitudinem Dominus repromittit*. Et *epiſt.* 94. olim 59. *ad Avitum*, Origenem reprehendit, quòd dixerit, Angelos prævaricatores fuiſſe corporibus alligatos. S. Leo Epiſt. ad Turibium cap. 6. *Fides* (inquit) *vera, quæ eſt Catholica, omnium creaturarum ſive ſpiritualium, ſive corporalium, bonam confitetur ſubſtantiam*. S. Gregorius lib. 4. Moral. cap. 3. olim 9. *Duas* (inquit) *ad intelligendum ſe creaturas fecerat* (Deus) *angelicam videlicet, & humanam... ſed una tegmen carnis habuit, alia verò nihil infirmum de carne geſtavit. Angelus namque ſolummodò ſpiritus, homo verò & ſpiritus eſt, & caro*. Et homil. 34. in Evangelia: Angeli, inquit, *ſemper ſunt ſpiritus*. Demum ipſemet S. Auguſtinus, qui, ut ſuperiùs obſervavimus, hac in re dubius hæſerat, hanc veritatem tandem agnoviſſe viſus eſt *lib. 1. Retract. cap. 11.* ubi Angelos vocat *creaturas ſpirituales, ſpiritus angelicos*, non verò *animas*, aut *habentes animas*. Et *lib. 2. Retract. cap. 14.* Angelos deſertores dicit, ſe vocaſſe *deſerentes ſe ſpiritus, quoniam de Angelis agebatur*. Ita poſt Lateranenſe IV. omnes Theologi ſentiunt, uno excepto Cajetano, qui eſto in Comment. ſuper hunc art. 1. *quæſt. 50.* ſentiat cum D. Thoma, Angelos omnis materiæ expertes: tamen ſuper cap. 2. *Epiſt. ad Epheſ.* ait, conſonum eſſe veræ Philoſophiæ, quòd Dæmones ſint ſpiritus aerii, nomine aeris intelligens, non elementum aeris, ſed ſubtile corpus noſtris ſenſibus ignotum.

XIV. Supereſt, ut hanc veritatem rationibus comprobemus. Prima eſt, quam attulimus ex D Thoma *Quæſt. præced. Dub. 1. §. 1. num. 4. 5. 6. & 7.* ſumta ex perfectione univerſi, in quo, ſicut eſt ſubſtantia corporea, ita debet eſſe ſubſtantia incorporea: & ſicut eſt ſubſtantia corporea completa, & incompleta, ita debet eſſe ſubſtantia incorporea, nedum incompleta, ut eſt anima rationalis, ſed & completa. Et ulteriùs. Quia, ubi datur unum extremum, & medium, conveniens eſt dari aliud extremum; ſicut ex quo datur oximel, quod ex melle, & aceto conſtat, conſequens eſt dari acetum à melle diſtinctum, & mel ab aceto ſeparatum in rerum natura inveniri: ſed in ordine entium datur aliquid omnino materiale, ut corpora, & aliquid medio modo ſe habens, ut homo, qui partim corpore partim ſpiritu conſtat; ergo admitti debet aliud extremum, nempe ſubſtantia purè ſpiritualis, quam Angelum dicimus.

XV. Rursùs ab inconvenientibus

probatur primò. Si Angeli habent corpus, illud habent compactum, ſicut homines: hoc enim illorum apparitiones, & operationes oſtendunt; ergo licèt ſit ſubtilius, quàm corpus hominis, Angelus ſpecie ab homine non differet, quia ſubtile, & craſſum non variant ſpeciem: & hac ratione D. Hieronymus epiſt. laudatâ ad Avitum arguit Origenem, quòd nimirùm Angeli fierent homines, & homines in Angelos tranſire poſſent.

Secundò. Quotiès Angeli in terram mittuntur, aut Cœlum divideretur, aut fieret penetratio. Nec poſſet explicari, quomodo integra Dæmonum legio (ut refertur Lucæ 8.) ſex millia ſexcentum ſexaginta ſex continens, potuerit uno hominis corpore contineri. Porrò (inquit Richardus Victorinus lib. 4. de Trinitate) *ſi tot ab uno homine ejecti ſunt, tot in eo ante ejectionem fuerunt. Si Dæmones corpora habent, ubi quæſo, in eo fuere? in ſpiritu, an in corpore? Conſtat autem, quia omne corpus longitudinem, latitudinem, altitudinem, locales videlicet dimenſiones habet, & eo ipſo ſine locali capacitate ſubſiſtere non valet, qualem ſpiritus omnino non habet; ergo non in ſpiritu, ſed in corpore fuerunt. Sed quomodo. vel in qua hominis parte tot corpora habitabant? Sed quantumcumque ſubtilia, duo, ejuſdem præſertim quantitatis, corpora, unum eundemque locum occupare non valent. Cujus ergo, quæſo, exiguitatis putas, angelicum corpus eſſe, ſi credas vel ſolam hominis pellem corpori detractam tot angelica corpora poſſe comprehendere?*

Tertiò. Angeli moventur in inſtanti, aut ſaltem motu maximè celeri: ſi autem haberent corpora, non poſſent moveri, nec in inſtanti, quia corpus non poteſt in inſtanti moveri, cum parte poſt partem moveatur: neque motu maximè celeri, & concitato aerem dividendo, ſecando, & ſtatim claudendo, ut per tonitrua, fulmina, & bombardas; id autem fieri non poſſet abſque magno ſonitu, & ingenti ſibilo, quem tamen nunquam percipimus, quamvis Angelorum, & Dæmonum motus frequenter contingant; ergo &c.

Quartò. Si Angeli haberent corpora, maximè ea haberent, quia mulieribus commixti ſunt, quia manducarunt, hoſpitio recepti ſunt, eis loti ſunt pedes; ergo non haberent corpora aerea, ſed ſolida, oſſa, nervos, & alia id genus ad ejuſmodi motus, & operationes neceſſaria, quibus corpus aereum caret; ergo corpus aereum, quod contraria ſententia eis affingit inutile eſt: eò vel maximè, quòd Angelo adſignari deberet corpus præſtantius corpore humano, nimirùm ſolidum omninò, indiſſolubile, & non facilè corruptioni obnoxium, ſicut eſt aereum quod facilè cedit, diſſolvitur, & corrumpitur.

§. III.

Aſſertio Secunda.

XVI. Dico ſecundò. Angeli nec ſunt compoſiti ex materia, & forma. Ita D. Thomas hâc *qu.* 50. *art.* 2. Ne autem quis putet, ſuperfluam eſſe hanc aſſertionem; cùm enim jam ſtatutum ſit, Angelos eſſe prorſus incorporeos, & ſpirituales, videtur conſequens, eos eſſe quoque prorſus immateriales, & carentes materiâ. Propterea monendus eſt Candidatus meus, quòd, etiam ſtatuto, Angelos eſſe incorporeos, & ſpirtuales, adhuc reſtat locus dubitandi, an ſint omnis materiæ expertes. Etenim ex una parte Avicebron dicebat, eandem eſſe materiam ſpiritualium, & corporalium, ex quo ſequebatur, etiam res ſpirituales, & proindè Angelos conſtare ex materia. Ex alia verò Ethnici quidam, de quibus agunt Nazianzenus *orat.* 34. & Damaſcenus *lib.* 1. *de fide cap.* 4. docebant, eſſe aliquod corpus materiæ expers, quod quintum vocabant, & in orbem volubile.

Digitized by Google

bile. Ideò ad oſtendendum, nec Angelos ex materia conſtare, nec ullo modo eſſe corpus, utilis eſt hæc aſſertio. Eam ergo

XVII. Probat D. Thomas ſic. Talis debet eſſe ſubſtantia, qualis eſt ejus unica operatio: ſed unica Angeli operatio, quæ eſt intelligere, abſtrahit ab omni materia; percipit enim res univerſales, & æternas, quod non poſſet ſi eſſet conjuncta materiæ, quæ eſt principium ſingularitatis, & coarctationis ad unum, ac limitationis ad hìc, & nunc; ergo &c.

XVIII. Confirmatur ex D. Thoma *Qu. de ſpiritualibus creaturis art.* 1. ubi rem hanc fusè pertractat, ſic. Intelligere talem requirit potentiam in natura intelligente, quæ ſit proportionata ad ſuſcipiendam formam intelligibilem, quæ ſit repreſentativa rerum, non contractè ad ſingularia, & ad hìc & nunc, ſed illimitatè, & in univerſali: ſed ad hoc eſt improportionata materia phyſica, quæ eſt receptiva formæ eam contrahendo ad eſſe individuale, ejuſque repreſentationem limitat ad ſingularia materialia; ergo &c. De hoc diximus *Tract. de ſcientia Dei qu.* 1. *dub.* 1.

XIX. Probatur ſecundò aliâ ratione D. Thomæ loco mox citato. Quantò magis aliquid accedit, & participat de primo, & puro actu, tantò magis elongatur à prima potentia, quæ eſt materia: ſed ſubſtantiæ purè ſpirituales magis accedunt ad primum, & purum actum, & magis de eo participant; ergo magis elongantur à materia phyſica, quæ eſt principium totius imperfectionis; & incompletionis.

Quia tamen, addit S. D. ibi, ſubſtantia ſpiritualis creata completa, etto magis participet de primo actu, de illo tamen imperfectè ſolum accipit, non ita dicenda eſt actus, ut dicatur purus actus nulli admixtus potentiæ. Suam ergo in natura intellectuali ſpirituali creata completa potentiam admittimus; non quæ ſit materiæ ad formam, ut in naturis corporeis; ſed quæ ſit eſſentiæ ad eſſe. Cùm enim nulla res creata ſit ſuum eſſe, ſed omnis habeat eſſe, & hoc ab alio receptum, neceſſe eſt, ut omnis natura, ſeu eſſentia creata compoſita ſit ex potentia & actu, nimirùm ex eſſentia & eſſe. Quòd ſi hanc potentiam ad eſſe, quæ omnes naturas creatas tranſcendit, nominare quis velit materiam, ſic concedi poterit Angelos eſſe ex materia, & forma compoſitos, ſumendo materiam pro eſſentia, & formam pro eſſe; impropriè tamen loquetur. Videri poteſt D. Th. citato loco ubi 25. proponit, & ſolvit argumenta. Nos enim ad alia vocamur.

XX. Pro perfecta tamen hujus notitia, noto primò diſcrimen inter animam rationalem, & ſubſtantiam angelicam. Illa enim quamvis ſpiritualis, & intellectiva, indiget uniri corpori, & materiæ, quia incompleta eſt, & indigens organis corporalibus, & miniſterio ſenſuum ad intelligendum: at ſubſtantia Angeli eſt ſpiritualis, & intellectualis completa, nec ei neceſſarium eſt miniſterium ſenſuum ad intelligendum.

XXI. Noto ſecundò, Dictum Philoſophi: genus ſumitur à materia, differentia verò ex forma: locum habere in ſolis rebus compoſitis ex materia, & forma; quia, inquit S. Thomas hoc art. 2. ad 1. *in rebus materialibus, aliud eſt, quod determinat ad ſpecialem gradum, ſcilicet forma, & aliud, quod determinatur, ſcilicet materia; unde ab alio ſumitur genus, & ab alio differentia. Sed in rebus immaterialibus non eſt aliud determinans, & determinatum.... & ideò genus & differentia non accipitur ſecundùm aliud, & aliud, ſed ſecundùm unum, & idem: quæ tamen differunt ſecundùm conſiderationem noſtram. In quantùm enim intellectus noſter conſiderat illam rem, ut indeterminatè, accipitur in eis ratio generis; inquantùm verò conſiderat, ut determinatè, accipitur ratio differentiæ.* Videndus quoquo

que eſt *Qu. un. de ſpirit. creat. art.* 1. *ad* 24. ubi addit, quòd in rebus materialibus genus non ſumitur à materia, niſi ut informata formâ dante gradum imperfectum, communem, & quaſi materialem ad ſpecificum; ſecundùm quem ſumitur differentia. Unde ſubtractâ à rebus ſpiritualibus materiâ, adhuc remanebit, à quo ſumatur genus & differentia, nempè *ſecundùm quod conſideratur in ſubſtantia ſpirituali, tam id, quod eſt commune ſibi, & imperfectioribus ſubſtantiis, quàm etiam id, quod eſt ſibi proprium*. Adeas etiam S. Doct. *lib.* 2. *Contrag. cap.* 95.

§. IV.

Rationes Veterum pro corporeitate Angelorum.

XXII. Primò opponi poſſunt veteres Patres tam Græci quàm Latini, qui Angelos corporeos exiſtimarunt. Horum aliquos ſuperiùs allegavimus, inter quos S. Auguſtinum. Addi poſſunt alii, quorum nonnulli ſcripſerunt, Angelos, qui in Cœlis ſunt ignoto quidem, ſed tamen materiali cibo, quem Scriptura *panem Angelorum* vocat, nutriri: eos verò, qui è Cœlo dejecti, hiſce inferioribus præſunt, ſe ſe cum mulieribus miſcuiſſe, & Dæmones ex eis genuiſſe. Primum aſſerit Juſtinus *Dialogo cum Tryphone pag.* 279. Secundum idem Juſtinus *Apologia* 1. *pro Chriſtianis pag.* 44. ubi dicit, quòd cùm Deus horum inferiorum providentiam Angelis delegaſſet, hi hanc ordinationem tranſgreſſi, amore mulierum victi, ex earum concubitu filios procrearunt eos, qui *Dæmones* dicti ſunt, quibus ſingulis nomina impoſuerunt ſua, hoſque Taniticam in Ægypto regionem incoluiſſe, & adhuc incolere ſcribit in *Dialogo cum Tryph. pag.* 305. Hoc idem de concubitu cum mulieribus, & filiorum, qui gigantes dicti ſunt, procreatione teſtatur Athenagoras. *Legat. pro Chriſtianis pag.* 27. Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Strom. pag.* 450. Angelos malos ob incontinentiam è Cœlo lapſos aſſeverat. Addens *lib.* 5. *pag.* 550. mulieribus arcana enunciaſſe.

XXIII. Ex Latinis utrumque docuit Tertullianus tùm *lib. de Habitu muliebri cap.* 2. tùm *lib. de Cultu fœminarum cap.* 10. tùm *de Velandis Virginibus c.* 7. & alibi. Quos & Lactantius ſecutus eſt *lib.* 2. *Divin. Inſtit. cap.* 15. D. quoque Cyprianus *l. de Diſciplina & habitu Virgin.* aſſerens ab Angelis malis, quibuſcum commixtæ fuerunt, doctas fuiſſe mulieres caput ornare, nutrire comas, aliaſque id genus vanitates. S. Ambroſius *Apolog. de fuga David cap.* 1. excuſat David à lapſu cum Berſabea, cùm eodem è Cœlo Angeli vitio dejecti ſint. Et demum S. Auguſtinus, ut ſuperiùs oſtendi, in hoc propendere viſus eſt. Movebantur præfati Veteres ad hoc exiſtimandum, quòd lxx. Interpretum editio, quam illi ſequebantur, in illo *Gen.* 6. *verſ.* 2. ubi nos legimus. *Videntes filii Dei filias hominum quòd eſſent pulchra, acceperunt ſibi uxores*. Et v. 4. *Poſtquam enim ingreſſi ſunt* filii Dei *ad filias hominum, illaque genuerunt &c.* ipſa loco *filii Dei* reddebat, *Angeli Dei*. Corpora ergo habent Angeli, ſi carnaliter cum mulieribus commixti, filios ex concubitu genuerunt, & mannâ tanquam cibo nutriuntur.

XXIV. Reſpondeo primò. Me non diffiteri, ex Veteribus multis, ac præcipuè ex ſupracitatis, Angelos exiſtimaſſe corporeos, & carnalis commixtionis capaces, & in hoc deceptos fuiſſe; aliis è contra oppoſitum pro veritate ſentientibus, ut ſuperiùs oſtendi. Quare ex eorum teſtimonio nihil conficitur.

XXV. Reſpondeo ſecundò. Multos etiam eorum, non aſſerendo, ſed dubitando, ſive opinando locutos eſſe: cùm enim illorum plerique Philoſophiâ Platonicâ imbuti eſſent, putarunt, Angelos ſicut homines habere animas, & propterea corpore conſtare, & ſpiritu. Platonicos autem inter quos Apu-

Apulejum definiiſſe Angelos ſeu Dæmones, quòd ſint: *genere animalia, animo paſſiva, mente rationalia, corpore aeria, tempore aeterna* refert S. Auguſt. *lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 15. Ambigendi occaſionem dedit eis nomen *ſpiritus*, quod cùm æquivocam ſignificationem habeat, ut ſupra diximus, pro re corporea, ſubtili tamen, & agili ſæpè, etiam in Scriptura, uſurpatur. Præ cæteris opinando, ſeu veriùs dubitando, locutum fuiſſe S. Auguſtinum ſuperiùs indicavimus: imò ſi quid aſſerendo dixiſſe viſus fuerit, hoc demum retractavit tùm *lib.* 1. *Retract. cap.* 11. Tùm *lib.* 2. *cap.* 14. ut ſuperius §. 2. obſervavimus. Et quoties Angelos corporeos eſſe dixit, tanquam rem dubiam propoſuit, ut *lib.* 21. *de Civit. Dei cap* 10. cùm enim dixiſſet Dæmonibus ſua ineſſe corpora, *ſicut doctis hominibus viſum eſt*: & propterea in inferno igne corporeo torqueri poſſe ſubjunxit. *Si autem quiſquam nulla habere corpora Dæmones aſſeverat, non eſt de hac re, aut laborandum operoſâ inquiſitione, aut contentioſâ diſputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœnâ corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum, etiam ipſi profecto incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? &c.* Dubium ſuum expreſſit etiam *lib.* 3. *de Geneſ. ad litt. cap.* 10. propoſitâ opinione quòd Dæmones habeant corpora, ſubdit: *Si hæc ita ſint*. Eodem modo loquitur *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 23. de quo infra

XXVI. Reſponderi tertiò poteſt, non omnes præfatos Patres, dùm Angelos corporeos eſſe admiſerunt, ſumſiſſe vocem *corporeum* in ſtricta ſignificatione, hoc eſt pro ſubſtantia in longum, latum, & profundum extenſâ, ſed latè hoc eſt, pro omni eo, quod loco definitur, ſeu quod ita eſt in uno loco, ut non ſit alibi. Unde in hoc ſenſu D. Hilarius *lib.* 2. *de Trinit. nu.* 31. ſolum Deum eſſe Spiritum, dicit: *Spiritus nec circumſcribitur, nec tenetur, quia per natura ſuæ virtutem ubique eſt, neque uſquam abeſt*; quo certè modo nec Angelus, nec ulla creatura ſpiritus eſt. Vel *corporeum* intellexerunt omne id, quod eſt aliquomodo compoſitum, ſive ex ſubſtantia & eſſe, ſive ex ſubjecto, & accidentibus, ſive omnino ſpirituale ſit, ſive ex ſpiritu, & corpore conſtans: & in hoc ſenſu ſolum Deum eſſe Spiritum dixerunt. Unde Damaſcenus lib. 2. de Fide c. 3. *Quòd autem* (inquit) *corpore, ac materiâ* (Angelus) *vacare dicitur, hoc noſtri ratione intelligendum eſt. Alioqui enim quidquid unà Deo confertur, qui ſolus nulli comparari poteſt, craſſum, & materiale invenitur*.

XXVII. Porrò, ad id, quod dicebant, Angelos deſertores ex incontinentia lapſos, mulieribus carnaliter commixtos, filios genuiſſe, in quo omnes conveniſſe videntur: Reſpondeo, in primis hoc de primo Angelorum lapſu intelligi non poſſe. Nam hic ex ſuperbia, non ex incontinentia ortum habuit, contigitque paulò poſt Angelorum creationem; etiam ante mulieris formationem: etenim Hevâ vix productâ, jam aderat Angelus ſeductor. Commixtio autem cum mulieribus, quam Veteres confingunt poſt multa ſecula, nempè Noe temporibus, contigiſſe narratur.

Quòd ſi dicatur, fuiſſe ex illis, qui primum apoſtatantes cum diabolo principe ſuo ceciderunt, illum, qui primum hominem per invidiam ſerpentinâ fraude dejecit, ut ait Auguſtinus *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 23. & propterea vocari *filii Dei*, & apud lxx. *Angeli Dei*, Neque hoc valet: nam in primis Angeli mali nullibi in Scriptura vocantur *filii Dei*. Deinde Angelos etiam malos carnaliter poſſe commiſceri cum fœminis incertum eſt, maximè cùm ad hoc opus corpus ſolidum ex carne, ac nervis conſtans requiratur, non purè aereum, quale

in

in dæmonibus Veteres fingebant. Dato autem hoc eſſe poſſibile, reverâ non fuit. Nam voces illæ *filii Dei* debent accipi de illis, quorum peccatum diluvii cauſa fuit: hujus autem cauſa peccatum hominum extitit, non Angelorum; ait enim Moyſes Gen. cap. 6. *Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecùs, delebo inquit hominem, quem creavi, à facie terræ.* Nec movere debet, quòd filii ex iis geniti, quaſi non eſſent homines generis noſtri, gigantes vocentur. Nam reſpondet D. Auguſt. *lib. 15. de Civit. Dei cap.* 23. citato, homines, etſi giganteæ molis, adhuc eſſe ejuſdem naturæ nobiſcum, & ante paucos annos gigantes ſuo tempore fuiſſe refert ex hominibus genitos. Præterquamquòd, cùm intrarent filii Dei ad filias hominum, jam erant gigantes ſuper terram: ait enim Script. Gen. 6. v. 4. *Gigantes autem erant ſuper terram illis diebus.* Ita advertit S. Auguſtinus laudatus.

XXVIII. Minùs movet, quòd *qui filii Dei* in noſtra Verſione dicuntur, in Verſione lxx. Angeli Dei nuncupentur. Nam ut idem S. Auguſt. laudato loco monet, hoc *quidem non omnes Codices* [etiam lxx.] *habent; nam quidam niſi* filii Dei *non habent.* Unde Juliano Apoſtatæ, qui ſimilibus Codicibus fretus objiciebat, Gigantes ex permixtione Angelorum immortalium cum mortalibus fœminis progenitos fuiſſe, reſpondet S. Cyrillus lib. 9. contra Julian. *Julianus extrinſecùs additum aſſeruit*, Angeli Dei, *licèt Scriptura verior, & quæ in manibus eſt, habeat* filii Dei. Ita Cyrillus, & meritò. Nam *filii Dei*, vel *Elohim* ideſt *Deorum* reddit textus hebraicus & *Aquila* (inquit S. Auguſt. laudatus) *quem interpretem Judæi cæteris anteponunt, non Angelos Dei, non filios Dei, ſed filios Deorum* interpretatus eſt. Interpretatio tamen Chaldaica, &c. Verſio lxx. quæ in Bibliis Complutenſibus legitur, reddit *filii Dei*. Dato autem, quòd etiam *Angeli Dei* dici poſſit, quis vetat Angelos Dei intelligi poſſe etiam homines, ut de Joanne Baptiſta dicitur Marci 1. v. 2. *Ecce mitto Angelum meum?* Senſus ergo erit verborum Moyſis, inquit Auguſtinus, *Spiritu autem Dei fuerant facti Angeli Dei, ſed declinando ad inferiora, homines dicuntur nomine naturæ, non gratiæ; dicuntur, & caro deſertores ſpiritus, & deſerendo deſerti.* Ita ſanè: quomodo enim Dæmones cum mulieribus nubentes, *Angeli Dei* dicerentur, ſi & ipſi homines, dum poſt reſurrectionem nec nubent, nec nubentur dicuntur à Chriſto (Matth. 22. v. 30.) futuri *ſicut Angeli Dei in Cœlo?*

XXIX. Neque juvat, quòd, qui mulieres acceperunt uxores, & ex eis filios ſuſceperunt *Angeli* dicantur in libro *Enoch*, qui, etſi non Canonicus, non levis tamen eſt ponderis, cùm ex eo S. Judas in ſua Epiſtola v. 14. teſtimonium deſumſerit.

Non inquam juvat. Nam Liber Enoch apocriphus habendus eſt, nec Canonicus efficitur, aut indubiæ auctoritatis in omnibus, per hoc quòd à S. Juda in Epiſtola ſua referatur, ſed ſolùm, quòd non in omnibus contemnendus ſit. Ut enim ait D. Auguſtinus loco ſæpè citato: *In his apocriphis, etſi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falſa, nulla eſt canonica auctoritas. Scripſiſſe quidem nonnulla divina Enoch illum ſeptimum ab Adam, negare non poſſumus, cùm hoc in Epiſtola Canonica Judas Apoſtolus dicat. Sed non fruſtra non ſunt in eo Canone Scripturarum, qui ſervabatur in Templo Hebræi populi ſuccedentium diligentiâ Sacerdotum, niſi quia ob antiquitatem ſuſpecta fidei judicata ſunt, nec utrum hæc eſſent, quæ ille ſcripſiſſet, poterat inveniri.... Unde illa, quæ ſub ejus nomine proferuntur, & continent iſtas de gigantibus fabulas,* quòd non

habuc-

Digitized by Google

habuerint homines Patres, rectè à prudentibus judicantur non ipſius eſſe credenda &c. Hæc S. Auguſtinus.

XXV. Supereſt modò ſtatuere, qui fuerint iſti dicti *Filii Dei*, ſi non fuerunt Angeli, ſed homines.

Reſpondet S. Auguſtinus laudatus: fuiſſe filios Seth, ſeu qui à Seth Adæ filio propagati ſunt, dicti propterea filii Dei, quia in Juſtitia perdurarunt, donec amore filiarum hominum, deſcendentium ſcilicet à Cain, amore capti à juſtitia declinarunt. Ita quoque S. Cyrillus citato *lib. 9. contra Julianum*. Interfecto enim per Cain Abele nullâ prole relictâ, & ſubinde ex Heva genito Seth, totum genus humanum ab hiſce duobus, Cain, & Seth, propaginem traxit. Deſcendentes ergo à Seth per Enos verum Dei cultorem, juſtitiam, Deumque amantes, filii Dei uſque ad Noe tempora appellati ſunt; ubi ex Cain prognati, ſequentes Avi mores, impiam, ac nefariam vitam inſtituentes, filii, & filiæ hominum dicti fuerunt. Porrò filii Seth cum filiis Cain genus non miſcebant, & à prophanis puri ſe ungebantur, uſque ad tempora Noe. Verùm, cùm inardeſcente libidine erga filias Cain, eas filii Seth in uxores duxiſſent, & *quùm proſapia inter ſe mixtæ eſſent, & implexu mali bonum deletum eſſet; quùm juſtitia, & integritas vitæ non eſſet ampliùs apud terræ incolas, eluvionem emiſit univerſi Deus, unam in omnes ex æquo mortem ſtatuens*. Ita concludit S. Cyrillus citatus. Idem ſentit D. Thom. 1. *par. qu. 51. art. 3. ad 6.* ubi poſtquam retulit Auguſtini verba lib. 15. de Civit. Dei cap. 23. ſuperiùs relata §. 1. num. 7. de Silvanis, & Faunis, quos cum mulieribus habuiſſe concubitus, multi experientiâ teſtati ſunt, ut hoc negare impudentiæ videatur; ſubdit: *Sed Angeli Dei Sancti nullo modo ſic labi ante diluvium potuerunt. Unde per filios Dei intelliguntur filii Seth, qui boni erant. Filias autem hominum nominat Scriptura eas, quæ natæ erant de ſtirpe Cain. Neque mirandum eſt quòd de eis gigantes naſci potuerunt. Neque enim omnes gigantes fuerunt, ſed multò plures ante diluvium, quàm poſt.* Oportuit aliquantiſper in hoc detineri, erat enim præcipuum Veterum pro Angelorum corporeitate argumentum.

XXVI. Objici poteſt ſecundò. Scriptura Sacra deſcribit Angelos humanis ſenſibus perceptibiles, in figura humana Patriarchis, & Prophetis ſeſe exhibentes, ab Abraham convivio exceptos. (Gen. 18. 19.) Jacob cum Angelo luctatus, & totâ nocte, (Gen. 32.) Angelos aſcendere, & deſcendere per ſcalam vidit. (Gen. 28.) Angelus Raphael Tobiæ Juniori comes fuit in via, cum ipſo manducavit, eumque docuit, quòd jecore piſcis fugarentur Dæmones (Tobiæ *6.* & 8.) qui etiam cruciantur igne inferni (Matthæi 25.) vinculis captivantur (Judæ v. *6.*) detrahuntur rudentibus in Tartarum (2. Petri 2.) Quid ergo eis deeſt, ne ſint corporei?

XXVII. Reſpondeo, quòd Angeli, etſi ſub corporea forma interdum apparuerint, hoc non contigit, quia habeant corpora ſibi naturaliter unita, tanquam eis indigentes ad ſuas operationes, ut oſtendit S. Thom. 1. *par. qu. 51. art.* 1. ſed quòd interdum propter nos aſſumſerint corpus, præcipuè in Veteri Teſtamento, ut familiariter cum hominibus converſantes, oſtendant intelligibilem ſocietatem, quam homines expectant cum eis habendam in futura vita, vel quòd Verbum aliquando aſſumturum eſſet corpus humanum. Ita D. Thom. mox citatus *art. 2. ad* 1. Non enim quæ in Scripturis divinis leguntur de apparitionibus Angelorum dicenda ſunt contigiſſe in viſione prophetiæ, hoc eſt, ſecundùm imaginationem. Nam (inquit S. Thom. ibidem in corp.) *quod imaginariâ viſione videtur, eſt in ſola imaginatione videntis. Unde non videtur indifferenter ab omnibus. Scriptura autem divina ſic introducit interdum Angelos apparentes, ut communiter ab om-*

Digitized by Google

omnibus viderentur. Sicut Angeli apparentes Abraha viſi ſunt ab eo, & totâ familiâ ejus, & à Loth, & à civibus Sodomorum. Similiter Angelus, qui apparuit Tobia ab omnibus videbatur. Ex quo manifeſtum eſt, hujuſmodi contigiſſe ſecundùm corpoream viſionem, quâ videtur id, quod eſt poſitum extra videntem, unde ab omnibus videri poteſt. Tali autem viſione non videtur niſi corpus.

XXVIII. Porrò hujuſmodi corpora aſſumta plerumque formantur ex aere. *Licèt* enim *aer in ſua raritate manens, non retineat figuram, neque colorem; quando tamen condenſatur, & figurari, & colorari poteſt, ſicut patet in nubibus. Et ſic Angeli aſſumunt corpora ex aere, condenſando ipſum virtute divinâ, quantum neceſſe eſt ad corporis aſſumendi formationem.* Ita S. Doct. ibi ad 3. *Corpus* autem *illud aſſumtum unitur Angelo, non quidem ut formæ, neque ſolùm ut motori, ſed ſicut motori repræſentato per corpus mobile aſſumtum. Sicut enim à Sacra Scriptura proprietates rerum intelligibilium ſub ſimilitudinibus rerum ſenſibilium deſcribuntur: ita corpora ſenſibilia divinâ virtute ſic formantur ab Angelis, ut congruant ad repræſentandum Angeli intelligibiles proprietates.* Ita S. Doct. ibi ad 2.

XXIX. Ex hoc autem, quòd corpora illa non uniantur Angelo aſſumenti, ut formæ, ſequitur, ea tali aſſumtione non verè vivere, nec Angelos in eis opera vitæ vitali modo exercere. Ita D. Thom. ibid. a. 3. Quare inquit ad 4. *Angeli propriè non loquuntur per corpora aſſumta, ſed eſt aliquid ſimile locutioni, inquantùm formant ſonos in aere ſimiles vocibus humanis. Nec etiam* (proſequitur ibi ad 5.) *comedere propriè loquendo Angelis convenit, quia comeſtio importat ſumtionem cibi convertibilis in ſubſtantiam comedentis. Et quamvis in Corpus Chriſti poſt reſurrectionem cibus non converteretur, ſed reſolveretur in præjacentem materiam; tamen Chriſtus habebat Corpus talis naturæ, in quod poſſet cibus converti; unde fuit vera comeſtio. Sed cibus aſſumtus ab Angelis neque convertebatur in corpus aſſumtum, neque corpus illud talis erat naturæ, in quod poſſet alimentum converti; Unde non fuit vera comeſtio, ſed figurativa ſpiritualis comeſtionis. Et hoc eſt quod Angelus dixit Tobiæ 12.* Cùm eſſem vobiſcum, videbar quidem manducare, & bibere, ſed ego potu inviſibili, & cibo utor. *Abraham autem obtulit eis cibos, exiſtimans eos homines eſſe, in quibus tamen Deum venerabatur.*

XXX. Hæc voluî, ut meus Candidatus ex D. Thoma diſceret, quibus, & objectis reſpondere poſſit, & inſuper de modo, quo ab Angelis corpora aſſumantur inſtructus eſſe. Ad ea quæ ſubjiciuntur reſpondendum eſt.

Et primò. Quod dicitur de jecore piſcis, quo Dæmon fuit fugatus, non indicat, in illo jecore naturalem vim extitiſſe ad Dæmonem fugandum; ſed vel phyſicam, ut in inſtrumento divinæ virtutis, ſicut in igne Inferni ad eum torquendum, vel moralem: cùm enim illa fumigatio jecoris eſſet precibus, & caſtitatis uſui adjuncta movit Deum, ut per Angelum Dæmonem fugaret. Quare dicitur Tobiæ 8. v. 3. *Tunc Raphael apprehendit Dæmonium, & religavit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* Sic & in exorciſmis fumigationes, herbæ, aliaque ut ſulphur &c. interdum adhibentur, quibus Dæmones, vel fugari, vel torqueri videntur; non quia illis aliqua vis innata inſit: ſed vel quia precibus mixtæ, vel quia in Dæmonum contemtum adhibitæ, vel quia humoribus temperandis aptæ, ut Dæmones iis minus commodè ad energumenos vexandos uti poſſint. Dicuntur etiam vinculis, & rudentibus alligari tropicè pro ſpirituali alligatione ad certum locum, ne operando ferantur extra illum. Quod verò dicitur de igne inferni Dæmones crucianie, ſi evinceret, eos eſſe corporeos, evinceret quoque animas damnatorum eſſe corporeas,

Digitized by Google

reas, quæ eodem igne torquentur miris, ſed veris modis tanquam inſtrumento divinæ virtutis

Solet adduci illud 1. *Reg.* 16. *v.* 23. ubi dicitur, quòd pſallente David cytharâ ſpiritus malus recedebat à Saul. = Sed ad hoc dico, quòd canente David cytharâ ſpiritus ille malus recedebat virtute divinâ, vel propter ſacros hymnos, & pſalmos, quos canebat David, ad quorum deprecationem Deus Dæmonem recedere jubebat: vel quòd cantus ille ſolùm indirectè ad hunc effectum agebat, temperando nimirùm triſtitiam Regis, & humorem melanchonicum, quo mediante Dæmon illum vexabat, vel excitando animam ejus ad divinorum contemplationem, & laudem.

Solet adduci etiam, Dæmones aliquando cum mulieribus concubuiſſe. Sed ad hoc fusè jam dictum eſt. Addam cum D. Thom. 1. *par. qu.* 51. *art.* 3 *ad.* 6. Quòd *ſi ex coitu Dæmonum aliqui interdum naſcuntur, hoc non eſt per ſemen ab eis deciſum, aut à corporibus aſſumptis, ſed per ſemen alicujus hominis ad hoc acceptum, utpote quòd idem Dæmon, qui eſt ſuccubus ad virum, fiat incubus ad mulierem; ſicut & aliarum rerum ſeminæ aſſumunt ad aliquarum rerum generationem, ut Auguſt. dicit 3. de Trinit. c.* 8 *&* 9. *ut ſic ille, qui naſcitur non ſit filius Dæmonis, ſed illius hominis, cujus eſt ſemen acceptum.*

XXXI. Objici poteſt tertiò. In Concilio Nicæno II. actione 5. lectus fuit Dialogus Joannis Theſſalonicenſis inter Chriſtianum, & Paganum, in quo vir ſanctus cum eo diſputans inducitur. Cumque Paganus, eſto admitteret Deum ut incarnatum, quia hominem factum poſſe depingi, id tamen de Angelis negaret, quia incorporei, dicens: *Eſto. Deus verbum ut incarnatum depingitur: de Angelis quid aſſeritis? Et ipſos namque depingitis, ut homines, & adoratis, quamquam homines non ſint, ſed intelligibiles, & incorporales, & dicti, & exiſtentes.* Ita Paganus. *Cui Sanctus dixit.* Primò. *De Angelis, & Archangelis, & ſanctis Virtutibus, quæ ſuper iſtos ſunt, addam autem etiam & noſtras hominum animas, intelligibiles quidem eos Catholica, & Apoſtolica novit Eccleſia, non tamen incorporales omnino, & inviſibiles, ſicuti vos Pagani fatemini: ſubtiles autem corpore, & aereos, & igneos ſecundum id quod ſcriptum eſt.* Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem. Secundò. *Et hoc multos ſanctorum Patrum noſtrorum ſenſiſſe invenimus, quorum eſt Baſilius ille magnus, & Sanctæ memoriæ Athanaſius, atque Methodius.* Tertiò. Quòd *ſola, ut veraciter fateamur, Divinitas eſt incorporalis, & incircumſcripta. Porrò intelligibiles creaturæ non omnino incorporales, & inviſibiles, ut Divinitas ſunt, propter quod in loco ſunt, & circumſcriptæ conſiſtunt.* Quartò addit, quòd *ſicubi reperis incorporeos vocari Angelos, aut Dæmones, aut animas: tanquam non exiſtentes de commixtione materialium quatuor elementorum, ſic eos noveris appellatos: cùm non ſint & ipſa corpora craſſa, & ſimilia his, quibus nos circumdamur.* Quintò. *Licèt ut verius fateamur, ad comparationem noſtri, incorporei ſunt: at verò viſi ſunt à plurimis crebrò ſenſibiliter in ſpecie propriorum corporum ſuorum... cùm non ſint omninò incorporei, ſicut divina natura.* Tandem cùm his lectis Taraſius Patriarcha dixiſſet. *Oſtendit Pater, quòd & Angelos oporteat pingi, quoniam circumſcripti ſunt, & veluti homines apparuerunt multis.* Cui *Sancta Synodus dixit: etiam Domine.*

Ex his diſcurro ſic Nicæna II. Synodus Generalis VII. probavit, Angelos eſſe corporeos; ergo ita tenendum eſt. Ant. prob. Probavit enim ea, quæ lecta fuerant ex libro Joannis Theſſalonicenſis: at ex eo lectum fuerat. Primò. Angelos non eſſe incorporales omnino, ſed corporeos, & aereos, & igneos. Secundò. Hoc multos Patres ſenſiſſe. Tertiò. Solum Deum veraciter eſſe incorporalem.

Digitized by Google

Quartò. Angelos incorporeos dici, non quia corpore omnino careant, ſed quia carent corpore elementari, & craſſo, quali nos veſtimur. Quintò. Eos veraciter dici incorporeos, per comparationem ad nos, non abſolutè. Et demum ex hoc infert, Angelos poſſe depingi, non verò Deum in ſe, quia purus Spiritus eſt. Ergo Synodus Angelos eſſe corporeos probavit.

XXXII. Huic argumento, quod in hac materia non parvam ingerit difficultatem, ut reſpondeatur, puto diſtinguendum eſſe inter id, quod in libro Joannis Theſſalonicenſis continebatur, & in Synodo fuit lectum; & inter id, quod à Taraſio fuit Synodo propoſitum, ut probandum, quodque erat punctum controverſiæ, quæ tunc agitabatur, & fuit de facto à Synodi Patribus probatum. In libro certè ibi lecto continebatur: Angelos non eſſe omnino incorporeos, & ob hoc poſſe pingi: qua Auctor erat in opinione, tunc, ut vidimus, apud Græcos ſatis frequenti, quod Angeli habeant corpora, eſto aerea, & ſubtilia. At hoc Taraſius Patriarcha non propoſuit Concilio approbandum. Quinimò ſapienter, prudenterque omiſsâ opinione de Angelorum corpore, quam Joannes pro ratione adducebat, & de qua tunc non quærebatur, propoſuit ſolùm, an placeret, ut Angeli pingi poſſent, quia circumſcripti, & ut homines apparuerunt; ait enim. *Oſtendit verò Pater, quòd & Angelos oporteat pingi, quoniam circumſcripti ſunt, & veluti homines apparuerunt multis*, poſt quæ ſtatim ſequitur: *Sancta Synodus dixit: etiam Domine*: quibus Synodus indicavit; ſe probare, quod Taraſius propoſuerat, nempè quod Angelos oporteat pingi, quia circumſcripti ſunt, & ut homines apparuerunt multis. Unde ad diſcurſum factum, negandum eſt antecedens, & ad probat. iterum negandum ant. Concilium enim non probavit omnia, quæ lecta fuerant, ſed ſolùm quæ Taraſius probanda propoſuerat, ut dictum eſt. Huc revocanda ſunt, quæ obſervavimus *tom. 1. q. 1. de dogmat. Theologicis dub. 4. §. 2. n. 16.* nempè, ex iis, quæ in Univerſalibus Conciliis proponuntur, id ſolum habendum eſſe ut definitum, quod eſt definitionis objectum; non verò definitionis motivum, neque alia, quæ à Patribus ſive dicta, ſive lecta, ſive rationes, quæ adducuntur, vel alia, quæ ad explicandum adferuntur.

Porrò, quòd Nicænum ſecundum non probaverit Angelos eſſe corporeos, imò oppoſitum ſenſerit, apparet ex actione præcedente, nempè quarta: ibi enim in profeſſione fidei, quâ iconas, & imagines ſe honorari, & venerari dicunt, recenſent etiam iconas Angelorum incorporalium his verbis: *Sanctorum etiam, & incorporalium Angelorum, ut homines enim juſtis apparuerunt*. Cohærenter ergo *actione 5.* Angelos pingi poſſe concedunt, non quia in ſe corporales ſint; ſed quia cùm ſint incorporales ſub corporali tamen ſpecie hominis Sanctis apparuerunt.

XXXIII. Objici poteſt quartò ex Cajetano. Omnes gradus viventium ad perfectionem Univerſi concedendi ſunt; ergo ſicuti dantur vegetativa ſine ſenſu, & ſenſitiva ſine motu progreſſivo, ſic dari debet intellectivum ſine ſenſu, cum ſolo motu progreſſivo; & hic erit gradus Angelorum, habentium corpus æthereum, ſive aereum.

XXXIV. Reſpondeo primò. Hoc argumentum nec ipſis adverſariis favere nam ſi Angelos eſſe corporeos volunt ex iis, quæ Scriptura de Angelis narrat; cùm hæc non ſolùm proponat eos ambulantes, ſed videntes, audientes, manducantes, & ſecundùm aliquos generantes; dici debebit, Angelos eſſe intellectivos cum ſenſu, & non ſine ſenſu cum ſolo motu progreſſivo.

XXXV. Reſpondeo ſecundò negando conſeq. Eſto enim ad perfectionem Univerſi requirantur omnes gradus eſſendi poſſibiles, qui ſunt eſſe, vivere, & in-

Digitized by Google

& intelligere: ut enim docet S. Thomas hâc 1. par. qu. 22. art. 4. *nempè, quòd poſt bonitatem divinam, quæ eſt finis à rebus ſeparatus, principale bonum in ipſis rebus exiſtens, eſt perfectio univerſi, quæ quidem non eſſet, ſi non omnes gradus eſſendi invenirentur in rebus. Unde ad divinam providentiam pertinet omnes gradus entium producere.* Non tamen neceſſe eſt, ut omnes modi, quibus haberi poſſunt tales gradus, de facto exiſtant: ſicut nec quòd de facto exiſtant omnes ſpecies poſſibiles ſub quolibet gradu. Cùm ergo intellectivum utens corpore ad motum progreſſivum tantùm, & non ad ſenſum, non ſit diverſus gradus, ſed ſolùm diverſus modus eſſendi in gradu intellectivo, dato quòd eſſet poſſibile, non eſſet neceſſe, ut de facto exiſteret. = Imò retorqueo argumentum: omnes gradus vivendi in universo dari debent; ergo ſicut datur vegetans ſine ſenſu, ſentiens ſine motu progreſſivo, & juxta Cajetanum intelligens ſine ſenſu cum ſolo motu progreſſivo; ita dari debet intelligens ſine ſenſu, & ſine motu progreſſivo (id enim poſſibile eſſe, puto, non negaſſet) hoc autem erit Angelus.

XXXVI. Tandem objici poteſt. Nullum mutabile eſt ſimplex: ſed quod eſt compoſitum, & mutabile conſtat materiâ, quæ eſt mutabilitatis, & compoſitionis principium, unde D. Auguſtinus *lib. 7. de Geneſ. ad litt. cap. 6.* dicit, Deum ab initio creaſſe materiam aliquam ſpiritualem, ex qua humanam animam fecit, & à qua habet anima, quòd ſit mutabilis à virtute ad vitium, & è contra, ſicut corpus eſt mutabile à pulchritudine ad deformitatem, à ſanitate ad infirmitatem.

XXXVII. Huic argumento quod impetit ſecundam aſſertionem, reſpondeo, diſtinguendo min. materiâ, vel phyſicâ, vel metaphyſica, con. min. phyſicâ præcisè, nego min. Omne quidem mutabile eſt compoſitum. Sed duplex eſt compoſitio, alia ſubſtantialis, & phyſica, & hæc eſt ex materia & forma, & facit ſubſtantiam non eſſe ſimplicem, ſed in eſſe ſubſtantiali compoſitam. Alia eſt compoſitio accidentalis, & hæc eſt ex ſubjecto, & accidente, ſeu ex ſubſtantia & operatione: & hæc reſultat ex potentia, & actu, & maximè ex eſſentia & eſſe. Omnis ergo mutabilitas ex compoſitione oritur. Si eſt mutabilitas in eſſe, ut in rebus corruptibilibus, ſupponit compoſitionem in ſubſtantia ex materia phyſica & forma. Si verò ſit mutabilitas ſolùm quo ad operationem, vel accidentia, ſupponit ſolùm compoſitionem ex eſſentia, & eſſe, ſeu ſubſtantiam illam non eſſe actum purum. Hoc autem modo ſolùm mutabiles ſunt Angeli.

Auguſtinus autem citato loco non ex ſua opinione loquitur, ſed aliorum, quæ tunc circumferebatur, nempè quòd anima humana ex materia ſpirituali facta eſſet; unde non aſſerendo, ſed dubitando loquebatur. Ait enim: *ſic* fortaſſe *potuit & anima antequam ipſa natura fieret, quæ anima dicitur ... habere aliquam materiam pro ſuo genere ſpiritualem, quæ nondum eſſet anima &c.* Et cap. 7. *At verò,* inquit, *illa ſpiritalis materies,* ſi fuit ulla, *unde anima fieret, vel* ſi eſt ulla *unde animæ fiunt, quid ipſa eſt?* quid aliud ſunt, *fortaſſe, ſi fuit ulla, ſi eſt ulla,* niſi verba dubitantis, non aſſerentis?

Dici etiam poteſt; Auguſtinum materiæ ſpiritalis nomine non intellexiſſe materiam phyſicam, ſeu primam, ſed ipſam eſſentiam animæ, nondum formatæ ſpeciebus ad intelligendum; quod colligo ex eodem S. Doctore ibi c. 7. Comparat enim illam ſpiritualem materiam animæ infantis dicens: *Si enim videmus infantilem animam, jam utique hominis animam, nondum capiſſe uti ratione, & tamen eam rationalem dicimus; cur non credatur, ſic in illa materie, de qua facta eſt animâ, quietum fuiſſe motum etiam ſentiendi, ſicut in iſta infantili, quæ jam certè anima eſt hominis, quietus eſt adhuc* mo-

motus ratiocinandi? Loquitur ergo de materia, de qua facta eſt anima, non quoad eſſe, ſed quoad motum, & operationem. Eſſentiam enim animæ dici poſſe ſicut materiale ipſius docet Divus Thomas 1. *p. q.* 90. *a.* 2. *ad* 1.

Addo, non eſſe mirum S. Auguſtinum in hac materia viſum aliquando fuiſſe ambiguè loqui. Quæſtio enim de animæ origine erat ſuo tempore nondum planè deciſa. Quænam ſua eſſet ſententia apertè prodidit in Actis contra Fortunatum Manichæum, Diſput. 1. diei, ubi ait: *Animam dico factam à Deo, ut cætera omnia, quæ à Deo facta ſunt.... ſi autem quæris, unde Deus animam fecit? memento, confiteri me tecum, Deum eſſe omnipotentem. Omnipotens autem non eſt, qui quærit adjuvari aliquâ materia, unde faciat quod velit. Ex quo eſt conſequens, ut ſecundùm fidem noſtram, omnia quæ Deus fecit per Verbum, & ſapientiam ſuam, de nihilo fecerit. Sic enim legimus: ipſe juſſit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & conſtituta ſunt.*

XXXVIII. Quæres, an de fide tenendum ſit modò, Angelos eſſe incorporeos?

In hoc variant Doctores. Quidam aſſerunt, poſt Definitionem Concilii Lateran. IV. ſæpè laudati, quâ ſtatuuntur Angeli incorporei contradiſtinctè ad hominem, qui conſtat ex corpore & ſpiritu, omnino tenendum eſſe de fide, Angelos eſſe incorporeos; ut hæreſi notandus eſſet, qui oppoſitum ſentiret.

Alii moderatiùs loquentes ſentiunt, temerarium quidem fore, qui Angelos corporeos aſſereret, etiam poſt Lateranenſe, non tamen (formaliter ſaltem) hæreticum. Etenim multi, iique graviſſimi viri, qui etiam poſt præfatum Concilium ſcripſerunt, quæſtionem hanc tanquam ad fidei ſummam non pertinentem, inter problemata reliquerunt D. Tho. *q.* 16. *de malo*, quæ eſt de Dæmonibus *art.* 1. *in corpore*, ait: *dicendum, quòd ſive Dæmones habeant corpora ſibi naturaliter unita, ſive non habeant, hoc non multum refert ad fidei chriſtianæ doctrinam.* Et Sixtus Senenſis in ſua Biblioteca ſancta *lib.* 5. *annot.* 8. & ſi proteſtetur, ſe tanquam potiorem exiſtimare ſententiam, quæ Angelos ſpirituales, & incorporeos aſſerit, maximè poſt decretum Concilii Lateranenſis, profitetur tamen, malle ſe Bernardi modeſtiam ſerm. 5. in Cantica nihil de hac re pro certo definientis, imitari.

Neque enim Lateranenſis Concilii intentum, fuit definire, Angelos eſſe creaturas merè ſpirituales, ſed ſolùm, Deum eſſe Creatorem omnium, quæ in univerſo ſunt, tam eorum, quæ dicuntur corporalia, & viſibilia, quàm eorum, quæ ſpiritualia, & inviſibilia dicuntur; ſive hæc prorsùs corpore careant, ſive alia generaliori ratione ſpiritualia, & inviſibilia dicantur. Quia principale intentum Concilii erat agere contra Albigenſes, qui Manichæos ſecuti, contendebant, Deum non eſſe omnium omnino principium; ſed quædam, nempè viſibilia, eſſe à principio nequam, quædam, nempè inviſibilia, à principio bono, quorum utrumque Deum eſſe dicebant. Hoc ex eo apparet, quòd tota vis Decreti eſt, ut admittatur unus ſolus verus Deus, *unum univerſorum principium. Creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium.*

DUBIUM II.

An natura Angelorum ſit multiplicabilis, & quomodo?

§. I.

De numero Angelorum.

I. Dico primò. Angelos eſſe in maxima multitudine omnem materialem multitudinem excedente. Ita D. Tho. hâc *q.* 50. *a.* 3. & alibi. Hanc veritatem primò oſtendit Scriptura Job. 25. v. 3. *nunquid eſt*

eſt numerus militum ejus? Nomine autem militum Dei Angelos intelligi indicat S. Lucas c. 2. v. 13. *& ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ Cæleſtis*. Super hoc S. Gregorius lib. 17. moral. c. 13. alias 9. *In cognitione* (inquit) *humanæ rationis ſupernorum ſpirituum numerus non eſt: quia quanta ſit illa frequentia inviſibilis exercitus neſcit: de quo per Danielem dicitur* (c. 7. v. 10.) millia millium miniſtrabant ei , & deciès centena millia aſſiſtebant ei . *Supernorum civium numerus infinitus , & definitus exprimitur: ut qui Deo eſt numerabilis, eſſe hominibus innumerabilis demonſtretur. Quamvis aliud eſt aſſiſtere, aliud miniſtrare . Aſſiſtunt enim illæ procul dubio Poteſtates, quæ ad quædam hominibus nuncianda non exeunt: miniſtrant verò hi , qui ad explenda officia nunciorum veniunt: ſed tamen ipſi quoque contemplatione ab intimis non recedunt. Et quia plures ſunt , qui miniſtrant , quàm hi , qui principaliter aſſiſtunt , aſſiſtentium numerus , quaſi definitus , miniſtrantium verò indefinitus oſtenditur.*

Angelos verò ſpiritus rectè Dei milites dicimus , quia decertare eos contra poteſtates aereas non ignoramus . Quæ tamen certamina , non labore , ſed imperio peragunt: quia quidquid agendo contra immundos ſpiritus appetunt , ex adjutorio cuncta regentis poſſunt . Hæc D. Gregorius.

II. Ex quibus colligo primò. Angelorum numerum non eſſe infinitum, ſed indefinitum, quia à nobis numerari non poteſt. Secundò. Majorem eſſe numerum Angelorum, qui nobis miniſtrant , quàm eorum , qui Dei throno principaliter aſſiſtunt . Tertiò. Angelos contra aereas Poteſtates pugnare , ſicut Michaelem, & Angelos ejus cum Dracone , ideſt Diabolo Apocal. 12. v. 7. & hoc facere, non labore , non armis , ſed imperio, Dei adjutorio roborante.

Ex his quoque congruentiſſima ratio conficitur. Decet enim ſummum, & potentiſſimum Imperatorem habere copioſam familiam , & exercitum; nam Prov. 14. v. 28. *In multitudine populi dignitas Regis , & in paucitate plebis ignominia principis:* ſed Deus eſt Rex maximus , nempè *Rex Regum, & Dominus Dominantium* [Apoc. 19. v. 16.] decuit ergo , eum habere plurimos ſibi aſſiſtentes , & militantes Angelos.

III. Ratio, quâ D. Thomas probat hanc veritatem hoc *a.* 3. ſic proponitur. Quantò aliqua ſunt magis perfecta , tantò in majori exceſſu ſunt creata à Deo: ſed Angeli ſunt inter creaturas maximè perfecti ; ergo in majori exceſſu à Deo ſunt creati : ſed non exceſſu magnitudinis , quia Angeli, utpotè incorporei , ſunt incapaces quantitatis, & proindè magnitudinis; ergo exceſſu multitudinis. omnis enim exceſſus, vel in magnitudine , vel multitudine eſſe debet. Sicut ergo: *corpora incorruptibilia , quæ ſunt perfectiora inter corpora , excedunt quaſi incomparabiliter ſecundùm magnitudinem corpora corruptibilia ; nam tota ſphæra activorum , & paſſivorum eſt aliquid modicum reſpectu corporum Cæleſtium.* Ita *rationabile eſt , quòd ſubſtantiæ immateriales excedant ſecundùm multitudinem ſubſtantias materiales, quaſi incomparabiliter.*

IV. Contra hanc rationem plura videntur obſtare. Primò. Nam ſi ex exceſſu in perfectione arguitur exceſſus in multitudine in rebus ſpiritualibus, ſequitur, quòd, cùm Deus in infinitum excedat omnes creaturas, eas deberet excedere in multitudine, & conſequenter dandi eſſent innumerabiles Dii. Vel ſaltem, quòd numerus divinarum Perſonarum deberet excedere incomparabiliter multitudinem rerum creatarum , cùm has in infinitum excedant.

Secundò . Quòd in Mundo deberet eſſe plus auri, quàm argenti, & plus argenti, quàm plumbi.

Tertiò . Quòd deberent eſſe plures Soles.

V. Sed

V. Sed reſpondeo, nullum dictorum ſequi. Non primum. Nam D. Thomas loquitur de exceſſu perfectionis in re limitata, nec continente omnes cujuſque generis perfectiones, ſicut continet Deus, qui propterea eſt eſſentialiter unus. Loquitur etiam de natura, quæ eſt communicabilis cum ſui multiplicatione, qualis non eſt divina. Cùm ergo Perſonæ non multiplicentur ad multiplicationem naturæ divinæ, ſed actionum communicantium eandem naturam, & hæ ſint tantùm duæ; ideò tres tantùm ſunt Perſonæ, ut in Tractatu de Trinitate dictum eſt.

Non ſequitur ſecundum. Nam Sanctus Doctor loquitur de partibus principalibus Univerſi, & per ſe primò intentis in rerum creatione: non de partibus materialibus, & de ſecundaria intentione; hujuſmodi autem ſunt aurum, argentum, & ſimilia.

Non tertium. Tùm quia S. Thomas loquitur ſolum de multiplicatione ſpecifica, quæ eſt per ſe primò intenta, non de multiplicatione numerica, & individuali; quæ, cùm ſit ſolùm intenta ob conſervationem ſpeciei, locum non habet in rebus incorruptibilibus, qualia ſunt aſtra. Tum quia ab exceſſu in perfectione colligit Divus Thomas exceſſum, vel in multitudine, vel in magnitudine. Sol autem excedit in magnitudine hæc inferiora.

VI. Dices. Quò aliquid perfectius eſt, eò magis accedit ad Deum, qui eſt maxime unus: ſed quod magis accedit ad unitatem eò minùs eſt multiplicatum, ut patet in numeris; ergo cùm Angeli magis accedant ad Deum, eò minus erunt multiplicati.

VII. Reſpondeo cum D. Thoma hoc *art. 3. ad 2.* diſt. min. minùs eſt multiplicatum multitudine partium componentium, concedo min. multitudine ſuppoſitorum illud participantium, nego min. Quod ergo maximè accedit ad unitatem, minùs habet de multitudine in ſui compoſitione, ut patet in numero binario, qui minùs habet de multitudine in ſui compoſitione, quàm ternarius. Non verò minus habere debet de multitudine ſuppoſitorum ipſum participantium. Unde (inquit D. Thom.) *ex hoc quod natura angelica eſt Deo propinqua, oportet, quòd habeat minimum de multitudine in ſui compoſitione, non autem ita, quòd in paucis ſalvetur.*

VIII. Cum verò dicit D. Thomas, numerum Angelorum eſſe incomparabiliter majorem numero rerum materialium, exiſtimabit fortè quis, eum longè ſuperare multitudinem arenarum maris, aut guttarum aquæ.

Sed immeritò. Nam D. Thomas non intendit, numerum Angelorum excedere numerum quorumcumque individuorum; ſed eorum, quæ per ſe producuntur, & ſunt tota quædam perfecta, ut ſunt homines, equi, arbores: vel fortè veriùs, majorem eſſe numerum Angelorum numero ſpecierum rerum materialium. Hoc enim indicat ipſe *quæſt. 6. de potentia art. 6. in c.* ubi ait, quòd *ſubſtantia incorporea, ſicut Dionyſius dicit 4. cap. Cœleſtis Hierarch. omnem multitudinem materialium ſpecierum tranſcendunt... quod quidem affluentiæ divinæ bonitatis concordat, ut ſcilicet ea quæ nobiliora ſunt copioſiùs in eſſe producat.* Quibus aliam rationem pro hac veritate ſubminiſtrat. Nam cùm de ratione ſummæ bonitatis ſit maximè ſe diffundere, & copioſiùs in nobiliora, quàm in minus nobilia, ſequitur, quòd copioſiùs ſe diffundat in rerum incorporearum, nempè Angelorum multitudine, producendo in eſſe plures ſpecies Angelorum, quàm rerum materialium.

IX. Sed quæres: an numerus Angelorum excedat quoque numerum hominum, qui erunt, ſunt, & fuerunt?

Reſpondeo affirmativè. Hoc enim indicat parabola boni Paſtoris (quam Chriſtus proponit Lucæ 15.) qui relictis nonaginta novem ovibus, quæſitum abit unam deperditam, & inventam

tam humeris reportat. Ovem autem illam unam, humanam eſſe naturam peccato Adæ deperditam, quam quæſitum venerat; nonaginta verò relictas, Angelos eſſe ex contextu Evangelii patet; & ita inſuper exponunt S. Ambroſius *lib. 7. in c. 15. Lucæ*. S. Hilarius in c. 18. Matth. num. 5. *Ovis una* (inquit) *homo intelligendus eſt, & ſub homine uno univerſitas ſentienda eſt. Sed in unius Adæ errore omne hominum genus aberravit; ergo nonaginta novem non errantes multitudo Angelorum Cœleſtium opinanda eſt, quibus in Cœlo eſt lætitia, & cura ſalutis humanæ.*

Sanctus quoque Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech.* 15. colligens, quanta ſit futura in Judicio extremo Reproborum confuſio coram tanta multitudine teſtium Angelorum. *Cogita* (inquit) *quàm numeroſa ſit Romanorum natio; reputa, qualis Barbarorum nunc in vivis degentium multitudo, & quàm magna ante centum annos è vivis exceſſerit. Penſa, ante annos mille, quanta ſepulta ſit. Revolue animo, qui ab Adamo uſque in præſentem diem exſtiterunt. Ingens quidem multitudo: adhuc tamen parva; plures namque Angeli. Hi ſunt nonaginta novem oves illæ, cùm una tantùm ſit humanum genus.* Deinde rationem ſubjungens ait: *Nam pro magnitudine locorum, quorumlibet incolarum æſtimandus eſt numerus. Terra univerſa puncti inſtar eſt in medio unius Cœli: tantamque Cœlum, quod illam ambit incolentium multitudinem continet, quantam ipſum habet amplitudinem. Et Cœli Cœlorum omni æſtimatione ſuperiorem numerum complectuntur.* Quod eſt dicere. Ex loci magnitudine, incolarum numerus æſtimandus eſt; ſed Cœlum Empyreum, cujus Angeli ſunt incolæ, eſt immenſæ magnitudinis, cùm ad ipſum terra, cujus homines incolæ ſunt, comparetur ut punctum ad circumferentiam; ergo in immenſum major eſt multitudo Angelorum, quàm hominum.

X. Id etiam comprobat communis Theologorum ſententia affirmantium, ſingulis hominibus ſingulos Angelos Cuſtodes dari, imò uni homini plures, ut docet D. Thom. 1. *par. qu.* 113. *art.* 2. & inſuper ſentiunt multi, Angelum unius hominis cuſtodiæ deputatum, alterius, nec ſucceſſivè cuſtodiæ deputari. Dari inſuper ſingulis irrationalium rerum ſpeciebus unum Angelum Præſidem, & hos omnes Angelos eſſe de Ordinibus inferioribus. Cùm ergo à mundi primordio uſque ad finem quilibet homo, qui fuit, aut futurus eſt, habuerit, aut habiturus ſit ſuum Angelum, & plures ſint in ſuperioribus Ordinibus; haud dubium eſt; eos hominum numerum longè ſuperare.

XI. Dices tamen primò. Homines tot ſalvandi ſunt, quot ſunt Angeli mali, quia ex hominibus tot erunt beati, quot Angeli ceciderunt, pari numero eorum ruinam reparaturi. Sed conſtat, quòd tertia pars Angelorum cecidit Apoc. 12. v. 4. ubi de Dracone legitur: *& cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum Cœli.* Homines verò, qui beatitudine donandi erunt, non erunt tertia pars hominum, dicente Chriſto Matth. 20. v. 16. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, & in *Tract. de Prædeſt. qu.* 4. *de reprob. Dub.* 3. §. 3. *nu.* 15. oſtendimus; ergo videntur plures eſſe homines, quàm Angeli, dùm pars hominum ſalvandorum, quæ adæquat tertiam partem Angelorum, minor eſt tertiâ parte hominum.

XII. Reſpondeo primò. Non eſſe certum, homines tantùm ex accidenti ruina Angelorum, & non per ſe, fuiſſe ſaluti deſtinatos; ideoque totidem præcisè ſalvandos, ut oſtendimus loco ſuper citato *num.* 14. ex D. Tho. 1. *par. qu.* 23. *art.* 8.

Reſpondeo ſecundò. Incertum eſſe, an ruina Angelorum ſit æquali tantùm numero reparanda, an uberiori. Ita S. Auguſt. *in Enchiridio cap.* 29. ubi poſtquam dixit, ruinam illam diabolicam eſſe per homines reparandam,

Digitized by Google

dam, ſubjungit: *Ita ſuperna Jeruſalem mater noſtra Civitas Dei, nullâ civium ſuorum numeroſitate fraudabitur, aut uberiore etiam copiâ fortaſſe regnabit. Neque enim numerum, aut Sanctorum hominum, aut immundorum Dæmonum novimus, in quorum locum ſuccedentes filii Sanctæ Matris, quæ ſterilis apparebat in terris, in ea pace, de qua illi ceciderunt, ſine ullo temporis termino permanebunt. Sed illorum Civium numerus, ſive qui eſt, ſive qui futurus eſt, in contemplatione eſt ejus artificis,* qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt &c. Ita Auguſtinus. Quare dùm dicitur, quòd Draco trahebat tertiam partem ſtellarum, ſi Draconis, & ſtellarum nomine intelligantur Diabolus, & Angeli deſertores, ſumendus eſt numerus certus pro incerto, ſeu determinatus pro indeterminato ſecundùm frequentem uſum Scripturarum.

XIII. Reſpondeo tertiò, Nomine Draconis, & ſtellarum Cœli non intelligi Diabolum, & Angelos ejus, ſed Antichriſtum, & ſui temporis. Fideles, & præcipuè Doctores, qui velut ſtellæ in Firmamento Eccleſiæ lucent, quorum magnam partem impius ille ſuà perſecutione, vel affliget, ſive etiam ſeducet, ut exponunt ad litteram Richardus lib. 4. in Apoc. & Lyranus in eundem locum. Vel ſi Diabolus intelligatur, dicendum, quòd caudâ trahet magnam partem ſtellarum, ideſt Fidelium, qui mundo, cui renunciaverunt, ipſo ſuadente, iterum ſerviunt, ut S. Aug. *ſerm. 4. de Symbolo ad Catechumenos c. 1.* ſeu quia eos continuis perſecutionibus deiicere conatur, ut Pionius Martyr (apud Baron. ad ann. 254. n. 13.) interpretatur.

XIV. Dices ſecundò. Saltem tot ſunt homines, quot Angeli; ergo &c. ant. prob. ex illo Deuteron. 32. v. 8. ibi enim, ubi Vulgata noſtra habet *conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael*, Septuaginta legunt *juxta numerum Angelorum Dei*, ſeu *Filiorum Dei*: quibus apparet, numerum multiplicationis hominum juxta numerum Angelorum taxatum eſſe; ex quo D. Greg. *homil. 34. in Evangelia* putat, tantum ex hominibus ad ſupernam civitatem aſcendere, *quantos illic contigit electos Angelos remanſiſſe, ſicut ſcriptum eſt* ſtatuit terminos gentium ſecundùm numerum Angelorum Dei.

XV. Reſpondeo, quòd etſi Verſio Septuaginta legat *juxta numerum Angelorum Dei*, præferenda tamen eſt Vulgata noſtra, quia conformior Hebraicæ veritati, quæ juxta Symmachi, Aquilæ, & Pagnini translationem, & interpretationem Chaldaicam habet: *ſtatuit terminos populorum*, ſive gentium, *ſecundùm numerum Filiorum Iſrael*: Qui ſenſus videtur quoque magis congruus menti Moyſis, qui intendebat illis verbis indicare, Deum cùm filios Adam ex Babel in totum mundum diſpergeret, & à ſe invicem ſepararet, certos limites Provinciarum atque terrarum conſtituiſſe populis Chananæis, quos ob ſcelera prænoverat eſſe delendos, & hoc non ipſorum intuitu, ſed *juxta numerum filiorum Iſrael*. Ideſt tantum tribuens populis illis delendis, quantum ſufficeret ad habitationem Iſraelitarum, quibus etſi nondum natis, terram illam poſſidendam decreverat. S. Gregorius autem de Angelis hoc intellexit, ſicut alij Veteres non pauci, quia Verſionem lxx. ſequebantur.

Addo, per Angelos Dei poſſe intelligi filios Iſrael; quia, ut Dub. præcedente oſtendimus, hoc nomine non raró vocantur & homines, à Deo ad aliquid præelecti. = Tandem dico. Inde ſolùm colligi, humana regna, & imperia divina eſſe diſtributa juxta numerum Angelorum Dei, qui ad illorum cuſtodiam deputati ſunt: unde Clemens Alexandrin. lib. 7. Stromat. pag. 702. *Sunt* (inquit) *juſſu divino, & antiquo per gentes diſtributi Angeli*. Quamvis Origenes homil. 26. in Numeros teſtetur, ſe quoſdam Græcos Codices legiſſe, qui habebant, non *filiorum Dei*, ſed *filiorum Iſrael*.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

An omnes Angeli differant ſpecie?

XVI. AN intra eandem ſpeciem infimam dentur plures Angeli ſolo numero diſtincti, ſicut intra ſpeciem hominis plures homines; an verò omnes Angeli ſpecie differant, problema eſt apud Theologos. Cùm enim Sacra Scriptura de hoc nihil loquatur, liberum manſit unicuique, pro ut ſibi libuit, opinari. Quidam propterea eos Angelos, qui ſunt ejuſdem Ordinis, ſeu Hierarchiæ, eſſe ejuſdem naturæ exiſtimarunt: Alii omnes omninò eſſe ejuſdem ſpeciei affirmant, ut Baſil. *lib.* 3. *contra Eunom.* dicens: *Angeli omnes, ut appellationem unam, ita eandem omninò inter ſe naturam habent*, & ſolâ officiorum varietate diſtingui aſſerit. Alii probabiliter docent, aliquos Angelos ſpecie differre, aliquos ſolo numero, ut Bonaventura, Durandus, Scotus, & alii *in ſecundo ſent.* At S. Thomas docet, omnes Angelos ſpecie differre hâc 1. *p. q.* 50. *a.* 4. *in* 2. *diſt.* 3. *q.* 1. *a.* 4. *q. un. de ſpiritual. creat. a.* 8. 2. *Contrag. c.* 71. 92. 93. & alibi.

XVII. Ex hac opinionum varietate colligitur, nihil hac de re certi definiri poſſe. S. Auguſtinus, ſe ignorare apertè conſeſſus eſt. In Enchiridio enim cap. 58. *Quomodo autem* (inquit) *ſe habeat beatiſſima illa, & ſuperna ſocietas, quæ ibi ſint differentiæ perſonarum* (al. præpoſiturarum) *ut, cùm omnes tanquam generali nomine Angeli nuncupentur..... ſint tamen illic Archangeli, & utrum iidem Archangeli appellentur Virtutes .... Quid inter ſe diſtent .... dicant, qui poſſunt, ſi tamen poſſunt probare, quod dicunt; ego me iſta ignorare conſiteor.* Et lib. ad Oroſium contra Priſcillianiſtas &c. cap. 1. ait: *eſſe itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates in Cœleſtibus apparatibus, firmiſſimè credo, & differre inter ſe aliquid, indubitatâ fide teneo. Sed.... quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant, neſcio. Nec eâ ſanè ignorantiâ periclitari me puto;* Quibus ſignificat, hujus differentiæ notitiam non pertinere ad fidem; eò vel maximè, cùm Eccleſia nihil unquam de hoc ſtatuerit. Unde Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 3. ait: *Ac quoad eſſentiam quidem, æquales ne ſint inter ſe, an diſpares, compertum non eſt: ſolus hoc ſcit Creator illorum Deus, qui univerſa exploratè novit.*

XVIII. Hanc tamen quæſtionem, cui Veteres veluti incertæ pepercerunt, Recentiores Theologi poſt D. Thomam celebrem reddiderunt. Cùm enim D. Thomas, omnes Angelos ſpecie invicem differre, ut ſibi probabilius, aſſeruerit, & Scotus contrarium ſit opinatus, facta eſt utriuſque Scholæ veluti teſſera, & character. Quia tamen eam non tanti momenti eſſe judico, ut propter ipſam alias utiliores, vel omittamus, vel nimis ſobriè percurramus; ideò eam ſtrictim abſolvemus, & maximè pro ea parte, quâ inquiritur, an de potentia Dei abſoluta poſſint eſſe intra eandem ſpeciem plures Angeli: eam enim ab aliis fusè pertractatam Lector inveniet.

XIX. Dico ſecundò. Admittenda eſt diſtinctio ſpecifica inter Angelos. Ita communiter omnes, etiam Scotiſtæ. Et Probatur. Poſſe enim inter Angelos dari ſpecificam diverſitatem, nemo, ut puto, negabit. Cùm enim Deus in ratione ſubſtantiæ ſpiritualis, ſicut in omni alia perfectione infinitus ſit, & conſequenter infinitè imitabilis, & participabilis, non poteſt ab ulla ſpecie creata intellectualis ſubſtantiæ ita adæquari, ut non poſſit ab alia, & alia in infinitum participari: ſicut enim in gradu vegetativo tot poſſibiles ſunt plantarum, arborumque inter ſe diverſæ ſpecies, totque genera animalium ſpecie diverſorum in gradu ſenſitivo; cur in gradu omnium ſupremo, nempè intellectuali completo, nulla dari poterit ſpecifica diverſitas, Deum diverſo modo participans?

P 2 Nec

Digitized by Google

Nec valeret dicere, Deum fore participabilem ab infinitis numero Angelis in illa ſpecie contentis = Nam ut aliqua potentia ſit ſimpliciter, & omnibus modis infinita, non ſufficit, ut poſſit plura, & plura ſecundùm numerum producere, niſi poſſit etiam plura & plura in infinitum ſecundùm ſpeciem. *Poſſibile eſt enim* (ait D Tho. qu. 1. de pot. art. 2. ad 9.) *aliquam creaturam poſſe producere effectus infinitos, quantum eſt de ſe ſecundùm aliquid, utpote ſecundùm numerum in eadem ſpecie, & ſic omnium illorum effectuum natura eſt finita, utpote ad unam ſpeciem determinata, ut ſi accipiamus homines, vel aſinos infinitos. Non eſt autem poſſibile, ut ſit aliqua creatura, quæ poſſit in effectus infinitos omnibus modis, & ſecundùm numerum & ſecundùm ſpecies, & ſecundùm genera, ſed hoc ſolius Dei eſt. Et ideò ſola ejus potentia eſt ſimpliciter infinita.* Cùm ergo Deus in genere ſubſtantiæ intellectualis ſit ſimpliciter, & omnibus modis infinitè participabilis, requiritur, ut nedùm per infinitas ſubſtantias intellectuales numero diverſas participetur, ſed etiam ſpecie.

XX. Quòd verò inter Angelos de facto detur diverſitas ſpecifica, ſeu quòd de facto producti ſint plures Angeli ſpecie diverſi, prob. Si enim ſemel poſſibiles ſint Angeli ſpecie diverſi, cùm hæc diverſitas ad pulchritudinem Univerſi multum conducat, credibile non eſt, Deum, qui tantâ varietate ſpecierum rerum corporalium, mundum corporeum exornavit, unicam tantùm Angelorum ſpeciem in mundo ſpirituali, & intellectuali voluiſſe producere.

Id quoque oſtendunt diverſi Ordines, & Hierarchiæ, quibus Angeli diſtinguuntur. Nam certè Angeli de ſuprema Hierarchia plùs differunt ab iis, qui ſunt in infima, quàm inter ſe: ſed illi, qui ſunt in eadem Hierarchia ſuprema, vel ſpecie ſunt idem, vel idem genere, & differunt ſpecie; ergo qui ſunt in ſuprema, ab iis qui ſunt in infima differunt ſpecie, vel infimâ, vel ſubalternâ.

XXI. Nec refert, quòd inter homines dentur quoque diverſi Ordines, & Hierarchiæ, cùm tamen omnes homines ejuſdem ſpeciei ſint. = Nam diverſitas Ordinum, quæ inter homines eſt, accidentalis eſt: quòd enim hic ſubditus ſit, ille Rex, hic de plebe, ille nobilis, hic in dignitate poſitus, ille vilis, prorsùs contingens eſt; cùm de uno ad alium ſtatum tranſire poſſit, ut apparet. At Angeli, quòd in tali vel tali Hierarchia ſint, ex ſua conditione, & naturâ habent, nec de una ad aliam tranſire poſſunt: Seraphim enim non poſſunt in Angelos tranſire, & ſic de reliquis.

XXII. Nec obeſt, quòd plures Sancti Patres affirment, Angelos eſſe ejuſdem naturæ, ut Baſilius l. 3. contra Eunomium: *Angeli omnes ut appellationem unam, ita etiam eandem omninò inter ſe naturam habent*; & licèt unus alio ſuperior dignitate ſit, *non continuò ſi quid ordine, ac dignitate ſecundum eſt, aut tertium, id & naturam alteram habet*: ex quo infert, quòd eſto Spiritus Sanctus tertius à Patre, & Filio numeretur, adhuc ejuſdem naturæ ſit. Omnes etiam eſſe ejuſdem naturæ teſtatur Anſelmus *lib. 2. cur Deus homo c. 21.* & Auctor *queſt. ad Antiochum* ſub Athanaſii nomine *q. 7.* quærens, quid in re differat Dæmonum natura à natura Angelorum, reſpondet: *Nulla eſt natura ipſorum differentia, ſed voluntatis, quemadmodum alia eſt juſti mens, alia peccatoris*, & *q.* 8. quærens quot ſunt Angelorum naturæ, reſpondet: *una eſt natura, quemadmodum & hominum. At novem ſunt ordines &c.*

XXIII. Non inquam: nam præfati Patres ſolùm volunt oſtendere, Angelos cujuſque Ordinis eſſe ejuſdem naturæ nempè, ſpiritualis, & intellectualis ſpecie, ſive infimâ, ſive ſubalternâ; ita ut univocè conveniant, ſicut omnia corpora ejuſdem naturæ dici poſſunt. Sic Baſilius probat, quòd ſicut

Digitized by Google

ſicut licèt inter Angelos ſit ordo, omnes tamen Angelicam naturam habent: ſic Spiritus Sanctus eſto ſit tertius à Patre, & Filio habet eandem naturam divinam. Sicut autem non ſequitur, quòd Angeli habeant eandem naturam numero, ſicut habet Spiritus Sanctus cum Patre, & Filio: ita nec quòd habeant eandem naturam ſpecie infimâ: unde ponit exemplum de Stellis, quæ certè non omnes ejuſdem ſpeciei infimæ ſunt. Ita exponendus eſt Anſelmus: ait enim, quòd Angeli, *quamvis omnes ſint ejuſdem naturæ, non ſunt ejuſdem generis ſicut homines*. Auctor autem quæſt. ad Antiochum, quiſquis ille ſit, exponendus eſt de eadem natura genere, aut ſpecie ſubalternâ; hujus enim ſunt Angeli, & Dæmones, quia omnes ſubſtantiæ ſpirituales: quod verò addit *ſicut homines*, intelligendum eſt proportione ſervata.

XXIV. Dices. Omnes animæ rationales ſunt ejuſdem ſpeciei infimæ, quia omnes ſunt rationales; ergo & omnes Angeli quia omnes ſunt ſpirituales.

Nego conſ. Animæ enim rationales ordinatæ ſunt per ſe ad conſtituendum cum corpore hominem, qui unius ſpeciei eſt. Non ſic Angeli, qui ſubſtantiæ completæ ſunt. Rursùs animæ rationales conſtituunt naturam ſuapte naturâ corruptibilem: unde ne tota pereat, dari debent plura individua, & plures animæ numero ſolo diſtinctæ, ut in pluribus perpetuitatem habeat, quam habere non poſſet in uno. At ſpecies Angelica, quæ ut dicimus eſt incorruptibilis, hoc non eget.

XXV. Dico tertiò. Probabilius eſt, omnes & ſingulos Angelos invicem ſpecie differre, nec dari plures ſolo numero diſtinctos in eadem ſpecie. Ita D. Thomas hîc *q.* 50. *a.* 4. & aliis locis ſupra citatis, Scotiſtis contrarium opinantibus. Probatur primò ratione D. Thomæ. Quæ carent principio numericæ multiplicationis, ſi differunt, differunt ſpecie; ſed Angeli carent principio numericæ multiplicationis, & de facto differunt inter ſe; ergo differunt ſpecie. Min. probatur. Principium numericæ multiplicationis eſt materia, vel ordo ad materiam, ſeu ſubjectum, in quo forma recipiatur; unde quæ conveniunt in ſpecie, & differunt numero, conveniunt in forma, & differunt materialiter: ſed Angeli carent materia, ut dictum eſt, & quia ſunt formæ per ſe ſubſiſtentes, nullum dicunt ordinem ad materiam, ſeu ſubjectum; ergo &c. Majorem probat D. Tho. tùm hic, tùm q.un. de ſpirit. creat. a. 8. *Quæcumque forma, quantumcumque materialis, & infima, ſi ponatur abſtracta, vel ſecundùm eſſe, vel ſecundùm intellectum, non remanet, niſi una in ſpecie unâ. Si enim intelligatur albedo abſque omni ſubjecto ſubſiſtens, non erit poſſibile ponere plures albedines, cùm videamus, quòd hæc albedo non differt ab alia, niſi per hoc, quòd eſt in hoc, vel in illo ſubjecto: & ſimiliter ſi eſſet humanitas abſtracta, non eſſet niſi una tantùm:* hâc ratione utitur quoque 2. *Contrag. c.* 93. Unde patet ratio, quare anima rationalis, etſi forma ſit, tamen numero multiplicetur, quia non eſt forma per ſe ſubſiſtens, ſed per ſe ordinata ad materiam ſeu corpus; unde ex numerica multiplicatione corporum, & ipſa materialiter, & numericè multiplicatur.

XXVI. Secundò prob. ratione D.Th. loco ex Contragentes laudato. *Ad hoc ſunt plura individua in una ſpecie in rebus corruptibilibus, ut natura ſpeciei, quæ non poteſt perpetuò conſervari in uno individuo, conſervetur in pluribus, Unde etiam in corporibus incorruptibilibus non eſt, niſi unum individuum in una ſpecie:* at ſubſtantiæ ſeparatæ ſunt naturâ incorruptibiles; ergo non oportet in illis eſſe plura individua ejuſdem ſpeciei. Hinc patet etiam, quare anima rationalis, etſi incorruptibilis, adhuc tamen numero multiplicetur: hæc enim cùm ordinetur ad corpus ut ſub-

ſubjectum, multiplicato iſto, neceſſe eſt, ut & ipſa multiplicetur.

XXVII. Tertiò probatur. Naturæ ſuperiori debet concedi, quod perfectius eſt: ſed perfectius eſt multiplicari ſolùm ſpecie, quàm ſolo numero; ergo Angeli, qui ſunt naturæ ſuperioris &c. Min. probatur. Perfectius eſt habere totam naturam ſpeciei in uno, quàm illam habere non poſſe niſi in pluribus: ſed natura, quæ non poteſt multiplicari niſi in ſpecie, habet totam perfectionem in uno individuo, quæ autem multiplicabilis etiam numero, non habet totam perfectionem ſuæ ſpeciei, niſi in pluribus; ergo &c. Unde D. Thomas 2. Contrag. c. 93. citato: *ſubſtantiæ* (inquit) *ſeparatæ ſunt perfectiores, quàm corpora Cœleſtia; ſed in corporibus Cœleſtibus propter eorum perfectionem non invenitur niſi unum individuum unius ſpeciei: tùm quia unumquodque eorum conſtat totâ materiâ ſuæ ſpeciei: tùm quia in uno individuo eſt perfectè virtus ſpeciei ad complendum illud in Univerſo, ad quod ſua ſpecies ordinatur, ſicut præcipuè patet in Sole, & Luna. Multò igitur magis in ſubſtantiis ſeparatis non invenitur niſi unum individuum in una ſpecie.*

Ex his igitur ita diſcurro. Univerſum in tres præcipuas partes dividitur: in infimam, quæ continet generabilia, & corruptibilia; in mediam continentem ſphæras Cœleſtes; in ſupremam, quæ Angelos complectitur. Si ergo corpora Cœleſtia, quæ ſunt Univerſi pars media, in uno individuo habent totam perfectione ſuæ ſpeciei, & unicum individuum ſufficit ad complendum in Univerſo id, ad quod ejus ſpecies ordinatur; multò magis hoc habebit pars ſuprema, nempè unum individuum Angelicum habebit totam, & totaliter perfectionem ſuæ ſpeciei, & ſufficiet ad omnia, ad quæ ſua ſpecies ordinatur, & proinde ejus ſpecies non multiplicabitur in plura. Intantùm enim ſpecies horum generabilium in plura individua multiplicari debent, quia unum individuum non habet totam materiam ſuæ ſpeciei, nec unum individuum; puta hominis, vel equi ſufficit ad omnia ea, ad quæ ejus ſpecies eſt inſtituta.

XXVIII. Hanc rationem urget quoque S. Doct. *qu. un. de Spirit. creaturis art. 8.* ſic: Perfectum illud eſt, cui nihil deeſt eorum, quæ ad ipſum pertinent, quod percurrendo omnes rerum gradus oſtenditur: Deo enim, qui eſt in ſupremo perfectionis, nihil deeſt eorum, quæ pertinent ad perfectionem ipſius eſſe; præhabet enim in ſe omnes rerum perfectiones ſimpliciter, & excellenter: individuum autem naturæ infimæ, generabilium nempè & corruptibilium, habet quidem quidquid ad ſe pertinet, ad ſuam individuationem ſpectans, non tamen quidquid pertinet ad naturam ſuæ ſpeciei, cùm hæc in aliis etiam inveniatur, quibus indiget ad ſui convictum, & ad ſibi ſimile generandum. In ſuperiori verò Univerſi parte, nempè cœleſti, unum individuum ſic eſt perfectum, puta Sol, ut nihil ei deſit eorum, quæ ad propriam ſpeciem pertinent, unde tota natura ſpeciei ſub uno individuo concluditur. *Multò ergo magis* (concludit S. Doct.) *in ſuprema parte rerum creatarum, quæ eſt Deo propinquiſſima, ſcilicet in Angelis, hæc perfectio invenitur, ut uni individuo nihil deſit eorum, quæ ad totam ſpeciem pertinent, & ſic non ſint plura individua in una ſpecie. Deus verò, qui eſt in ſummo perfectionis cum nullo alio convenit non ſolùm in ſpecie, ſed nec in genere, nec in alio prædicato univocè.*

XXIX. Quarta ratio ſumta ex *qu. un. de Spirit. creat. art.* 8. citato, ſub hac forma proponitur. Quò partes Univerſi perfectiores ſunt, eò perfectiori ordine ordinantur, ſive invicem, ſive ad Deum: bonum enim Univerſi in duplici ordine conſiſtit, nimirùm partium omnium ad Deum, & partium invicem; ſicut bonum Exercitus ſitum eſt in ordine militum

ad

ad Ducem, & militum ad invicem: ſed ordinari purè ſecundùm ſpeciem perfectius eſt, quàm ordinari tanquam individua ſub una ſpecie; quia ordinari ſecundùm ſpeciem eſt ordinari per ſe, & ſecundùm perfectionem eſſentialem, ſpecies enim eſt ſicut numerus, quorum unus perfectionem eſſentialem addit ſupra alterum: ordinari autem ſolùm ſecundùm principia individuantia, eſt ordinari ſolùm accidentaliter, & ſecundùm principia materialia. Relinquitur ergo (claudit S. Thom.) *quod omnes Angeli ad invicem ſpecie differant ſecundùm majorem, & minorem perfectionem formarum ſimplicium ex majori vel minori propinquitate ad Deum, qui eſt actus purus, & infinitæ perfectionis.*

XXX. Sed objiciunt contra dicta Scotiſtæ primò. Nulli ſpeciei infimæ repugnat communicari poſſe pluribus. Vel enim hæc repugnantia proveniret ex perfectione: & hoc non; quia communicabilitas convenit naturæ divinæ, quæ eſt perfectiſſima. Vel ex imperfectione: & hoc minùs; quia ſpecies rerum generabilium, & corruptibilium, quæ imperfectiores ſunt ſpeciebus Angelicis non ſunt incommunicabiles, ſed de facto pluribus in eadem ſpecie communicantur.

XXXI. Reſpondeo, negando anteced. ad prob. dico, ſpeciem angelicam non eſſe communicabilem pluribus ratione perfectionis ejus ſupra ſpecies rerum corruptibilium. Ad prob. in contrarium, diſtinguo ant. communicabilitas pluribus individuis, & cum ſui multiplicatione, nego antecedens: pluribus perſonis naturâ immultiplicatâ manente, conc. ant. Exemplum non eſt ad rem. Etenim natura divina eſto ſit communicabilis tribus Perſonis divinis, non tamen illis communicatur ſicut ſpecies individuis; nec tres Perſonæ ſunt tria naturæ divinæ individua, ſed indiviſa prorſus, & immultiplicata in illis eſt. At hoc modo non crediderim, velle Fraſſen, cujus eſt hæc objectio, ſpeciem angelicam communicabilem eſſe pluribus Angelis, ſed communicabilem eſſe illis, ut individuis ſub eadem ſpecie contentis, & per ſui multiplicationem, ſicut natura humana multiplicatur in pluribus hominibus: & hoc modo multiplicari non poſſe dicimus naturam, ſeu ſpeciem Angelicam ratione perfectionis ejus ſupra ſpecies rerum generabilium, & corruptibilium, ut oſtenſum eſt.

XXXII. Sed dices. Omnis quidditas eſt communicabilis pluribus, ſive ſine ſui diviſione, ſive cum ſui diviſione: ſed ſpecies angelica quædam quidditas eſt; ergo cùm non ſit communicabilis, ut natura divina ſine ſui diviſione, erit communicabilis pluribus cum ſui diviſione. Ita Fraſſen.

Reſpondeo, vel negando abſolutè maj. vel eam diſtinguendo. Omnis quidditas, generica, conc. maj. ſpecifica, nego maj. Ut enim docent Noſtri in Logicis, natura generis quidem in unica ſpecie ſalvari non poteſt; quia cùm ſit eſſentialiter potentialis, indifferens, & contrahibilis, ſaltem duas requirit differentias, quibus eſſentialiter compleatur: at natura ſpecifica benè poteſt in uno individuo ſalvari; cùm enim in ſe ſit quoad eſſentialia completa, multiplicari ſolùm poteſt accidentaliter, & ratione materiæ, & quia ab uno individuo non totaliter poſſidetur. Cùm ergo natura angelica, & careat materia, & ab uno individuo totaliter poſſideatur, ut eſt oſtenſum; non eſt, cur, etſi quidditas ſit, eam ponamus multiplicabilem. Sicut nec ponimus communicabilem, ſaltem naturaliter, naturam Solis, quæ tamen quædam quidditas eſt.

XXXIII. Sed replicabis. Omnis natura, quæ poteſt intelligi univerſalis, poteſt numero plurificari, quia univerſale eſt unum aptum eſſe in multis; & idcircò natura Solis, quamvis de facto in uno tantum ſit, quia tamen intelligitur in univerſali, poteſt in pluribus eſſe: ſed, ut, plerique Thomiſtarum in Logicis admittunt,

tunt, natura ſpecifica Angeli intelligi poteſt univerſalis; ergo &c.

Reſpondeo primò, ad ſummum hàc inſtantia concludi, non repugnare, quòd per abſolutam Dei potentiam dari poſſint in eadem ſpecie plures Angeli (de quo §. ſequenti agemus) non verò, quòd de facto dentur, ut hìc Scotiſtæ contendunt; ſicut nec evincitur de facto dari plures Soles, eſto dari non repugnet.

Reſpondeo ſecundò, diſt. maj. omnis natura, quæ adæquatè ſumta poteſt numero plurificari, co. ma. quæ ſolùm inadæquatè concepta &c. poteſt &c. neg. maj. Natura ſpecifica Angeli, & poteſt conſiderari adæquatè, ut dicit tam principia ſpecifica, quàm individuantia, & ſic non poteſt concipi univerſalis. Poteſt inſuper conſiderari inadæquatè, ut dicit tantùm principia ſpecifica præſcindendo à concernentibus eſſe individuale; & ſic cùm non appareat ex hoc capite repugnantia ad plura, poteſt concipi cùm indifferentia, & univerſalis, non quidem ſecundùm rem, ſed ſecundùm rationem tantum; ſed de his ad Logicos. Quâ doctrinâ præveniuntur omnes inſtantiæ, quas ſubjungit Fraſſen.

XXXIV. Objiciunt ſecundò. Animæ rationales etiam ſeparatæ, de facto numero multiplicantur: dantur etiam duo numero lumina gloriæ, duæ viſiones numero, etſi ſpirituales ſint: cur ergo non itidem duo Angeli?

Si reſpondeas, hæc numero multiplicari ex ordine ad diverſa ſubjecta, quod in Angelo, qui forma ſubſiſtens eſt, non verificatur.

Contra eſt primò. Si poſſibilis eſſet tantùm unica anima, haberet habitudinem ad corpus, nec tamen eſſet ab alia numero diſtincta = Secundò. Inclinatio ad corpus eſt aliquid conſequens ſubſtantiam animæ; ergo ſupponit animam jam individuam, & numero ab alia diſtinctam = Tertiò. Si animæ ſunt numero diſtinctæ, quia poſſunt informare diverſa corpora, etiam dabuntur plures numero Angeli, quia poſſunt movere diverſa corpora, & eſſe in pluribus locis,

XXXV. Reſpondeo, optimam eſſe datam ſolutionem, quam non enervant allatæ inſtantiæ. Non quidem prima, nam ſi una tantùm numero anima eſſet poſſibilis, hoc eſſet, quia non poſſet conjungi niſi uni numero corpori; & ideò impoſſibilis eſſet altera, à qua numero diſtingueretur = Non ſecunda: ordo enim ad corpus in anima eſſentialiter formâ incompletâ eſſentialis eſt, & ſicut nequit concipi anima in ſpecie conſtituta ſine ordine ad aliquod corpus; ita nec poteſt concipi hæc anima, ſine ordine ad hoc corpus. = Non tertia: quia Angelo utpotè formæ per ſe ſubſiſtenti, & completæ, omnis ordo ad corpus, ad locum, & quodcumque aliud accidentalis eſt, & extraneus.

XXXVI. Objiciunt tertiò. Inter Angelos eſt amicitia, & ſocietas: ſed ſocietas, & amicitia requirit ſimilitudinem in natura ſpecifica: unde Divus Thomas 1. *part. qu.* 31. *art.* 3. *ad* 1. dicit, quòd *Licèt Angeli, & animæ beatæ ſemper ſint cum Deo; tamen ſi non eſſet pluralitas Perſonarum in divinis, ſequeretur, quòd Deus eſſet ſolus, vel ſolitarius. Non enim tollitur ſolitudo per aſſociationem alicujus, quod eſt extranea natura. Dicitur enim aliquis ſolus eſſe in horto, quamvis ſint ibi multæ plantæ & animalia*; ergo ſi Angeli non eſſent ejuſdem ſpeciei infimæ, non eſſet inter illos ſocietas. Neque amicitia: Nam Eccleſiaſtici 13. *v.* 19. & 20. dicitur: *Omne animal diligit ſimile ſibi, ſic & omnis homo proximum ſibi. Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur, & omnis homo ſimili ſibi ſociabitur.*

XXXVII. Reſpondeo primò, inſtando argumentum. Nam juxta Scotiſtas, eſto non omnes, aliqui tamèn Angeli differunt ſpecie: & tamen, puto, non negabunt, inter iſtos dari ſocietatem, & amicitiam.

Reſpondeo ſecundò, negando minam inter Deum, & juſtos datur amici

citia. Quare Chriſtus vocat Apoſtolos amicos Joann. 15. v. 14. *Vos amici mei eſtis*. Et v. 15. rationem reddens, *Vos autem*, (inquit) *dixi amicos, quia omnia, quæ audivi à Patre meo nota feci vobis*. Cum ergo Angeli invicem communicent, & ſuperiores, quæ à Deo audiunt, nota faciant inferioribus, eos illuminando, etſi ſpecie infimâ differant, dabitur inter eos amicitia. Dabitur etiam Societas. Nam 1. *Joann.* 1. *v.* 3. dicitur: *Societas noſtra ſit cum Patre, & Filio ejus Jeſu Chriſto*. Si ergo datur amicitia, & ſocietas inter homines, & Deum, inter quos, neque eſt convenientia in genere, ſed ſolùm in ordine, nempè ſupernaturali; multò magis dabitur inter Angelos, qui in gradu intellectuali, & genere conveniunt, eſto non in ſpecie infima. Et ſanè, ſi inter animas beatas, & Angelos, quamvis illæ ſpecie ab iſtis differant (ut docet D. Thom. 1. *p. q.* 75. *a.* 7.) ſocietas, & amicitia datur, cur inter Angelos invicem, etſi ſpecie differant, negabitur?

Ratio ergo eſt, ait D. Thom. *q. un. de Spirit. creat. a.* 8. *ad* 5. quòd cùm dilectio, & amicitia ſequatur cognitionem boni; tantò perfectior erit dilectio, & amicitia, quantò bonum, quod cognoſcitur, & in quo amando convenitur, erit altius, & univerſalius: cùm ergo Angeli omnes propriam dilectionem referant, non ad privatum, ſed commune bonum (concludit D. Thomas) *magis diligunt ſe invicem, ſi ſpecie differunt, quod magis pertinet ad perfectionem Univerſi, quàm ſi in ſpecie convenirent, quod pertineret ad bonum privatum unius ſpeciei*.

XXXVIII. Reſpondeo tertiò, ad id præcipuè, quod dicitur de ſocietate, diſt. min. Societas naturalis, omitto min. Moralis, & civilis, nego min. Societas naturalis, ut ſit perfecta, requirit convenientiam in natura ſecundùm ſpeciem atomam. Et hac ratione benè dicit S. Thomas allatus ab Arguente, quòd ſocietas non eſſet, ſed ſolitudo in Deo, ſi non eſſent plures Perſonæ divinæ, habentes eandem naturam. At ſocietas moralis, quæ fundatur in communicatione operationum ad eundem finem, benè ſalvatur etiam inter ea, quæ naturaliter ſpecie atomâ differunt. Cùm ergo Angeli, etſi naturâ ſpecie differant, omnes tamen conveniant in eodem intellectualitatis gradu, omneſque inſuper in ordine ad eundem finem beatitudinis communicent, datur locus perfectæ inter eos politiæ, ſocietati, & etiam amicitiæ.

XXXIX. Objiciunt quartò. Si omnes Angeli eſſent diverſæ ſpeciei, peccantibus, & pereuntibus multis ex illis, multæ Angelorum ſpecies totæ periiſſent: atqui ſi hoc eſſet, non pateretur providentia Dei, ut in ſtatu perditionis perpetuò manerent, ſed eas aliquando liberaret. Ideò enim hominem Deus liberavit, quia in homine, Adamo peccante, tota natura humana perierat. Ita S. Auguſt. *in Enchir. cap.* 20.

XL. Reſpondeo primò, negando min. Neque S. Auguſtinus dicit, quòd tota ſpecies hominum perierat, ideòque decuit eam ex parte liberari; non autem tota ſpecies aliqua Angelorum non periit, ideòque non oportuit eam reparari: ſed dicit, peccante Adamo tota hominum multitudo perierat; non autem peccante Lucifero periit tota multitudo Angelorum, quòd verum eſt, etſi Angeli invicem ſpecie differant. En verba S. Doctoris: *Placuit itaque univerſitatis Creatori, atque Moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deſerendo perierat, ea quæ perierat in perpetua perditione remaneret: quæ autem cum Deo, illâ deſerente, perſtiterat, de ſua certiſſimè cognita ſemper futura felicitate* [ſecura] *gauderet. Alia verò creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis, atque ſuppliciis, & originalibus, & propriis tota perierat, ex ejus parte reparatâ, quod angelica*

Digitized by Google

ſocietati ruina illa diabolica minuerat, ſuppleretur (aliàs ſuppleret)

XLI. Reſpondeo ſecundò cum D. Thoma qu. un. de Spirit. creat. art. 8. ad 1. *quòd Auguſtinus loquitur ibi de natura angelica & humana, non ſecundùm quòd conſiderantur in eſſe naturali, ſed ſecundùm quòd ordinantur ad beatitudinem. Sic enim aliqui in natura angelica, & humana perierunt. Quantùm autem ad ordinem beatitudinis natura humana dividitur contra totam naturam angelicam: quia tota natura angelica uno modo nata eſt pervenire in beatitudinem, vel ab ea deficere irreparabiliter, ſcilicet ſtatim ad primam electionem: natura verò humana per decurſum temporis. Et ideò loquitur ibi Auguſtinus de omnibus Angelis ſicut de una natura, propter unum modum ordinis ad beatitudinem, licèt differant ſecundùm ſpeciem naturæ.* Hæc D. Thom.

XLII. Reſpondeo tertiò, quòd ſi comparatio rigoroſa fieret ab Auguſtino inter homines, & Angelos, ſequeretur primò, quòd ſicut omnes homines ejuſdem naturæ ſpecie atomâ ſunt: ſic & omnes Angeli; cùm tamen Scotiſtæ aliquos Angelos ſpecie diſtingui admittant. Secundò, quòd ex ſpeciebus Angelorum, quæ perierunt, non omnia illarum ſpecierum individua perierint, quod unde probabunt?

XLIII. Objiciunt quintò. Falſum eſt, omnia corpora Cœleſtia ſpecie diſtingui maximè Stellas; hæ enim ſolùm differunt in claritate, quæ accidens eſt: *Stella enim à ſtella differt in claritate* 1. Cor. 15. v. 41. Rursùs non videntur differre ſpecie à Cœlo, cui affixæ ſunt. Præterea ſicut hæc inferiora ornata ſunt plantis, & animalibus: ità Empyreum ornatum eſt Angelis, ſed in plantis, & animalibus multa inveniuntur ejuſdem ſpeciei; ergo & in Angelis.

XLIV. Reſpondeo, neg. aſſumtum. Omnes enim Stellæ diverſæ ſpecie ſunt. Dùm autem dicitur, quòd differant in claritate, ſeu luce, non aſſignatur differentia ſubſtantialis earum: *lux* enim non eſt forma ſubſtantialis, cùm ſit qualitas per ſe ſenſibilis, quod de nulla forma ſubſtantiali dici poteſt. Et præterea non eſt ejuſdem rationis lux in omnibus; quod patet ex hoc, quòd diverſorum corporum ſuperiorum radii diverſos habent effectus. Ita D. Thom. *quæſt. unic. de Spirit. creat. art.* 8. citato *ad* 12.

Ad ſecundam dico, quòd Stellæ, vel ſunt continuæ cum Cœlo, cui affixæ ſunt, vel ſolùm contiguæ. Si ſunt continuæ, velut partes denſiores illius, ſic non conſtituunt individuum, nec numero adæquatè à Cœlo diſtinctum; ſed ſunt ſicut diverſæ partes integrantes Cœlum: ſicut diverſæ partes humani corporis unum individuum hominis conſtituunt. Si verò ſint ſolùm contiguæ cum Cœlo, tunc ſive à Cœlo, cui affixæ ſunt, ſive inter ſe ſpecie differunt.

Ad tertiam dicit D. Thom. ad 12. loco relato: *Quòd ornamenta terræ, & aquæ, quia corruptibilia ſunt, requirunt multitudinem in eadem ſpecie*; Angeli autem, qui ſunt ornamentum Empyrei, incorruptibiles ſunt: & ideò, ſicut Cœleſtes Orbes, in eadem ſpecie multitudinem non requirunt.

§. III.

An ſaltem divinâ potentiâ fieri poſſit, ut plures Angeli ſint in eadem ſpecie atoma?

XLV. Ab hac quæſtione libentiùs abſtinuiſſem; & quia nullius, vel parvę utilitatis, & quia quid certò ſtatui poſſit, inveſtigatâ D. Thomæ mente, non ſatis apparet. Ut tamen de hac quæſtione factâ apud aliquos celeberrimâ Candidatum meum aliquatenus inſtructum dimittam, noverit, antiquos Thomiſtas, ut Capreolum, Ferrarienſem in 2. *Contrag. c.* 93. Bannez, Zumel, Sylvium, & alios affirmativam ſententiam tueri; Recentiores verò negativæ ſumma animi con-

ten-

tentione adhærere. Porrò, quid dicendum exiſtimem ſequenti aſſerto declarabo.

XLVI Dico. An divinâ potentiâ poſſint intra eandem ſpeciem atomam Angeli multiplicari, nec ne, problema eſt in Schola Divi Thomæ pro utraque parte diſputabile; nec ideò opinio affirmans eſt improbabilis.

Probo primam partem. Illud cenſeri debet problema in Schola D. Thomæ pro utraque parte diſputabile, pro quo in utramque partem Doctrina Sancti Magiſtri trahi abſque violentia poteſt: ſed hoc contingit in materia præſenti; ergo &c.

XLVII. Pro parte negativa min. prob. Angelos enim nullâ potentiâ multiplicari poſſe intra eandem ſpeciem videtur evincere ratio principalis Divi Thomæ, quia ſcilicet carent materiâ, quæ eſt unicum numericæ multiplicationis principium; & quia inſuper, cùm ſint formæ per ſe ſubſiſtentes, nullum dicentes ordinem ad ſubjectum, ſeu materiam, non poſſunt intra eandem ſpeciem diverſimodè participari: omnis enim participatio alicujus formæ diverſimodè intra eandem ſpeciem, ex eo procedit, quòd diverſimodè participetur; vel ſaltem poſſit diverſimodè participari in ſubjecto. Unde q. un. de Spirit. creat. a. 8. *ſi autem* (inquit) *Angelus eſt forma ſimplex abſtracta à materia, impoſſibile eſt etiam fingere, quòd ſint plures Angeli ejuſdem ſpeciei: quia quæcumque forma, quantumcumque materialis, & infima, ſi ponatur abſtracta, vel ſecundum eſſe, vel ſecundùm intellectum non remanet niſi una in ſpecie una. Si enim intelligatur albedo abſque omni ſubjecto ſubſiſtens, non erit poſſibile ponere plures albedines, cùm videamus, quòd hæc albedo non differt ab alia, niſi per hoc, quòd eſt in hoc vel illo ſubjecto; & ſimiliter ſi eſſet humanitas abſtracta, non eſſet, niſi una tantùm.* Illa autem verba *impoſſibile eſt etiam fingere, quòd ſint plures Angeli ejuſdem ſpeciei* quid aliud oſtendunt, niſi repugnantiam eſſentialem? Sicut ſi dicerem impoſſibile eſt etiam fingere dari plures Deos; nonnè indicarem, eſſentialiter repugnare pluralitatem Deorum?

Item 1. p. q. 75. a. 7. idem probans, ait: *non enim poteſt intelligi, quòd aliqua forma ſeparata ſit niſi una unius ſpeciei; ſicut ſi eſſet albedo ſeparata, non poſſet eſſe niſi una tantùm: hæc enim albedo non differt ab illa, niſi per hoc, quòd eſt hujus, vel illius.* Ubi obſervo, S. Doctorem non dicere *non poteſt eſſe*, ſed *non poteſt intelligi*, quòd idem eſt, ac dicere, non poteſt ſalvari conceptus formalis ſubſtantiæ ſeparatæ, niſi concipiatur una unius ſpeciei. Et ratio etiam ſuadere videtur. Cui enim eſſentialiter repugnat principium multiplicationis intra eandem ſpeciem, eſſentialiter quoque repugnat intra eandem ſpeciem multiplicari: ſed ſubſtantiæ ſeparatæ à materia, & ordine ad illam, eſſentialiter repugnat principium multiplicationis intra eandem ſpeciem; ergo &c. Huc adduci poſſunt rationes Thomiſtarum pro hâc opinione pugnantium, à quibus abſtineo, cùm eas apud præfatos Auctores Studioſus poſſit invenire.

XLVIII. Minor verò pro parte affirmativa apertè indicari videtur ab eodem S. Doctore 1. Opuſc. 16. Ibi enim Averroiſtæ (quos S. Thomas impugnat) ut tuerentur ſuum errorem, nempè, quòd unus eſſet intellectus omnium hominum, eidem principio nitebantur, nempè, quòd cùm „ intellectus ſit ſeparatus ab omni „ materia, debet eſſe unus; ſi enim „ plures intellectus eſſent in pluri„ bus hominibus, qui dividuntur ad „ invicem numero per diviſionem ma„ teriæ, ſequeretur ex neceſſitate, „ quòd intellectus eſſet forma mate„ rialis, & non eſſet ſeparatus: un„ de inferebant. Si ergo eſt ſepara„ tus, & non eſt forma materialis, „ nullo modo multiplicatur ſecun„ dum

„ dum multiplicationem corporum. *Huic autem rationi* (inquit D. Thom.) *tantum innituntur, quod dicunt, quòd Deus non poteſt facere plures intellectus unius ſpeciei in diverſis hominibus. Dicunt enim, quòd hoc implicat contradictionem; quia habere materiam, ut numeraliter multiplicetur, eſt aliud à natura forma ſeparata.*

XLIX. Quid ergo reſpondet D. Thomas? admittit, quòd ſi intellectus eſſet ſeparatus eſſet unus numero, nec poſſet multiplicari, & totus eſt in oſtendendo, intellectum eſſe virtutem animæ; & ideò animabus multiplicatis, & intellectus multiplicari. Negat tamen, quòd ſi intellectus eſſet ſeparatus, & unus omnium, non poſſet divinâ potentia multiplicari, per verba ſequentia benè notanda. *Valdè autem ruditer argumentantur ad oſtendendum, quòd Deus facere non poſſet, quod ſint multi intellectus ejuſdem ſpeciei, credentes hoc includere contradictionem. Dato enim, quod non eſſet de natura intellectus, quod multiplicaretur; non propter hoc oporteret, quòd intellectum multiplicari includeret contradictionem. Nihil enim prohibet, aliquid non habere in ſua natura cauſam alicujus, quod tamen habet illud ex alia cauſa: ſicut grave habet ex ſua natura, quod non ſit ſursùm; tamen grave eſſe ſursùm non includit contradictionem, ſed grave eſſe ſursùm ſecundùm ſuam naturam contradictionem includeret. Sic ergo intellectus ſi naturaliter eſſet unus omnium, quia non haberet naturalem cauſam multiplicationis; poſſet tamen ſortiri multiplicationem ex ſupernaturali cauſa, nec eſſet implicatio contradictionis. Quod non tantùm dicimus propter propoſitum, ſed magis, ne hæc argumentandi forma ad alia extendatur. Sic enim poſſent concludere, quòd Deus non poteſt facere, quòd mortui reſurgant, & quod cæci ad viſum reparentur.* Hæc D. Thomas.

L. Ex quibus apparet ſecunda pars aſſerti, nempè non eſſe improbabile, ſtando in doctrina D. Thomæ, Dei potentiâ fieri poſſe, quòd Angeli, etſi ſubſtantiæ ſeparatæ, & proinde non habentes naturaliter principium ſuæ multiplicationis intra eandem ſpeciem, poſſint tamen à Deo ſupernaturali cauſa multiplicari; ſicut multiplicari poſſet intellectus ſeparatus, quia *nihil prohibet, aliquid non habere in ſua natura cauſam alicujus, quod tamen habet ex alia cauſa*. Quòd licèt Angelus ex ſua natura habeat, quòd non multiplicetur, tamen Angelum multiplicari non includat contradictionem. Quòd etſi Angelum multiplicari ſecundum ſuam naturam includeret contradictionem, non tamen, eum ſortiri multiplicationem ex ſupernaturali cauſa. Quòd etſi in mortuo non ſit principium ad reviviſcendum, & in cæco ad viſum reparandum; adhuc tamen, & mortui ſupernaturali virtute reſurgere poſſunt ad vitam, & cæci viſum recuperare. Tandem quòd hæc doctrina, nedum ad propoſitum, de quo ibi D. Thomas agebat, eſſe reſtringendam, ſed etiam ad alia debere extendi. Hæc ſatis probabiliter oſtendunt, mentem D. Thomæ eſſe Angelos quidem naturaliter multiplicari intra eandem ſpeciem non poſſe, ſupernaturaliter tamen poſſe.

LI. Qua in re obſervo, quòd Divus Thomas, quotieſcumque aliquid judicavit impoſſibile fieri, etiam de potentia abſoluta, conſuevit pro ratione adducere, quòd ſi fieret involveretur contradictio: ut cùm vult, nec de potentia abſoluta materiam poſſe exiſtere ſine omni forma, dicit, quòd materia eſſet actu, & non eſſet actu: cùm vult, non poſſe fieri creaturam infinitam, dicit, quòd eſſet facta, & non eſſet facta: cum vult, viſum corporalem non poſſe videre Deum in ſe, dicit in 4. *diſt.* 40 *qu.* 2. *art.* 2. quòd viſus eſſet ſenſus viſus, & non eſſet. Cum ergo, dum negat, Angelos poſſe multiplicari, nunquam ad contradictionem recurrat, licet conjicere, eum ſenſiſſe quidem, Angelos multiplicari non poſſe naturaliter, utpotè non haben-

Digitized by Google

bentes in ſe principium ſuæ multiplicationis; non tamen multiplicari non poſſe ſupernaturaliter.

LII. Dices, S. Thomam ſufficienter indicaſſe contradictionem, ſi Angeli multiplicarentur, dùm *qu. de Spirit. creat. citato art.* 8. ait: *impoſſibile eſt etiam fingere, quòd ſint plures Angeli ejuſdem ſpeciei*. Et cùm 1. *par. qu.* 75. *art.* 7. dicit, quòd *non poteſt intelligi, quòd aliqua forma ſeparata ſit, niſi una unius ſpeciei*.

Probabiliter quidem, ſed non evidenter. Nam poteſt reſponderi, Divum Thomam dicere eſſe impoſſibile etiam fingere, nec poſſe concipi plures Angelos ejuſdem ſpeciei, ſubſtantiam ſeparatam, quæ non ſit unius ſpeciei, attento naturali modo multiplicationis numericæ, qui eſt per materiam, vel ordinem ad illam; quo, cùm Angeli careant, & ſubſtantiæ ſeparatæ, certè non poteſt fingi, nec concipi quòd ſtante carentiâ, naturaliter multiplicentur: non verò dicere, non poſſe fingi, aut concipi, quòd poſſit multiplicari à cauſa ſupernaturali, modo diverſo nobis ignoto. Cur enim ſicut ſubſtantia Angelica individuatur de facto ſine materia, quæ tamen eſt principium individuationis in materialibus; ita non poſſet individualiter multiplicari potentiâ Dei ſic ſupra naturam diſponente, quamvis careat materiâ, quæ eſt multiplicationis principium? Cur ſicut in eadem ſpecie diverſa datur receptibilitas, non poterit dari etiam in eadem ſpecie diverſa individualis irreceptibilitas, ſi de facto datur irreceptibilitas ſpecie diverſa? Cur non poterit Deus eadem prædicata ſpecifica Angeli, puta Gabrielis, cum maiori, vel minori perfectione ſubſtantiali intra eandem ſpeciem in pluribus individuis collocare? Certè ex D. Thoma hæc duo contradictoria non ſunt: Angelus ex ſua natura habet, quòd non poſſit multiplicari; & Angelus ex potentia divina habet, quòd poſſit multiplicari: *Nihil enim prohibet, aliquid non habere in ſua natura cauſam alicujus, quod tamen habet illud ex alia cauſa*. Contradictionem quidem includeret, quòd Angelus eſſet immultiplicabilis ſecundùm ſuam naturam, & ſecundùm ſuam naturam eſſet multiplicabilis.

LIII. Hoc roboratur ex eodem Divo Thoma citato *q. un. de Spirit. creat. a.* 8. *ad* 4. dicente: *Sicut ergo hæc albedo non prohibetur habere ſub ſe plura individua ex hoc quod eſt albedo, quod pertinet ad rationem ſpeciei, ſed ex hoc quòd eſt in hoc, quod pertinet ad rationem individui; ita natura hujus Angeli non prohibetur eſſe in multis ex hoc quod eſt natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem ſpeciei, ſed ex hoc, quòd non eſt nata recipi in aliquo ſubjecto, quod pertinet ad rationem individui*; ergo eſſe in pluribus individuis non eſt contra naturam ſpecificam Angeli: ſed Deus ſuâ potentiâ facere poteſt quidquid non eſt contra prædicata ſpecifica, & eſſentialia rei; ergo facere poteſt &c. & jure quidem. Nam ſola natura divina ex ſua ſpecie eſt eſſentialiter una ſingularis, & immultiplicabilis; naturæ autem creatæ ſolùm accidentaliter competere poteſt ex ſua ſpecie ſingularitas, & immultiplicabilitas.

LIV. Sententia D. Thomæ hâc moderatione temperata exuit aſperitatem, quâ à multis in hac materia inuritur. Imo prorsùs liberatur à calumnia, quâ quidam Scotiſtarum plus æquo rigidus defenſor, eam aſperſit anno 1623. in Apologia, quam pro Scoto, & Scotiſtis evulgavit, aſſerens, D. Thomæ ſententiam de immultiplicabilitate Angelorum in eadem ſpecie, etiam attentâ Dei potentiâ, fuiſſe ab Academia Pariſienſi proſcriptam. Quia tamen, ut ſuperiùs dixi, ita poſſibilem divinæ potentiæ angelicæ naturæ intra eandem ſpeciem multiplicationem exiſtimo, ut à ſententia eam impoſſibilem aſſerente recedere in animo mihi non ſit; ideò hanc objectionem expendere, & diſſipare ex debito adſtringor.

LV.

LV. Dicit ergo Anonymus Scoti, & Scotiſtarum Apologiſta, à Facultate Pariſienſi anno 1226. ſub Stephano Epiſcopo damnatos fuiſſe ſequentes articulos, ſeu concluſiones. Prima eſt, *quòd Deus non poteſt multiplicare individua in una ſpecie ſine materia*. Secunda, *quòd non poteſt facere plures Intelligentias ejuſdem ſpeciei, contra Fratrem Thomam*. Tertia, *quòd ſubſtantiæ ſeparatæ nuſquam ſint per ſubſtantiam, error*. Quarta, *quòd alicubi tantùm ſunt per operationem &c.* Cùm ergo omnia hæc ex D. Thoma ab ejus Diſcipulis tradantur in Scholis, patet, eos tradere doctrinam à Facultate Pariſienſi damnatam.

LVI. Reſpondeo primò, ſuppoſitam hanc condemnationem pluſquàm uno titulo ſeipsâ ruere: ſupponit enim, eam prodiiſſe ſub Stephano Epiſcopo, & anno 1226. at eo anno nullus erat Epiſcopus Pariſienſis nomine Stephanus. Primus enim, qui hoc nomine Pariſienſem Eccleſiam rexit, ex Demochare lib. *de Divino Miſſæ Sacrificio c.*18. vixit ante Petrum Lombardum anno 1164. defunctum. Stephanus autem hoc nomine ſecundus Cathedram Pariſienſem ab anno 1258. ad annum 1279. rexit, atque inter iſtos duos nullus medius Stephanus invenitur. Quomodo ergo Cenſura, quæ ſupponitur prodiiſſe anno 1226. potuit eſſe edita ſub Stephano? Dato etiam, vel omiſſo hoc; quomodo hâc cenſurâ damnari poterat doctrina Divi Thomæ, anno 1226. cùm S. Thomas tunc vix natus eſſet, vel ſolùm eſſet triennis, aut quadriennis, utpote anno 1274. mortuus ætatis annum quinquageſimum agens? Nec valet dicere, mendum eſſe in typis, nam loco anno 1226. debuit poni annus 1276. quo anno, & Stephanus Pariſienſis erat Epiſcopus, & S. Thomas jam obierat, & proinde docuerat.

LVII. Nam vanum eſſe hoc ſubterfugium oſtendit Sylvius in 1. *p. q.* 50. *a.* 4. & fuſiùs in *Apologia*, quam pro S. Thoma Scotiſticæ oppoſuit anno ſequenti 1624. & quæ tom. 5. operum ipſius continetur, qui duodecim exemplaria excuſa opponit, in quibus edita cenſura figitur anno 1226. uno excepto, in quo ponitur annus 1227. At in tot exemplaribus mendum irrepſiſſe credibile non eſt. Verùm, omiſſo etiam, non anno 1226. ſed 1276. præfatam cenſuram prodiiſſe, duobus annis poſt obitum S. Thomæ; adhuc incredibilis apparet præfata cenſura, præcipuè ſi feriat S. Thomæ doctrinam. Cùm enim auditâ S. Doctoris morte Univerſitas Pariſienſis litteras dederit ad Magiſtros, & Provinciales noſtri Ordinis Lugduni pro Generali Capitulo congregatos anno eodem 1274. mæroris ſuper ejus morte, & exiſtimationis ſuper ejus doctrina plenas, quas ex integro refert Sylvius in laudata Apologia, quis ſibi perſuadere poterit, biennio poſt, mente ac ſtylo in contraria mutatis, proceſſiſſe ad condemnandas, & anathematizandas illius Sancti Doctoris concluſiones, quem paulò ante, ejuſque doctrinam adeò venerabundi celebrabant?

LVIII. Reſpondeo ergo ſecundò, quòd illa cenſura (ſi lata fuit) fuit lata contra Averroiſtas, contra quos ut vidimus S. Thomas ſcripſit Opuſculum 16. qui dixerunt, non poſſe dari, niſi unum intellectum omnium hominum, eò quòd in ſua entitate non importaret materiam; quaſi ad multiplicationem numericam, & individualem non ſufficeret habitudo, quam intellectus, & anima, etſi ſeparata, dicunt ad materiam. Sed quia ſucceſſu temporis non defuere, qui dicerent, hujuſmodi cenſurâ doctrinam S. Thomæ eſſe condemnatam; ideò Stephanus Epiſcopus Pariſienſis anno 1325. tota Univerſitate convocatâ, & approbante, præfatam cenſuram penitùs annullavit, & Doctrinam noſtri Angelici Præceptoris dignis celebravit encomiis; cujus abrogationis integrum Diploma Studioſus legere poterit apud Bergomenſem initio *Tabulæ aureæ*. Quibus addit Gonet, librum illum Academiæ

demiæ Pariſienſis præfatam Cenſuram continentem, fuiſſe proſcriptum, & Catalogo librorum prohibitorum inſertum.

Tandem, etſi præfata ejuſdem Academiæ Pariſienſis revocatio, & annullatio non prodiiſſet, pro S. Doctoris ejuſque doctrinæ laude ſufficeret, eam à Romana Eccleſia (quæ, ut Pariſienſis Univerſitas in præfato Diplomate profitetur, *Mater* eſt *omnium fidelium*, *& magiſtra fidei*, *& veritatis*, *in firmiſſima Petri Chriſti Vicarii confeſſione fundata*, *ad quam velut ad univerſalem regulam catholicæ veritatis*, *pertinet approbatio doctrinarum*, *declaratio dubiorum*, *determinatio tenendorum*, *& confutatio errorum*) nedùm non fuiſſe unquam in aliqua ſui parte damnatam; ſed fuiſſe ſemper & eſſe ſummis laudibus cum ſuo Auctore commendatam. Harum multos Benedictus XIII. Petri Sedem modò feliciter tenens tùm Diplomate = *Demiſſas preces* 6. Nov. 1724. tùm ſua Conſtitutione = *Pretioſus* 7. Kal. Junii 1727. §. 41. cumulatè recenſuit, confirmavitque, & S. Præceptoris doctrinam ab omni erroris nævo immunem eſſe pronunciavit.

DUBIUM III.

An Angeli ex natura ſua ſint incorruptibiles, & immortales?

§. I.

Reſolvitur de facto.

I. INcorruptibile eſt illud, quod corrumpi, ſeu corruptioni ſubjacere non poteſt. Corruptio autem dupliciter ſumi ſolet: primò ſtrictè, ut opponitur generationi, & ſic eſt deſtructio, ſeu diſſolutio compoſiti ſubſtantialis conſtantis ex materia, & forma; ſicut ex oppoſito generatio eſt productio & effectio compoſiti ſubſtantialis. Secundò latiùs pro quacumque deſitione rei, quæ ceſſet ab eſſe, ſeu de exiſtente fiat non exiſtens, quo ſenſu corruptio idem eſt, ac deſitio, ſeu ceſſatio ab eſſe; quomodocumque contingat. Angelos non eſſe corruptibiles primo modo, ex dictis conſtat; cùm enim corpora non ſint ex materià, & forma, ſeu ex corpore, & ſpiritu conſtantia, ſed ſimplices ſpiritus, eorum deſitio ab eſſe contingere non poteſt diſſolutione compoſiti. Unde Tertullianus *lib. de anima cap.* 14. de anima humana loquens, ex quo non ſit compoſita, probat, eam non eſſe mortalem. *Si enim* (inquit) *ſtructilis*, *& diſſolubilis: ſi diſſolubilis, jam non immortalis. Itaque quia jam non mortalis, neque diſſolubilis, neque diviſibilis. Nam & dividi, diſſolvi eſt, & diſſolvi mori eſt.* Videndum ergo eſt, an Angelus incorruptibilis ſit etiam ſecundo modo.

II. Noto propterea, tripliciter poſſe dici aliquid ex natura ſua indefectibile. Primò abſolutè, eò quòd ſit talis naturæ, ut nullâ potentiâ deſtrui poſſit, & in nihilum verti. Secundò, quòd juxta Dei potentiam ordinariam, ſeu agentis ſecundùm exigentiam naturalium cauſarum deſtrui non poſſit; vel quia nulla ex cauſis naturalibus eſt, quæ rem illam deſtruere poſſit; vel quia nullum naturale principium eſt, quod ejus deſtructionem exigat, aut in eam conetur. Tertiò denique, quia ex ſuis principiis intrinſecis exigit nunquam deficere, ſed ubi ſemel accepit eſſe, illud in perpetuum ſervare poſtulat.

III. Triplex hìc eſt opinio. Prima Libertinorum, qui ſoli ſpiritui Dei immortalitatem adjudicant, Angelos autem, & animas rationales interire, imò nihil eſſe, ſed meram opinionem effutiunt. Horum auctores fuere Quintinus Gallus, profeſſione ſartor extremo ſupplicio Tornaci affectus, ejurato tamen errore interiit; & Coppinus Inſulenſis in errore extinctus. Secunda aliquorum volentium, Angelos intrinſecè defectibiles, ſolâ Dei gratiâ perſeverare. Tertia Angelos ſuapte naturâ indefectibiles eſſe, ita

ut

ut ſolâ Dei potentiâ extraordinariâ ab eſſe ceſſare, & in nihilum redigi poſſint.

IV. Dico ergo primò. Angeli ſunt in perpetuum extituri, ac numquam ullus eorum interibit. Hæc eſt communis Eccleſiæ fides accepta ex Scripturis *Matth.* 25. *v.* 41. ubi ignis æternus dicitur *paratus Diabolo, & Angelis ejus*, qui à Juda in ſua Epiſt. v. 6. *vinculis æternis ſub caligine* reſervati dicuntur; & *Luca* 20. *v.* 36. ubi Chriſtus dicit, quòd: *qui digni habebuntur ſeculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores. Neque enim ultra mori poterunt, æquales enim Angelis ſunt.*

V. Hoc idem teſtatus fuit Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus (in ſua Epiſtola Synodica lecta in Synodo ſexta ſeu Conſtantinopolitana III. ann. 681. act. 11. probata act. 13. & ter laudata ab Hadriano Papa in ſuo ſcripto pro Synodo Nicæna II. ad Carolum Magnum) ubi hæc habet: *Deus ſuis operibus præſidens, principiumque omnibus temporale conſtituens, ſenſibilia quidem fini temporali ſuppoſuit, intellectualia verò, & inviſibilia his meliori dignitate dignatus eſt. Et nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur, juxta quod ſenſibilia defluunt, atque pertranſeunt... ſed gratiam eis largitus eſt à corruptione ca, & à morte coercentiam. Sic hominum anima permanent incorrupta. Sic Angeli immortales perſeverant.*

VI. Colligitur quoque ex Concilio Lateranenſi V. ſub Leone X. in quo Seſs. 8. rejectis iis, qui *auſi ſunt dicere, animam rationalem eſſe mortalem*, ſubjungitur: *Sacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectivam mortalem eſſe: cùm illa non ſolùm verè, & per ſe & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verum, & immortalis.* Quòd ſi animæ rationali, quæ tam affine habet commercium cum corpore, ſtatuitur immortalitas; quantò magis aſſeri debet Angelis, qui ab omni cum corpore affinitate ſejuncti ſunt?

VII. Accedunt Patres in hac doctrina perpetui. Unum affero Baſilium, tùm in *Pſalm.* 44. ſic dicentem. *Nos ergo ſumus, qui mutamur.... non enim mutationem admittunt Angeli. Nullus enim inter illos puer eſt, nullus adoleſcens, ſenex nullus: ſed in eo ſtatu in quo ab initio creati ſunt, in eo permanent, cùm eorum ſubſtantia ſimplex & immutabilis conſervetur.* Tùm lib. 4. *adverſus Eunomium*, ubi Anomæos inferentes, quòd ſi Pater non ſemper generat Filium, ſed aliquando deſiit; ergo etiam generare incæpit, ſic perſtringit: *Dicemus igitur, ſi id quod deſinit, neceſſariò etiam principium habet, rurſus ſi id, quod principium habet, neceſſariò quoque deſinit: Angeli igitur & cuncta incorporea, cùm eſſe cæperint, neceſſariò etiam eſſe deſiſtent. At hoc abſurdum eſt. Fieri igitur poteſt, ut id quod eſſe incæpit, non deſinat, & id quod deſiit, non incæperit.* Tale ergo abſurdum reputat Baſilius, quòd Angeli deſinant eſſe; ut, ne hoc admittatur, concludat, nec Filium Dei aliquando cæpiſſe.

Poſſet in contrarium adduci illud 1. *ad Timoth.* 6. *v.* 16. ubi de Deo dicitur: *Qui ſolus habet immortalitatem.* Sed Angelos non habere immortalitatem eo modo, quo eam habet Deus, dicemus in ſequentibus

§. II.

Quomodo Angeli ſint incorruptibiles.

VIII. Dico ſecundò. Angeli non ſunt incorruptibiles, & immortales abſolutè, & reſpectu potentiæ extraordinariæ Dei. Hoc modo, ut dicebatur ex Paulo, ſolus Deus habet immortalitatem; quia neque habet cauſam ſui non eſſe, neque deſinere poteſt eſſe ab ulla cauſa extra ſe. Conſtat autem hæc aſſertio. Sicut enim Angeli natura utpote creata non habet ex ſe neceſſitatem eſſendi, ſed con-

contingenter ſe habet abſolutè ad eſſe, ſicut etiam à Deo habuit, ut eſſet, & ex nihilo fieret; ita ſi Deus vellet poſſet iterum ad nihilum reverti. Quare S. Cyrillus *lib. 8. Theſauri c. 2.* hanc differentiam ſtatuit inter Angelos, & Filium Dei, quòd hic neceſſariò, & immutabiliter eſt; illi verò, volente Creatore, poſſint in nihilum redigi. *Angelus* (inquit) *immortalis quadam res eſt, propter ita conſtitutam de eo Conditoris voluntatem: nihilominus, quoniam exiſtendi principium habet, poſſet utique finem etiam ſortiri: naturales enim prærogativa, habentibus quidem valida ſunt, non autem earum opifici Deo. Quemadmodum ignis urendi vim habet, ſed non Deo; & Angelus immortalis eſt quidem, ſed non Deo.* Sicut ergo ignis eſto naturaliter ſit combuſtivus, & poſitis omnibus requiſitis à nullo agente creato ejus actio impediri poſſit, benè tamen à Deo extraordinariè operante, ut in Babylonica fornace contigit: ita quamvis Angelus naturâ ſuâ ſit incorruptibilis, ut à nullo agente creato deſtrui poſſit, à Deo tamen, ſi vellet à conſervando ipſum ceſſare, in nihilum detrudi poſſet.

IX. Unde colligit S. Auguſtinus epiſt. 56. nunc 118. ad Dioſcorum cap. 3. *Non ob aliud res deficere, vel poſſe deficere, niſi quòd ex nihilo facta ſunt: ut quod in eis eſt quod ſunt, & manent... ad ejus bonitatem pertineat, qui ſummè eſt Conditor, qui potens eſt etiam ex nihilo, non tantùm aliquid, ſed etiam magnum aliquid facere.* Hùc reſpexerunt non pauci Sanctorum Patrum, dùm (ut ſtatim dicemus) pronunciarunt, Angelos non naturâ, ſed gratiâ immortales eſſe; quia, ſicut per divinam potentiam initium habuerunt ex nihilo: ita quoque per ipſam, ſi vellet agere quod poſſet, exitum in nihilum habere poſſent. Nam omnem creaturam, etiam angelicam, complectitur illud Sap. 11. v. 26. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur?*

X. Dico tertiò. Si attendantur eorum principia naturalia, Angeli ſemel creati exigunt ſemper eſſe; ideòque ab intrinſeco ſunt incorruptibiles, ſeu indeſtruibiles. Quare, ſi Deus velit agere ſecundùm eorum exigentiam naturalem, & non ſecundùm ſuam potentiam, tenetur illos in perpetuum conſervare. Ita docet S. Thom. 1. *p. q.* 50. *a.* 5. & communiter Theologi, quamvis in modo explicandi aliqui diſſentiant. Probat eam S. Doctor primò ex D. Dionyſio c. 4. de divinis nom. dicente: *Intellectuales ſubſtantiæ vitam habent indeficientem ab univerſa corruptione, morte, & materia, & generatione munda exiſtentes.*

XI. Prob. primò ratione ejuſdem. Illud ſolùm ſuaptè naturâ, & ab intrinſeco eſt corruptibile, quod ex materia, & forma eſt conſtitutum; quia corruptio contingit ex diſſolutione compoſiti, hæc autem ex ſeparatione formæ à materia, ut experientiâ conſtat: ſed Angeli, ut dictum eſt, non ſunt materiâ & formâ conſtantes, ſed puri ſpiritus, & formæ ſimplices; ergo ab intrinſeco non ſunt &c.

XII. Eam confirmat S. Doctor ſic. Quod ex ſua natura eſt pura & ſimplex forma, ſemel productum in eſſe, non poteſt ab eſſe ſeparari, ſi ejus natura ſpectetur: ſed Angelus eſt pura, & ſimplex forma, nullam habens mixtionem cum materia &c. ergo &c. Major probatur. Quod ex ſua natura eſt pura, & ſimplex forma, hoc habet, ut exiſtere conveniat illi per ſe, & non per aliud: ſed quod convenit alicui per ſe, & non per aliud, naturaliter ſaltem ab eo ſeparari non poteſt; ergo &c. Minorem explicat exemplo circuli: quia enim circulo convenit per ſe rotunditas, *rotunditas à circulo ſeparari non poteſt, quia convenit ei ſecundùm ſeipſum: ſed æneus circulus poteſt amittere rotunditatem per hoc, quòd circularis figura ſeparetur ab ære.* Major quoque patet: quia *unumquodque eſt ens actu ſecundùm quòd habet formam. Materia verò eſt ens actu* per

per formam. Compoſitum igitur ex materia, & forma deſinit eſſe actu, per hoc, quòd forma ſeparatur à materia. Sed ſi ipſa forma ſubſiſtat in ſuo eſſe, non poteſt amittere eſſe. Ita D. Thomas.

Ubi notandæ ſunt illa verba *ſi ipſa forma ſubſiſtat in ſuo eſſe, non poteſt amittere eſſe:* his enim declarat S. Doctor mentem ſuam non eſſe, quòd exiſtere ita per ſe conveniat formæ, ut forma neceſſariò abſolutè ſit; ſed ſolùm, quòd ſuppoſito, quòd forma ſemel exiſtat, non poteſt amittere eſſe: ſicut ſuppoſito, quòd exiſtat circulus, non poteſt amittere rotunditatem.

XIII. Ut tamen prædicta ratio, & D. Thomæ mens meliùs penetretur, obſerva, quòd aliquid convenire *per ſe* contingit dupliciter: uno modo *abſolutè, & metaphyſicè*; & hujuſmodi perſeitas fundatur in habitudine terminorum, & nihil non neceſſarium ſupponit, quo pacto quinario competit eſſe imparem, & circulo eſſe rotundum: & hæc perſeitas, adeò neceſſaria eſt, ut oppoſitum implicet ex terminis contradictionem. Alio modo ſolùm *phyſicè*; & hæc perſeitas non fundatur in habitudine terminorum, ſed aliquid non neceſſarium ſupponit. De hac ergo, non de prima loquitur D. Thomas, cùm ait, quòd eſſe convenit formæ *per ſe*; quia eſto poni in eſſe, non conveniat formæ per ſe, & neceſſariò, ſed ſolùm accidentaliter: tamen ſemel ſuppoſitâ productione illius, ſeu *ſi ipſa forma ſubſiſtat in ſuo eſſe*, hoc, attento curſu naturali, non poteſt amittere: & in hoc ſtat ſimilitudo cum circulo.

XIV. Obſerva etiam, quòd ad hoc, ut aliquid conveniat alicui per ſe perſeitate etiam phyſica inſeparabiliter, non ſufficit, ut non mediet alia forma, ſed requiritur ulterius, ut nec mediet alia actio. Quare licèt forma immediatè conveniat materiæ, & albedo quantitati, non tamen conveniunt inſeparabiliter; quia actio productiva formæ, & albedinis diverſa eſt ab actione productiva materiæ, & quantitatis. At actio productiva formæ ſubſiſtentis eſt immediatè productiva ejuſdem in eſſe; ideòque ei inſeparabiliter convenit, quia quæ eadem actione producuntur, eadem actione ſimul conſervari debent, nec niſi eadem deſtructione deſtrui poſſunt.

XV. Probo ſecundò aliâ ratione ejuſdem S. Thomæ 2. *Contrag. cap.* 30. Angeli, utpote inter creaturas perfectiſſimi, creati ſunt Deo ſimiles, quantum patitur ratio creaturæ: ſed ratio creaturæ patitur, ut naturaliter ſit indeſtruibilis; ergo ſicut Deus eſt naturâ immortalis, & indeſtruibilis, ita & Angelus, ſervato tamen diſcrimine Creatoris, & creaturæ; nempè, quòd Deus ita eſt immortalis, & indeſtruibilis, ut hoc habeat à ſe ipſo, & independenter à quacunque cauſa, quâ ponatur in eſſe, & quâ ei eripi poſſit: & in hoc ſenſu dicitur, quòd ſolus habet immortalitatem (1. *Timoth.* 6. *v.* 16.) Angelus autem incorruptibilitatem, & immortalitatem quidem habet ex ſua natura, ſed tamen dependenter à Deo, à quo ejus natura ponitur in eſſe, & à quo ei eripi poteſt.

Verba S. Thomæ loco citato ſunt: *Ad divinam perfectionem pertinet, quòd rebus creatis ſuam ſimilitudinem indiderit: niſi quantùm ad illa, quæ repugnant, ei, quod eſt eſſe creatum. Agentis enim perfecti eſt producere ſibi ſimile, quantum poſſibile eſt. Eſſe autem ſimpliciter non repugnat ad rationem eſſe creati. Nihil enim prohibet, aliquid eſſe neceſſe, quod tamen ſuæ neceſſitatis cauſam habet, ſicut concluſiones demonſtrationum. Nihil igitur prohibet, quaſdam res, ſic eſſe productas à Deo, ut tamen eas eſſe ſit neceſſe ſimpliciter: imò hoc divinæ perfectioni adteſtatur.*

XVI. Probari poteſt revocando ſimilitudinem, quâ S. Cyrillus l. 8. Theſauri c. 2. ſupra laudatus utebatur, ſub tali forma. Angelus eſt immortalis, non minùs ac ignis ſit combuſtivus: ſed ignis naturâ ſua eſt combuſtivus, ut Deus, (niſi ſuâ extra-

traordinariâ potentiâ velit oppoſitum, ut fecit in igne Babylonicæ fornacis) teneatur præſtare concurſum ſuum ad combuſtionem; ergo ſic debet, ſuppoſitâ Angeli exiſtentiâ, eam conſervare, ut niſi ſuâ extraordinariâ potentiâ velit illum deſtruere, non poſſit non eum in eſſe manutenere.

XVII. Neque inferas, quòd ſicut, ſi quis impediret igni combuſtionem, inferret illi violentiam; ſic ſi Deus impediret, ne Angelus permaneret in eſſe, violentiam ei inferret.

Nam hoc verum eſſet, ſi ab alio, quàm ab Auctore naturæ procederet. Verùm ſicut Deus, cùm impedivit, ne ignis babylonicus combureret tres pueros, non intulit violentiam igni: ita ſi impediret, ne Angelus conſervaretur in eſſe, nec inferret Angelo violentiam, nec ageret contra, ſed ſupra naturam utriuſque: & eſto ageret, ne inclinatio particularis ſuum effectum haberet, eum tamen haberet inclinatio univerſalis, quâ quælibet creatura nata eſt obedire Deo ad ſuos fines altiores. Quæ enim à cauſa ſuperiori in natura inferiori fiunt, violenta non ſunt, nec contra naturam, ut docet D. Tho. *q. 4. de pot. a. 1. ad 10.* & maximè, quæ à Deo fiunt in ſua creatura, ut docent Theologi in Tract. de actibus humanis.

§. III.

Reſpondetur ad ea quæ tertiam aſſertionem impugnant.

XVIII. Qui putant, Angelos eſſe immortales non naturâ, ſed gratia objiciunt primò prælaudatum textum D. Pauli 1. ad Timoth. 6. v. 16. Deus eſt, *qui ſolus habet immortalitatem*; ergo nullus à Deo naturâ habet immortalitatem.

Sed hunc textum ſemel, atque iterum dictum eſt, debere exponi, quòd ſolus Deus habet immortalitatem à ſe, & eſſentialiter, quo ſenſu Marci 10. v. 18. dicitur: *Nemo bonus, niſi unus Deus*; Rom. 16. v. 27. *ſoli ſapienti Deo*. Hæc expoſitio eſt D. Auguſtini lib. de Natura boni cap. 39. *Sicut ergo dicitur homo bonus, non tamen ſicut Deus, de quo dictum eſt:* nemo bonus, niſi unus Deus: *& ſicut dicitur anima immortalis, non tamen ſicut Deus, de quo dictum eſt*, qui ſolus habet immortalitatem: *& ſicut dicitur homo ſapiens, non tamen ſicut Deus; de quo dictum eſt*, ſoli ſapienti Deo: *ſic dicitur ignis æternus, non tamen ſicut Deus, cujus ſolius immortalitas eſt vera æternitas.* Videri etiam poteſt idem S. Doctor *Epiſt. 28. nunc 166. ad Hieron.* ubi ſolum Deum dicit eſſe immortalem; quia ſolus ipſe cujuſque tranſitus non ſolùm ab eſſe ad non eſſe, ſed etiam ab uno ad alium ſtatum incapax eſt: unde anima ita immortalis eſt, ut etiam dici poſſit mortalis, dùm de bona tranſit in malam. Quare ait: *ſed quòd ita moritur alienata à vita Dei, ut tamen in natura ſua vivere non omnino deſiſtat: ità mortalis ex aliqua cauſa invenitur, ut etiam immortalis non ſine ratione dicatur*, & l. 1. de Trinit. c. 9. *ipſa* (inquit) *mutabilitas non inconvenienter mortalitas dicitur, ſecundùm quam, & anima dicitur mori: non quia in corpus, vel in aliquam alteram ſubſtantiam mutatur, & vertitur; ſed in ipſa ſua ſubſtantia quidquid alio modo nunc eſt, ac fuit, ſecundùm id quod deſtitit eſſe, quod erat, mortale deprehenditur.*

XIX. Objiciunt ſecundò Epiſtolam Synodicam Sophronii, de qua ſupra §. 1. n. 5. ubi poſt laudata verba ſubjicit Sophronius, quòd incorporalia, qualia ſunt Angeli, eſto non moriantur, *non tamen ſunt immortalia per naturam, neque in eſſentiam incorruptibilem tranſeunt, ſed gratiam eis* (Deus) *largitus eſt, à corruptione ea, & à morte coercentem. Sic hominum animæ permanent incorruptæ; ſic Angeli immortales perſeverant: non naturâ reverà, ſicut aſſerui, incorruptam,*

Digitized by Google

proprieve immortalem habentes eſſentiam; ſed gratiam à Deo ſortiti ſunt, quæ immortalitatem largitur, & incorruptionem eis providet &c. additque, quòd corruptio *omnibus rebus naturaliter inſidet*. Cùm ergo præfata epiſtola, ut dixi, lecta, & *act.* 13. approbata fuerit à Synodo Sexta, ſtatutum videtur in præfata Synodo, Angelos ſolùm eſſe immortales per gratiam, non per naturam.

XX. Idem objiciunt ex Patribus. Auguſtino §. præcedente citato n. 9. Cui accedunt Hilarius in Pſalm. 148. ubi ad illa verba *Praeceptum poſuit, & non præteribit*, ait: *ut hoc quod ſunt, ideſt, ut maneant in æternum, non natura eſſe intelligant, ſed præcepti ejus ſit, qui potens ſit rebus ex nihilo ſubſtitutis naturam æternitatis afferre*. S. Ambroſius quoque lib. 3. de Fide c. 2. *nec* (inquit) *Angelus immortalis eſt naturaliter, cujus immortalitas in voluntate eſt Creatoris*, & S. Damaſcenus lib. 2. Fidei orthod. c. 3. *Angelus* [inquit] *eſt ſubſtantia intelligens ... immortalitatem in natura Dei munere conſequuta*. Et infra: *Immortalis eſt, non quidem naturâ, ſed Dei munere, & gratiâ. Quidquid enim ortum habuit, finem quoque ſuaptè naturâ habiturum eſt*. Hoc nec ipſum Platonem latuit; nam in *Timæo* Deum ſummum, ſic alloquentem Deos minores, nempè Angelos inducit: *Quoniam orti eſtis, immortales vos quidem eſſe, & indiſſolubiles non poteſtis. Neutiquam tamen diſſolvemini* &c. *Opera ſiquidem vos mea diſſolubilia naturâ, me tamen volente indiſſolubilia*.

XXI. Reſpondeo, hæc & ſimilia confirmare noſtram ſecundam aſſertionem, non deſtruere tertiam. Probant enim, quòd ſicut non naturâ habent, quòd ſint, ſed gratiâ Creatoris; ſic non naturâ habent, quòd immortales ſint, ſed gratiâ Dei Conſervatoris: quia, etſi eorum natura non habeat in ſe corruptionis principium, ei tamen corruptio naturaliter inſidet, quia ſicut ex nihilo facta eſt, ita vertibilis eſt in nihilum; & quamvis ſemel poſita extra nihilum, naturaliter exigat in eſſe ſemper manere, quòd tamen Deus velit potiùs ſecundùm naturæ eorum inclinationem agere, quàm ſecundùm ſuam potentiam, & ſic eis potius concurſum ad ſemper eſſe præſtare, quàm concurſum denegare, gratia eſt, non quidem ſupernaturalis, ſicut eſſet, ſi rem ſuâ naturâ ad corruptionem inclinantem [ut hominem] perpetuò conſervaret; ſed gratia naturalis, gratia ſcilicet Dei Conditoris, & Conſervatoris. Ut enim ſcribebant Patres Concilii Africani apud S. Auguſtinum Ep. 95. num. 177. *Non improbandâ ratione dicitur gratia Dei, quâ creati ſumus, ut nonnihil eſſemus, nec ita eſſemus aliquid ut cadaver, quod non vivit, aut arbor, quæ non ſentit, aut pecus, quod non intelligit, ſed homines, qui & eſſemus, & viveremus, & ſentiremus, & intelligeremus ... quia non præcedentium aliquorum bonorum operum meritis, ſed gratuitâ Dei bonitate donata eſt*. Ita gratia Dei dicitur, quâ Angeli creati ſunt, ut nonnihil eſſent, nec ita eſſent aliquid ut corporea, quæ corruptioni obnoxia ſunt, ſed talis naturæ, quæ principio corruptionis careret: ut enim ait D. Tho. q. 5. de Pot. a. 3. in c. *Aliis rebus ſecundùm ſuam naturam competit neceſſitas eſſendi ... nec tamen per hoc removetur, quin neceſſitas eſſendi ſit eis à Deo, quia & unum neceſſarium alterius cauſa eſſe poteſt, ut dicitur in 5. Metaph. Ipſius enim natura creata, cui convenit ſempiternitas, cauſa eſt Deus*. Et inſuper gratia dicitur, quâ Deus ſecundùm talis naturæ exigentiam agere velit eos conſervando, non autem ſecundùm abſolutam potentiam ad nihilum eos redigendo.

XXII. Prudenti autem nec non religioſa cautelâ abſtinebant Patres ab aſſerendo, Angelos, & animas humanas eſſe naturâ incorruptibiles, & immortales; ne viderentur eam immortalitatem, quæ ſolius Dei propria eſt,

eſt, nimirùm à ſe, & carentem initio, & fine eis concedere: agebant enim ſive contra Arianos, & Anomæos, ſive contra Origeniſtas. Unde, ut Angelorum immortalitatem ſecernerent ab ea, quâ immortalis, & æternus eſt Filius Dei, dicebant, Angelos, & animas eſſe immortales, non naturâ, ſed gratiâ, ſeu Dei voluntate. Contra Origeniſtas etiam, Angelos, & animas, ſicut non ſemper fuerunt, ita nec ſemper in eſſe perſeverarent, ſi Deus, qui eos à nihilo extraxit, à nihilo etiam ſuo concurſu non præſervaret. Ad Arianos reſpiciebant SS. Hilarius, & Ambroſius: ad Origeniſtas verò Sophronius in prænarrata Epiſtola. Quare ſtatim ſubjungit: *Sed non idcircò, quòd hominum animæ gratiâ Dei corruptionem repulerunt.... ideò.... in ſempiternam quadam vita poſitas arbitrabimur..... ſicut Origenes erroneus conſtituit, & hujus complices, atque conſentanei Didymus, & Evagrius &c.*

XXIII. Reſponderi quoque poteſt cum D. Thom. 1. *p. q.* 50. *hoc a.* 5. *ad* 1. præfatos Patres, ſicut & Damaſcenum, accipere *immortalitatem perfectam, quæ includit omnimodam immutabilitatem, quia omnis mutatio eſt quædam mors* (*ut dicit Auguſt.* lib. 2. aliàs 3. contra Maximin. cap. 12.) *perfectam autem immutabilitatem Angeli nonniſi per gratiam aſſequuntur*. Ita S. Thomas. Verba autem S. Auguſtini laudato loco ſunt hæc: *In omni mutabili natura nonnulla mors eſt ipſa mutatio, quia facit aliquid in ea non eſſe, quod erat. Proinde & ipſa anima humana, quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercumque ſecundùm modum ſuum nunquam deſinit vivere, habet tamen pro ipſo ſuo modo quandam mortem ſuam, quia ſi juſtè vivebat, & peccat, moritur juſtitiæ.... Et creaturarum natura cæleſtium mori potuit; Nam & Angeli peccaverunt, & Dæmones facti ſunt, quorum eſt Diabolus princeps. Et qui non peccaverunt, peccare potuerunt. Et cuicumque creaturæ rationali præſtatur, ut peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ.* Recolantur ſuperiùs dicta ad primam objectionem ex eodem S. Auguſtino.

Plato autem, ait D. Thomas relato a. 5. ad 2. *per Deos intelligit corpora Cæleſtia, quæ exiſtimabat eſſe ex elementis compoſita. Et ideò ſecundùm ſuam naturam erant diſſolubilia, ſed voluntate divinâ ſemper conſervabantur in eſſe.*

XXIV. Objiciunt tertiò. Secundùm Gregorium lib. 16. Moral. cap. 16. *omnia in nihilum tenderent, niſi ea manus omnipotentis conſervaret*: ſed quod in nihilum redigi poteſt eſt corruptibile; ergo cùm Angeli ſint à Deo facti (ex nihilo) videtur, quòd ſint corruptibiles ſecundùm ſuam naturam. Ita contra ſe objicit S. Thomas loco citato, cui

XXV. Reſpondet (ad tertiùm) non eſſe contra rationem neceſſarii habere cauſam ſuæ neceſſitatis. *Unde non repugnat neceſſario, nec incorruptibili, quòd eſſe ejus dependeat ab alio, ſicut à cauſa. Per hoc ergo, quòd dicitur, quòd omnia deciderent in nihilum, niſi continerentur à Deo, & etiam Angeli, non datur intelligi, quòd in Angelis ſit aliquod corruptionis principium, ſed quòd eſſe Angeli dependeat à Deo, ſicut à cauſa. Non autem dicitur aliquid eſſe corruptibile, per hoc quòd Deus poſſit illud in non eſſe redigere, ſubtrahendo ſuam conſervationem, ſed per hoc, quod in ſeipſo aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel ſaltem potentiam materiæ.* Hæc S. Thomas valdè notanda. Quòd enim Angelus ex nihilo factus ſit, arguit quidem, in eo eſſe capacitatem, non repugnantiam, ſeu potentiam obedientialem, ut Deo ſic volente in nihilum redigatur; non verò quòd in eo ſit potentia naturalis, ſeu principium aliquod, ex cujus actione in non eſſe tendat, ut ad corruptionem ab intrinſeco requiritur.

XXVI. Nec dicas, etſi Angelus ha-

habeat ſolùm capacitatem, ſeu non repugnantiam, ut producatur: attamen eum poſſe à Deo produci illi naturale eſt; ergo etſi habeat ſolùm non repugnantiam, ut poſſit in nihilum redigi, hoc ſufficit, ut ad hoc habeat potentiam naturalem, & dici poſſit corruptibilis.

Nam reſpondeo: diſparitatem eſſe, quia Angelus ante productionem nihil erat & ſicut non exigebat, ut produceretur; ita non exigebat, ut non produceretur. Dùm verò à Deo productus eſt non habens in ſe contrarietatem, aut potentiam materiæ, naturaliter periit in eſſe permanere, & in tali eſſe à Deo conſervari, quantum ex ſuis intrinſecis eſt. Hæc tamen neceſſitas in eſſe permanendi à Dei voluntate eſt. Nam *licet creaturæ incorruptibiles ex Dei voluntate dependeant, quæ poteſt eis eſſe præbere, & non præbere; conſequuntur tamen ex Divina voluntate abſolutam neceſſitatem eſſendi, inquantùm in tali natura cauſantur, in qua non ſit poſſibilitas ad non eſſe. Talia enim ſunt cuncta creata, qualia Deus eſſe ea voluit, ut Hilarius dicit in lib. de Synodis.* Ita S. Tho. *q.* 5. *de Potentia a.* 3. *ad* 12.

QUÆSTIO III.

De loco Angelorum, & locali motu.

DE hoc agit D. Tho. 1. *p. q.* 52. & cum eo quæremus. Primò. An Angeli in loco ſint. Secundò. Per quid ſint in loco. Tertiò. An plures in eodem loco eſſe poſſint, & an unus in pluribus. Quia verò Angelus poteſt eſſe in loco, vel ſibi connaturali, vel violento, qualiter ſunt Dæmones, ſive in inferno, ſive alibi Deo ſic volente, de utroque agemus. Quia verò ſic in uno loco ſunt, ut ad alium locum tranſire poſſint; ideò de motu locali eorum quoque tractabimus.

DUBIUM I.

Per quid Angelus proximè conſtituatur in loco.

§. I.

Angeli ſunt in loco.

I. DUpliciter poſſumus imaginari, aliquid eſſe in loco: uno modo commenſurativè ad locum, ita ut totum corpus locatum commenſuretur toti loco, & partes locati partibus loci. Alio modo definitivè per hoc, quòd ſubſtantia locati ſit præſens, & diſtans huic loco, ut non alteri.

II. Dico primò. Angelos eſſe in aliquo loco de fide eſt. Ita D. Thomas in 1. *diſt.* 37. *q.* 3. *a.* 1. contra quoſdam Philoſophos, qui ponentes, quòd Intelligentia movet Orbem ſola motione propriâ finis, ſicut amatum movet amantem, & quòd anima ejus non conjungitur Orbi, niſi ſicut deſideratum deſideranti, fiebat, ut ſecundùm iſtos, Angelus nullam habeat applicationem ad corpus, vel ad locum, quia non immediatè operatur circa aliquod corpus. *Hæc autem opinio* (ſubdit S. Doct.) *hæretica eſt, quia ſecundùm fidem noſtram, ponimus, Angelos immediatè circa nos operari.*

III. Hanc veritatem cantat Eccleſia quæ de noſtra habitatione ſic Deum rogat: *Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant.* Eam inſuper Scriptura confirmat, tum Matthæi 4. v. 11. *Tunc reliquit eum* (Chriſtum) *Diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Lucæ 2. v. 15. *Diſceſſerunt ab eis Angeli in Cœlum.* Lucæ 22. v. 43. *Apparuit autem illi Angelus de Cœlo.* Matth. 28. v. 2. *Angelus enim Domini deſcendit de Cœlo.* Joann. 5. v. 4. *Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in Piſcinam:* aſcenſus autem, & deſcenſus, utpotè de loco in locum ſupponit rem exiſtere in loco.

Rur-

Digitized by Google

Rursùs fides catholica docet, aliquos Angelorum peccaſſe, ac in infernum eſſe detruſos, dicente D. Petro Epiſt. 2. cap. 2. v. 4. Deus *Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos*; & D. Juda Epiſt. v. 6. *Vinculis æternis ſub caligine reſervavit*.

IV. Hoc idem teſtantur Patres, inter quos Chryſoſtomus *lib. 6. de Sacerdotio* loquens de Sacrificii tempore: *Per id tempus* (inquit) *& Angeli Sacerdoti aſſident, & cœleſtium Poteſtatum univerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt*. Quod etiam ſtatuit Concilium Aquiſgranenſe ſub Ludovico Pio *anno* 816. *cap.* 132. ubi intrantibus Eccleſiam, divina recitantibus, & maximè ubi *Corporis, & Sanguinis Domini geruntur myſteria, ſupernorum Civium adeſſe conventus*, pronunciat.

V. Dico ſecundò. Angeli non ſunt ubique. Eſt contra Durandum, qui in 1. *diſt.* 37. *qu.* 1. dicit, quòd Angelus non eſt determinatè in aliquo loco, quin potiùs eſt ubique, quamvis non eo modo, quo eſt Deus; quia Deus eſt ubique per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, & intimè operatur in omnibus rebus, quod de Angelo dici non poteſt: ſed ſolùm eſt ubique, quia Angelus eſt in loco, in quo poteſt operari: ſed poteſt operari ubique; ergo nullus eſt locus in quo dici non poſſit, quòd Angelus non ſit.

VI. Sed Sententia Durandi periculoſa in fide eſt. Et probatur ex illo Iſaiæ 14. v. 11. *quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer... corruiſti in terram*, quæ ſub figura regis Babylonis exponuntur de Angelo malo; ergo ille reliquit unum locum, & ad alium delapſus eſt. Item Lucæ 10. v. 18. *videbam Satan ſicut fulgur de Cœlo cadentem* & Apoc. 12. v. 8. dicitur de malis Angelis, *neque locus inventus eſt eorum amplius in Cœlo*. Si igitur Diabolus dejectus è Cœlo locum in Cœlo non habet ampliùs; ergo eſt locus, in quo non eſt Anglus; ergo non eſt ubique.

Et meritò quidem. Nam S. Athanaſius *Epiſt. 1. ad Serapionem num.* 26. ex eo quòd Spiritus S. omnia impleat, Angelus verò ſolùm ibi adſit, quò mittitur, concludit, Spiritum Sanctum nec eſſe factum, nec Angelum: *Si igitur Spiritus omnia implet, & in Verbo præſens eſt in medio omnium; ſi contra Angeli hac in re illi cedunt, atque illic tantùm adſunt, quò mittuntur: dubium utique non eſt, quin Spiritus nec res facta, nec Angelus ſit*.

Et S. Damaſcenus lib. 2. de Fide Orth. cap. 3. Angeli (inquit) *circumſcripti ſunt: nec enim cum in Cœlo ſunt, in terra verſantur; nec cùm à Deo in terram mittuntur, remanent in Cœlo*.

VII. Ratio autem Durandi futilis eſt. Non enim ex eo, quòd poteſt Angelus operari in omni loco, ſeu ex eo quòd non ſit locus, in quo non poſſit operari, ſequitur Angelum actu eſſe in loco; ſicut ex eo quòd non ſit locus, quo non poſſit corpus circumſcribi, non ſequitur corpus actu eſſe in loco, ſed ſolùm poſſe ibi eſſe. Eſt ergo Angelus in loco per hoc, quòd actu conjungatur loco operando in illo: cùm autem Angelus nequeat ſimul operari, & applicari omni loco, non poterit in ullo ſenſu eſſe ubique.

VIII. Dico tertiò. Angelus non eſt in loco determinato circumſcriptivè, ſed ſolùm definitivè: ideſt quòd eorum ſubſtantia ita definiatur à loco, in quo eſt, ut non ſit alibi. Sic Damaſcenus citato loco, ubi non procul à laudatis verbis, explicans modum, quo Angeli in loco ſunt: *Non quòd* (inquit) *corporeo modo circumſcribantur (neque enim more corporum, quoad naturam attinet figurantur, aut trinâ dimenſione diſtenti ſunt) ſed quòd ubi ſe conferant, illic ſpiritualiter adſint, & operentur; nec eodem tempore hîc, atque illic eſſe & operari poſſint*.

Et D. Thomas hâc *qu.* 52. *art.* 1. ait:

Digitized by Google

ait: *Non oportet dicere, quòd Angelus commenſuretur loco, vel quòd habeat ſitum in continuo; hoc enim convenit corpori locato, pro ut eſt quantum quantitate dimenſivâ. Similiter etiam non oportet propter hoc, quòd contineatur à loco. Nam ſubſtantia incorporea ſuâ virtute contingens rem corpoream continet ipſam, & non continetur ab ea. Anima enim eſt in corpore, ut continens, & non ut contenta. Et ſimiliter Angelus dicitur eſſe in loco corporeo, non ut contentum, ſed ut continens aliquo modo.* Unde ſuperiùs dixerat, quòd æquivocè dicuntur eſſe in loco Angelus, & corpus. Non quia verè, & realiter Angelus in loco non ſit: ſed quia factâ comparatione inter modum, quo Angelus, & corpus in loco ſunt, ratio eſſendi in loco eſt adeò diverſa, ut æquivocè de utroque dici videatur.

IX. Hæc reſolutio procedit, ſuppoſito, quòd Angeli ſint puri ſpiritus, nec ullo modo habentes corpora, ut ſuperiùs oſtendimus. Cæterùm in opinione celebri, apud Veteres, quòd Angeli habeant corpora naturaliter ſibi unita, vel aerea, vel ignea, vel cujuſcumque materiæ tenuis; cùm non ſint dimenſionis, & qnantitatis omnino expertia, dici deberet eos eſſe in loco commenſurativè, & circumſcriptivè, & univocè ſicut alia corpora.

X. Dices tamen primò contra ſuperiùs dicta. Quod omnino abſolutum eſt à ſitu, & dimenſione non eſt in loco niſi per accides; ſicut patet de materia prima: ſed eſſentia Angeli eſt omnino abſoluta à ſitu & dimenſione &c. ergo non eſt in loco niſi per accidens, nempè ratione corporis aſſumti; ergo quando non aſſumit corpus non eſt in loco.

XI. Dices ſecundò. Angelus eſt in loco definitivè, quia operatio ſua definitur, & determinatur ad locum: ſed ſimiliter aliqua operatio Dei definitur ad locum aliquem, extra quem illam operationem non exercet, ut patet in ſuſcitatione alicujus mortui; ergo videtur, quòd Deus definitivè ſit in loco.

XII. Reſpondetur ad primam inſt. cum D. Thom. in 1. diſt. 37. qu. 3. art. 1. ad 2. *quòd eſſe in loco, ut in loco, non convenit Angelis niſi per accidens: inquantùm ſcilicet corpus aſſumtum, vel corpus cui per operationem applicatur in loco eſt. Sed eſſe in loco, ut operans in operato, convenit Angelo etiam per ſe, ſecundùm quòd per ſe in loco operatur: ſicut etiam materia prima per ſe eſt in loco, aut in locato, ut pars, & ſicut punctus per ſe eſt in loco, ut terminus, non ut locatum.*

XIII. Ad ſecundam reſpondeo ex eodem S. Doct. ibi ad 5. *Quòd Angelus definitivè in loco eſt per operationem ſuam, Deus autem non; quia operatio ipſius Dei, etſi determinata ſit ad locum, inquantùm tranſit ſuper operatum, non tamen inquantùm exit ab operante, quia ita operatur hîc, quòd etiam alibi. Sed Angeli operatio definita eſt ad locum utroque modo; quia ipſe non operatur alibi, quàm hîc.*

§. II.

Quotuplex ſit Angelorum locus.

XIV. Dico quartò. Triplex eſt Angelorum locus. Cœlum, Infernus, aer. Prob. prima pars. Nam omnes in Cœlo Empyreo ut loco ſibi proprio creatos fuiſſe ſuperiùs oſtendimus. Deinde quibuſdam è Cœlo delapſis, aliquos in Cœlo remanſiſſe, ibique beatos eſſe, clamant Scripturæ: *De die illa nemo ſcit* (inquit Chriſtus Marci 13. v. 32.) *Neque Angeli in Cœlo*. Lucæ 2. v. 15. *Diſceſſerunt ab eis Angeli in Cœlum*. Lucæ 22. v. 43. *Apparuit ei Angelus de Cœlo* &c.

Secunda pars non minùs conſtat. Ex Angelis deſertoribus in Infernum fuiſſe detruſos multos teſtatur D. Petrus *Epiſt.* 2. *c.* 2. *v.* 4. quos dicit rudentibus Inferni detractos, in Tartarum à Deo traditos cruciandos, & D. Judas *verſ.* 6. ſuæ Epiſtolæ dicit: *Vin-*

Digitized by Google

Vinculis æternis ſub caligine reſervatos. Hoc autem etiam modò in aliquibus contingere, & non ſolùm poſt univerſale judicium. dicemus infra cum D Thoma, & fuſius, cùm agemus de pœna Dæmonum.

Tertia pars non eſt minus certa. Plures enim Dæmones in hoc aere verſari habetur Job *cap.* 1. *v.* 7. ubi Diabolus à Deo interrogatus, unde veniret, reſpondit: *Circuivi terram, & perambulavi eam*. 1. Petri 5. v. 8. *Adverſarius veſter Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem devoret*. Eòdem ſpectant quæ ſcribit Paulus Eph. 2. v. 2. *In quibus aliquando ambulaſtis ſecundùm principem Poteſtatis aeris hujus*. Et cap. 6. v. 12. vocans Dæmones, *rectores tenebrarum harum, ſpiritualia nequitiæ, in Cæleſtibus*, hoc eſt in aeriis locis. Super quæ D. Hieronymus: *Non quò* (inquit) *Dæmones in Cæleſtibus commorentur, ſed quò ſupra nos aer, hoc nomen acceperit. Unde & aves, quæ volitant per aerem, volucres Cæli eſſe dicuntur. Nam & in alio loco de Dæmonibus, quòd in aere iſto vagentur Apoſtolus ait*.... ſecundum principem poteſtatis aeris ſpiritus. *Hæc autem omnium Doctorum opinio eſt, quòd aer iſte, qui Cælum, & terram medius dividens inane appellatur, plenus ſit contrariis Fortitudinibus*.

XV. Idem aſſerit S. Auguſtinus *lib. de Agone Chriſtiano c.* 3. & *lib.* 8. *de Civit. Dei cap.* 14. referens Platonem in Epinomide dicentem: *Deorum ſedes in Cælo eſt, hominum in terra, in aere Dæmonum*. In libro autem *de ſex quæſt. ad Deo Gratias*, ſeu *Epiſt.* 49. *nunc* 102. *quæſt.* 3. Dæmones vocat iniquam ſpiritalem creaturam, *quæ in hoc proximo, & caliginoſo Cælo habitans, tanquam in aerio carcere ſuo, prædeſtinata eſt ſupplicio ſempiterno*; quod repetit *lib.* 3. *de Geneſ. ad litt. c.* 10. *lib.* 11. *cap.* 26. & alibi.

XVI. Quare S. Thomas hâc *q.* 52. *a.* 4. relatis S. Auguſtini verbis reſolvit: *Sic ergo Dæmonibus duplex locus pœnalis debetur: unus quidem ratione ſuæ culpæ, & hic eſt infernus; alius autem ratione exercitationis humanæ, & ſic debetur eis caliginoſus aer. Procuratio autem ſalutis humanæ protenditur uſque ad diem Judicii. Unde & uſque tunc durat miniſterium Angelorum, & exercitatio Dæmonum. Unde, & uſque tunc, & boni Angeli ad nos huc mittuntur, & Dæmones in hoc aere caliginoſo ſunt ad noſtrum exercitium: licèt eorum aliqui etiam nunc in inferno ſint ad torquendum eos, quos ad malum induxerunt, ſicut & aliqui boni Angeli ſunt cum animabus Sanctis in Cælo. Sed poſt diem judicii omnes mali, tàm homines, quàm Angeli in inferno erunt, boni verò in Cælo*. Ita S. Doctor. Quod probat hoc ratiocinio. Cùm enim Angeli ſint medii inter Deum, & homines, inferiores quidem Deo, hominibus autem ſuperiores; ad ordinem Providentiæ, quæ bonum inferiorum per ſuperiora procurat, pertinet, ut per Angelos bonum hominum procuretur: atqui dupliciter bonum hominis per divinam providentiam procuratur. Uno modo directè; *dùm ſcilicèt aliquis inducitur ad bonum, & retrahitur à malo, & hoc decenter fit per Angelos bonos. Alio modo indirectè; dùm ſcilicet aliquis exercetur impugnatus per impugnationem contrarii: & hanc procurationem boni humani conveniens fuit per malos Angelos fieri, ne totaliter poſt peccatum ab utilitate naturalis ordinis exciderent*; ergo Dæmonibus duplex locus pœnalis debetur; unus ratione ſuæ culpæ, & hiç eſt infernus; alius ratione exercitationis humanæ, & hic eſt caliginoſus aer.

XVII. Quod ſi quæras, cur inter loca pœnalia non computatur aer?

Reſpondet S. Thomas in 4. diſt. 45. q. 1. a. 3. ad 4. *quòd aer ille caliginoſus non aſſignatur Dæmonibus quaſi locus, in quo recipiant retributionem pro meritis, ſed quaſi competens officio eorum, inquantùm deputantur nobis ad exercitium. Et ideò inter receptacula*

de quibus nunc agitur, non deputatur: primò enim deputatur ignis Inferni, ut patet Matth. 15.

XVIII. Sed in contrarium obſtare videntur textus 2. *Petri* 2. quo omnes Angeli Apoſtatici dicuntur detracti in tartarum, rudentibus inferni traditi cruciandi: & textus Judæ *v. 6.* ſuperiùs relati.

Reſponderi poteſt dupliciter. Primò, omnes quidem Angelos ſtatim poſt peccatum dejectos fuiſſe in infernum, poſtea tamen, ſicut Deus permiſit, ut eorum princeps ex illo carcere egreſſus, noſtros Protoparentes ad peccatum ſuaſione ſua provocaret: ita & poſt eorum peccatum permittere, ut nonnulli exeant, & ad ominum exercitationem in hoc aere maneant. Secundò reſponderi poteſt cum D. Thoma 1. *p. q.* 64. *a.* 4. citato. Omnes quidem fuiſſe infernali carceri deſtinatos: at non omnes de facto incluſos, ſed aliquibus illuc detruſis, alios fuiſſe in hoc aere detentos ad homines exercendos, donec, conſummato univerſali judicio, omnes de facto in infernum dejecti, cum damnatis hominibus æterno igne crucientur. Et in hoc ſenſu dicuntur à Petro, & Juda in judicium magni diei reſervati. Utraque reſponſio conſonat Scripturæ, & Sancto Hieronymo, ac Auguſt. ſupra laudatis.

XIX. Sed dices. Peccatum hominis non eſt gravius, quàm peccatum Dæmonis: ſed omnes homines poſt mortem impœnitentes, ſtatim in inferno cruciantur, ibique immobiliter detinentur; ergo & Dæmones.

Reſpondet citato loco *ad* 2. D. Thomas, unam animam ordine naturæ non præferri alteri animæ, nec eſſe illâ ſuperiorem, ſicut Dæmones naturâ ſuperiores ſunt hominibus: ut ordo providentiæ petat, quòd bonum unius animæ per aliam procuretur, ſicut bonum hominis convenit procurari per Dæmones. Horum tamen peccatum non mitiùs punitur, quia licèt in aere detenti, ignis tamen pœnam, ut dicemus, patiuntur.

XX. Quæres igitur. An Dæmones, ſive qui in inferno detinentur, ſive qui in aere verſantur, torqueantur utrâque pœnâ, tùm damni, nempè carentiâ viſionis Dei, tùm ſenſus, nempè infernali igne?

Reſpondeo cum D. Thoma *q.* 64. *a.* 4. relato *ad* 3. tres de hoc fuiſſe opiniones. Primam eorum, qui dixerunt, uſque ad diem judicii differri pœnam ſenſibilem, tàm Dæmonum, quàm animarum; & ſimiliter beatitudinem Sanctorum differri uſque ad diem judicii. In hanc propendit Juſtinus *Apolog.* 1. & apertè Tertullianus in *Apologetico c.* 27. & in eam trahere conantur quidam S. Bernardum Serm. de tranſitu S. Malachiæ dicentem: *Definita quidem, ſed nondum promulgata ſententia eſt. Denique jam Diabolo ignis paratus eſt, ſed nondum præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore ſinitur malignari.* Cui opinioni ſubſcripſere quotquot ex Veteribus, vel plerique ſaltem, quos ſuperiùs *Tom.* 2. *Tract. de viſione Q.* 2. *Dub.* 3. §. 1. retulimus pro opinione aſſerente SS. animarum beatitudinem ad conſummatum univerſale judicium eſſe differendam. Sed hoc *eſt erroneum*, inquit D. Tho. laudato loco, *& repugnans Apoſtoli ſententiæ* 2. *Cor.* 5. ſi Terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, domum habemus in Cœlo.

XXI. Relatâ deinde opinione aliorum, qui eſto non admitterent, pœnam animarum eſſe differendam, hoc tamen admittebant de pœna Dæmonum; quam eſto nullâ cenſurâ feriat S. Thomas, eâ tamen relictâ, ſuam affert opinionem dicens.

Sed meliùs eſt dicendum, quòd idem judicium ſit de malis animabus, & malis Angelis, ſicut idem judicium eſt de bonis animabus, & bonis Angelis. Unde dicendum eſt, quod ſicut locus Cœleſtis pertinet ad gloriam Angelorum; tamen gloria eorum non minuitur, cùm ad nos veniunt; quia conſiderant, illum locum eſſe ſuum, eo modo quo dicimus, honorem Epiſcopi non minui, dùm actu non

ſedet

Digitized by Google

ſedet in Cathedra : ſimiliter dicendum eſt , quòd licèt Dæmones non actu alligentur gebennali igni , dùm ſunt in aere iſtò caliginoſo : tamen ex boc ipſo , quòd ſciunt , illam alligationem ſibi deberi , eorum pœna non diminuitur . Unde dicitur in quadam gloſſa Jacobi 3. . . . . *quòd portant ſecum ignem gebennæ quòcumque vadant ,*

XXII. Propterea benè diſtinguit Sylvius (*ad præfati art.* 4. *argumentum* 3.) triplicem eſſe Diaboli damnationem . Prima eſt, quâ de Cœlo propter ſuperbiam eſt dejectus , & in ignem infernalem miſſus . Secunda , quâ de hominibus per Chriſtum ſic eſt ejectus , ut non ampliùs , ſicut priùs , illis pro libito dominetur , quò tendunt verba Chriſti Joann. 12. v. 31. *Nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras* . Tertia , quâ coram toto mundo eſt judicandus , ac etiam à Sanctis , à quibus , & homines impii judicabuntur , juxta Pauli dictum 1. Cor. 6. v. 3. *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus ?* quo fiet , ut manifeſtatâ eorum nequitiâ , ſic à piis hominibus ſeparentur , ut nullam deinceps eis nocendi poteſtatem habeant .

XXIII. Prima ergo damnatio in eis impleta eſt . Nam è Cœlo ſtatim poſt peccatum ejecti , & igni traditi in pœnam fuere . Et quamvis paulò poſt ex loco infernali ad terras aſcendere in hominum exercitium permiſſi ſint , pœnam tamen ſuam ſecum portant . Quare etſi Chriſtus Matth. 25. *v.* 41. dicat , ignem inferni eſſe paratum Diabolo , & Angelis ejus : non tamen negat , quin modò pœnam aliquam ab illo igne patiantur ; ſed ſolùm affirmat , tunc ſic eſſe igni in inferno eos alligandos , ut in æternum non ſit permittendum illis egredi ab eo pœnarum loco . Secundam damnationem nondùm penitus acceperunt : ligati enim ſunt , ne ſeducant ampliùs gentes , ut olim , ſed iterum ſolvendi , ut ait Joann. *Apoc.* 20. *v.* 2. *&* 3. Multò minùs tertiam damnationem acceperunt , ſed hæc ad diem extremum reſervata eſt . Etenim (ait D. Thom. in 4. diſt. 47. q. 1. a. 3. quæſtiuncula 4. ad 2.) *Ipſi Dæmones cunctis videntibus tunc præcipitabuntur , quia in perpetuum in inferni carcerem retrudentur , ut non ſit eis liberum extra progredi ; quia boc eis non concedebatur , niſi ſecundùm quòd ordinabatur ex divina providentia ad bominum vitam exercendam .*

XXIV. Ad primam autem opinionem dici poteſt , vel Patres illos fuiſſe in ea ſententia , quæ primis Eccleſiæ ſeculis ſatis frequens erat . Vel dicendo , Dæmones nondum pati pœnam ignis , intellexiſſe de pœna ſumta quoad locum , in quo ſævit ejuſmodi pœna : neque enim , ut dictum eſt , omnes Dæmones modò tartaro concluduntur . Eodem modo exponendus eſt S. Bernardus, non enim vult, nullum ex Dæmonibus nunc in inferno pœnam ignis luere , ſed eos tantùm in iſto aere eam pati , quanti ad homines exercendos , Deo ſic permittente , neceſſarii ſunt : unde ſubdit Diabolus *terit electos ad eorum utilitatem , reprobos conterit in eorum damnationem .*

XXV. Ad ſecundam autem opinionem , ſcilicet eorum , qui cenſuerunt , pœnam Dæmonum , eſto non animarum , adhuc differri , dicendum eſt , eam differri quoad locum ; quia eſto omnes igne crucientur , non tamen omnes in inferno : vel differri quantum ad privationem tentandi homines , quæ privatio maxima illis pœna futura eſt . Unde D. Thomas 1. *p. q.* 64. *a.* 4. *ad* 3. dicit quòd Dæmones dùm *Luca* 8. rogaverunt Chriſtum , ne mitterentur in abyſſum , id non petierunt , quaſi ab igne jam non torquerentur ; ſed quia , cùm erunt in abyſſo concluſi , non poterunt ampliùs hominibus nocere : *boc petierunt* (inquit) *reputantes ſibi pœnam , ſi excluderentur à loco , in quo poſſunt hominibus nocere . Unde Matth.* 8. *dicitur* , *quòd deprecabantur eum , ne expelleret eos extra regionem* . Vel etiam , quia ,

quando hic ſunt cum hominibus, extorquent ab eis aliquem cultum, quem in gehenna non habebunt: *Quia perditionem ſuam hanc ipſam dicebant, quâ fiebat, ut cogneti ſpernerentur*. Ita S. Auguſtinus *lib. 8. de Civit. Dei cap. 23.*

§. III.

Quænam ſit ratio proximè fundans Angeli præſentiam in loco connaturali.

XXVI. Alia eſt ratio formalis conſtituens Angelum formaliter præſentem loco, & ubicatum; alia eſt ratio proximè fundans talem præſentiam, ſeu ubicationem: ſicut inter duo ſimilia; alia eſt ratio conſtituens ea formaliter ſimilia, & hæc eſt relatio ſimilitudinis; alia eſt ratio proximè fundans hanc ſimilitudinem, & hæc eſt forma in qua conveniunt, puta albedo. Hic ergo non quærimus de ratione formali, quâ Angelus formaliter in loco eſt: nam hanc ſupponimus eſſe ipſam præſentiam, quâ hìc potiùs eſt, quàm alibi; ſed loquimur de ratione proximè fundante talem præſentiam.

XXVII. Angelus ad duplicem locum comparari poteſt; unum ſibi connaturalem, ad quem ſua voluntate liberè ſe applicat; alterum ſibi violentum, in quo non ſe liberè collocat, ſed contra ſuam voluntatem collocatur; cuique, Deo ſic volente, quodammodo ſubjicitur, & alligatur. Sic ignis gehennalis eſt locus violentus Dæmonibus, & deſertum ſuperioris Ægypti, in quo apprehenſum Dæmonium religavit Angelus Raphael, ut habetur *Tobiæ* 8. *v.* 3. fuit illi locus violentus. Quærimus ergo in præſenti §. quænam ſit ratio proximè fundans Angeli præſentiam in loco naturali: de loco violento inferiùs quæremus.

XXVIII. Suppono, ſubſtantiam Angeli verè eſſe in loco, *ut quod* in loco eſt, ſed quæram, quô ſubſtantia Angeli ſit in loco, ſeu quid ſit illud, quod proximè fundat Angelicæ ſubſtantiæ præſentiam in loco: ſicut cùm quæritur per quid ſubſtantia corporea ſit in loco, ſupponitur ſubſtantiam corpoream eſſe in loco, ſed ſolùm quæritur, quænam ſit ratio fundans proximè ejus præſentiam in illo.

XXIX. Scotus, & ejus Schola docet, rationem proximè fundantem Angeli præſentiam in loco eſſe ipſam Angeli ſubſtantiam præcisè, & ex vi ſuæ lineæ. Vazquez pro fundamento talis præſentiæ aſſignat modum aliquem unionis liberâ Angeli voluntate productum, quo antequam quidquam in loco corporeo operetur, ei unitur. Mitto ſententiam P. Suaris volentis Angelum eſſe in loco per aliquod ubi, ſeu modum præſentiæ ejus ſubſtantiæ ſuperadditum; quia ut dixi hoc non negamus, ſed quærimus, quænam ſit ratio proximè fundans hujuſmodi præſentiam.

XXX. Univerſa D. Thomæ Schola cum ſuo Angelico Doctore tenet, Angelum conſtitui in loco per applicationem ſuæ virtutis loco. Ita 1. *p. q.* 52. *art.* 1. diſſident ſolùm in explicando, quid intellexerit S. Doctor per applicationem virtutis: an ſcilicet ipſam formalem operationem, quâ aliquid in corpore agit; an verò aliquid prævium ad operationem. Quid ſentiamus expendemus.

XXXI. Dico primò. Ratio proximè fundans localem præſentiam Angeli non eſt ejus ſubſtantia præcisè, & ex ſua linea ſubſtantiali.

Prob. illa eſt ratio formalis proximè fundans localem præſentiam Angeli, quo poſito, nullo alio accedente reſultat formalis præſentia ejus in loco: ſed poſitâ ſubſtantiâ Angeli, nullo alio accedente, non reſultat præſentia localis in Angelo; ergo &c. Maior videtur certa. Minor probatur. Poſitâ ſubſtantiâ Angeli præcisè, nullo alio accedente, non habetur, unde reſultet relatio ad hunc potiùs locum, quàm

quàm ad alium; quia ſubſtantia Angeli ex ſe indifferens eſt ad omnia loca, & non magis ad unum locum determinata, quàm ad alium; ergo eâ poſitâ &c. Sicut quia corpus non eſt magis determinatum, ut referatur relatione ſimilitudinis ad album, quàm ad nigrum; eo præciſè poſito, niſi ponatur in eo albedo, non referetur relatione ſimilitudinis potiùs ad album, quàm ad nigrum.

XXXII. Confirmatur. Ea eſt Angelo ratio proxima exiſtendi in loco, quâ fit, ut modò majorem occupet locum, modò minorem: ſed niſi ſubſtantiæ, addatur aliquid, quo diviſibiliter poſſit occupare locum, cùm ipſa in ſe ſit indiviſibilis, occupabit ſemper æqualem locum, nec modò majorem, modò minorem: quia enim ratio proximè fundans localem præſentiam in corporibus eſt quantitas dimenſiva, niſi quantitas dimenſiva augeatur, vel minuatur, ſemper æqualem, & non modò majorem locum occupabit.

XXXIII. Reſpondet Fraſſen cum Scotiſtis neg. min. quia eſto ſubſtantia Angeli ſit ratio proxima exiſtendi in loco, non eſt tamen, niſi ut applicata per voluntatem, ſive Dei, ſive ipſius Angeli ad talem locum; & ſic fundare poteſt præſentiam, modò majorem, modò minorem,

XXXIV. Sed contra primò. Ergo jam ſubſtantia Angeli non erit per ſe ratio proxima, & immediata exiſtendi in loco, ſed ut applicata ad majorem, vel minorem locum; ergo hæc applicatio erit ratio proxima. & ſic nihil, vel parum à nobis different, qui dicemus ſubſtantiam Angeli eſſe in loco connaturali per applicationem ſuæ virtutis ad locum.

Secundò. Hujuſmodi applicatio ſubſtantiæ Angeli tanto, vel tanto loco facit illam contingere, ſeu eſſe indiſtantem tanto, vel tanto loco, non autem majori, vel minori: ſed ratio, quæ reddit ſubſtantiam præſentem, & tangentem locum eſt ratio proxima exiſtendi in loco, ut in ſubſtantia corporea explicabitur; ergo &c.

Tertiò. Adverſarii dùm dicunt, quòd applicatio ſubſtantiæ per actum voluntatis eſt illi cauſa exiſtendi modò in majori, modò in minori loco, vel volunt, quòd talis applicatio &c. ſit ei ratio formalis exiſtendi modò in majori, modò in minori loco; vel ſolùm cauſa efficiens, aut pura conditio. Si primum; ut dicebam, nobiſcum conveniunt: hæc enim applicatio non aliud eſt, quàm explicatio virtutis angelicæ ad tantum locum, & non ultra. Si verò dicant ſecundum, aut tertium. Contra eſt, quia invariatâ manente ratione formali, quamvis varietur cauſa efficiens, ſeu conditio, effectus formalis diverſus haberi non poteſt. Quamvis enim libera applicatio noſtræ voluntatis ſit cauſa efficiens, vel conditio cur potius in iſto loco, quàm in alio exiſtamus; niſi tamen intrinſecè varietur noſtra quantitas, nunquam fiet, ut mediante illâ occupemus modò majorem, modò minorem locum.

XXXV. Probatur ſecundò. Quamvis ſubſtantia Petri ſit in loco, non tamen ſubſtantia Petri eſt immediata ratio fundans exiſtentiam ejus in loco, ſed quantitas Petri contingens locum; ergo & multò magis ſubſtantia Angeli incorporea non erit propria ratio immediatè fundans ejus exiſtentiam in loco, quamvis ipſa ſit, quæ eſt in loco. Conſeq. probatur. Nam ſi ſubſtantia corporea, cui convenit propriè eſſe in loco, non eſt immediata ratio fundans exiſtentiam in loco; ergo multò minus ſubſtantia incorporea, quæ per proportionem ad ſubſtantiam corpoream, eſt per ſeipſam in loco, ſed per aliquid aliud, quod reſpectu ſui proportionabiliter ſe habeat ad quantitatem reſpectu corporis, & ſit veluti quantitas virtualis, quâ virtuoſè contingat locum, ſicut illa contingit dimenſivè.

XXXVI. Reſpondet Fraſſen primò negando conſequ. Etſi enim contactus

rea-

Digitized by Google

realis, & phyſicus neceſſarius ſit, ut corpora formaliter ſint in loco, quia in loco ſunt per commenſurationem ad ipſum; non tamen in ſubſtantia ſpirituali. Cùm enim modo prorſus inviſibili ſit in loco, non requirit contactum aliquem, aut certè non alium, quàm ſuæ ſubſtantiæ realem præſentiam, quâ ſit præſens, & tangit locum, ſicut corpus ſit preſens, & tangit per quantitatem.

XXXVII. Sed contra. Quamvis ut ſubſtantia ſpiritualis ſit in hoc loco præſens, non requiratur contactus commenſurativus partis ad partem, & totius ad totum, ut in corporibus; requiritur tamen aliquid, quod fundet præſentiam, & indiſtantiam ab hoc loco potiùs, quàm ab alio, ut ſit conſtituta in tanto loco, & non majori: dicere enim, hoc haberi per realem præſentiam, & indiſtantiam eſt petere principium. Nam nos hìc quærimus, unde oriatur hæc realis præſentia potiùs huic, quàm alteri, potiùs magno, quàm parvo loco. At hoc ex ipſa ſubſtantiæ ratione ſui non poteſt haberi, ut oſtendimus; ergo ex aliquo ſupperaddito peti debet; & ſicut in ſubſtantia corporea petitur à quantitate, ejuſque extenſione ad locum, ſic in ſubſtantia ſpirituali debet ab alio proportionaliter peti, quod ſit ratio proxima, quare præſentiam habeat localem.

XXXVIII. Nec valet dicere (quę eſt reſponſio aliorum ab eodem Fraſſen indicata) falſum eſſe ant. Nam etiam ſubſtantia corporea ſe ipsâ habet vim immediatè tangendi locum; ſed ab hoc impediri à quantitate, quâ afficitur, quâ ſi ſpoliaretur, locum ratione ſui immediatè contingeret.

XXXIX. Nam contra eſt. Quomodo enim ſubſtantia poteſt radicare proprietatem, quâ impediatur ne præſtet immediatè effectum formalem, quem ſe ipsâ immediatè præſtare poſſet? cùm proprietates ſint virtutes ſubſtantiæ datæ illi, ut immediatè ſe ſe explicet in actiones, quas radicaliter ſolùm præcontinet? quis dicet, intellectum impedire, ne ſubſtantia per ſe ipſam intelligat; colorem impedire ne ſubſtantia per ſe ipſam videatur? Quid autem dicendum eſſet ſi ſubſtantia corporea quantitate ſpoliaretur, an eſſet in loco? inferiùs videbitur.

XL. Dico ſecundò. Subſtantia Angeli proximè conſtituitur in loco per applicationem ſuæ virtutis huic potiùs, quàm alteri loco. Ita S. Thomas tùm hac 1. p. qu. 52. art. 1. dicens. *Per applicationem igitur virtutis Angelicæ ad aliquem locum qualitercumque dicitur Angelus eſſe in loco corporeo.* Idem repetit art. 2. ubi ex quo virtus angelica ſit finita, arguit Angelum non poſſe eſſe ubique, ſicut eſt Deus. *Unde* (inquit) *cùm Angelus ſit in loco per operationem virtutis ſuæ ad locum, ſequitur, quòd non ſit ubique, nec in pluribus locis, ſed in uno loco tantùm.* Hoc docuit etiam in 1. *ſent. diſt.* 37. *qu.* 3. *art.* 1. Cujus ratione ſic prob. Quod aliquid determinetur ad locum aliquem, hoc non eſt, niſi in quantùm applicatur ad locum illum, & non ad alium. Hæc autem applicatio, vel intelligitur ſecundùm ſitum, aut contactum, vel ſecundùm formam, aut ſecundùm operationem aliquam. Atqui applicatio ſubſtantiæ Angeli non poteſt eſſe ſecundùm formam, ſicut anima applicatur, eſtque in corpore, cùm non ſit actus corporis, ut oſtenſum eſt: nec ſecundùm determinatum ſitum, ſicut eſt punctus in linea, quam determinat, quia eſſentia Angeli omnino à ſitu abſoluta eſt. Relinquetur ergo quòd ſit in loco ſecundùm contactum. Contactus autem dicitur dupliciter, propriè, & metaphoricè. Tangere propriè eſt habere ultima ſimul; quo pacto corpus eſt in loco quatenus ultima, nempè ſuperficies corporis locati, & loci ſimul ſunt: & iſte contactus non poteſt Angelo convenire. Tangere verò metaphoricè eſt actione contingere paſſum: & iſte tactus poteſt Angelo convenire; ergo Angelus determinari aut definiri non

poteſt

Digitized by Google

poteſt ad locum, niſi per actionem, & operationem.

XLI. Hoc magis explicatur diſcurſu ejuſdem S. Doct. hâc *q. 52. a. 1.* Angelus enim in loco eſt eo proportionali modo, quo corpus, quamvis ſecundùm diverſitatem. Sed corpus eſt in loco per contactum dimenſivæ quantitatis; ergo Angelus erit in loco per contactum, & applicationem ſuæ virtutis. Hinc patet duplex diverſitas inter modum, quo corpus, & Angelus in loco ſunt. Nam corpus eſt in loco per commenſurationem ſui cum loco ratione quantitatis dimenſivæ. Angelus verò non. Secundò. Corpus eſt in loco ut contentum à loco: Angelus verò potiùs ut continens locum. *Nam ſubſtantia incorporea ſuâ virtute contingens rem corpoream continet ipſam, & non continetur ab ea. Anima enim eſt in corpore, ut continens, & non ut contenta. Et ſimiliter Angelus dicitur eſſe in loco corporeo, non ut contentum, ſed ut continens aliquo modo.* Ita Divus Thomas.

XLII. Dico tertiò. Applicatio virtutis, quâ ſecundùm D. Tho. Angelus immediatè, & proximè collocatur in loco, non eſt applicatio prævia, & quaſi præparativa ad operandum, ſed applicatio formalis, & in actu ſecundo per actualem operationem: operationem, inquam, non tantùm inferentem motum, ſeu mutationem aliquam realem in corpore, ſed quemlibet contactum actualem virtutis angelicæ, qui ſe habeat per modum operationis, & per modum actus ſecundi, puta præſidentiæ, cuſtodiæ, defenſionis, continentiæ, detentionis; puta ſi Angelus detineret lapidem in ſublimi, eſſet in lapide, eſto nullam in lapidem mutationem efficeret.

Aſſertio hæc ſic explicata non ſolùm ex parte ſaltem conciliat varias diſcipulorum D. Thomæ expoſitiones, quorum aliqui, ut Bannez, Cajetanus, Nazarius, dicunt Angelum eſſe in loco per puram applicationem virtutis, quamvis non ſequatur operatio. Alii ut Capreolus, & Recentiores communiter nomine applicationis virtutis intelligunt formalem operationem virtualiter in effectum tranſeuntem. Verùm aſſequi videtur veram, ac genuinam S. Doctoris mentem quia ubi hìc *q. 52. a. 2.* dicit Angelum eſſe in loco per applicationem ſuæ virtutis: & in *1. diſt. 37. q. 3. a. 1. dixerat*, quòd *qualibet ſubſtantia incorporea non poteſt eſſe in corpore, vel in loco niſi per operationem, quâ effectum aliquem in eo cauſat.* Explicans poſtea, quid debeat operari Angelus, ut ejus virtus ſit applicata, & eum in loco conſtituat, ſubdit, *vel motum, vel lumen, vel aliud hujuſmodi.* & hâc q. 52. a. 1. ait: *Per applicationem igitur virtutis Angelicæ ad aliquem locum qualitercumque dicitur Angelus eſſe in loco corporeo*: ſed clariùs Quolib. 1. a. 4. ubi poſtquam determinavit Angelum eſſe in loco per contactum virtutis, ſubjungit: *ſi quis autem velit virtutis contactum operationem vocare, propter hoc, quòd operari eſt proprius effectus virtutis, dicatur, quòd Angelus eſt in loco per operationem; ita tamen, quòd per operationem non intelligatur ſola motio, ſed quæcumque unitio, quâ ſua virtute ſe corpori unit, præſidendo, vel continendo, vel quocumque alio modo.*

XLIII. Quod verò non ſufficiat applicatio prævia ad operationem, probo. Nam ad rationem formalem proximam exiſtendi Angelo in loco requiritur actualis contactus virtutis; ſed præviè ad operationem, poſitâ applicatione virtutis, adhuc accedente imperio voluntatis, nondum verificatur, quòd Angelus contingat ſuâ virtute locum, ſed ſolùm ſit præparatus, & dicat ordinem ad locum; ergo per applicationem virtutis præviam ad operationem non habetur ratio proximè fundans exiſtentiam Angeli in loco, niſi ad ſummum inchoativè. Quare ſi poſitâ applicatione virtutis angelicæ per imperium practicum ad operandum in tali loco, ope-

operatio, vel à Deo, vel alio modo impediretur; Angelus diceretur quidem initiativè eſſe in illo loco, non tamen formaliter, quia actu locum illum non tangeret: ſicut ſi accedente corpore in hoc cubiculum, Deus ſuſpenderet extenſionem ejus, & contactum dimenſivum ejus ad partes hujus cubiculi, eſſet quidem in hoc cubiculo initiativè, ſed non formaliter; quia contactu quantitativo actu illud non tangeret: & eadem ratione corpus Chriſti eſto cum ſua quantitate ſit in Euchariſtia, non tamen eſt in ea, ut in loco; quia ut docet D. Tho. 3. p. q. 76. a. 5. non eſt in ea modo localiter extenſo.

XLIV. Confirmatur. Quidquid eſt in virtute angelica etiam ut applicatâ prævię ad operationem, totum eſt immanens, nempè imperium intellectus, & motio voluntatis ad operandum in eo loco; ergo nondum habetur actualis contactus loci, & indiſtantia localis: actus enim, ſeu operatio intellectus, & voluntatis benè compatitur cum abſentia rei intellectæ, & volitæ, quia actus harum potentiarum, cùm poſſint ferri etiam ad res abſentes, requirunt ſolam præſentiam intentionalem, & non phyſicam; & quamvis intellectio verſetur circa rem præſentem, ut quando eſt intuitiva; tamen adhuc non ponit in re viſa niſi extrinſecam denominationem viſi, quæ non facit videntem eſſe rei viſæ præſentem, ſed præſentem ſupponit; ergo ad conjunctionem localem, & contactum virtualem requiritur, ut à virtute ſic applicatâ exeat aliqua operatio tranſiens ad corpus, quâ in eo aliquid agat, vel motum, vel cuſtodiam, vel præſidentiam, vel quoquomodo illud contineat.

*** ✠ ***

§. IV.

Rationes Scoti contra præfatas aſſertiones.

XLV. Primò arguit pro Scoto Fraſſenius ex omnibus illis Scripturæ locis, quibus Angeli dicuntur priùs acceſſiſſe ad loca, quàm in eis quidpiam fuerint operati. Sic *Luca 1. v. 28.* de Angelo Gabriele ad Mariam miſſo dicitur, *& ingreſſus ad eam dixit*: priùs ergo ingreditur, & ſit præſens, quàm loquatur. Matth. 4. v. 3. *& accedens tentator dixit ei*, & v. 11. *& ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei*: priùs diabolus acceſſit, quàm tentaret Chriſtum: priùs angeli acceſſerunt, quàm miniſtrarent; ergò priùs per ſubſtantiam fiunt præſentes, quàm operentur.

XLVI. Reſpondeo diſt. ant. priùs noſtro captui ſe accomodando, conc. ant. priùs reverâ, nego ant. Cùm enim Scriptura adventum Angelorum ad loca exponat ad modum noſtrum, nempè ad modum corporum, in quibus priùs eſt accedere ad locum, quàm ibi operari; ideò ſic etiam exhibet Angelos. Cæterùm ſicut Angeli in ſe incorporei, quamvis ſub forma corporea exhibeantur, non arguit Fraſſen, eos in ſe eſſe corpora: ita quamvis exhibeantur priùs accedentes ad locum, quàm operantes, non debet arguere, eos reverà priùs ad locum accedere quàm in eo operari.

XLVII. Dices primò. Corpus ut operetur in loco debet priùs eſſe in illo; cur ergo non Angelus qui finitus eſt, & egens ſubjecto? = Secundò. Priùs eſt eſſe, quàm operari; ergo priùs eſt eſſe in loco, quàm operari in loco: ſicut enim ſe habet eſſe ſimpliciter ad operari ſimpliciter; ita eſſe hìc ſe habet ad operari hìc; ergo ſicut operari ſimpliciter ſupponit eſſe ſimpliciter: ita operari hìc, ſupponit neceſſariò eſſe hìc.

XLVIII. Ad primum reſpondeo pri-

primò diſt. conſeq. non Angelus per ſuam ſubſtantiam, nego; per ſuæ virtutis applicationem, tranſeat conſequens. In opinione enim aliquorum Thomiſtarum etiam applicatio ad locum præcedit operationem, ut vidimus: ſed hæc eſt applicatio virtutis angelicæ, non applicatio ſubſtantiæ antevertens omnem applicationem virtutis, ut vult Scotus.

XLIX. Reſpondeo ſecundò, negando conſequentiam, ob diſcrimen inter modum operandi corporis, & ſpiritus. Corpus enim agit per virtutem fundatam in quantitate molis, quæ eſt prior operatione, & quâ corpus unitur loco; & ideò cum agens debeat conjungi paſſo, & in corpore hæc conjunctio habeatur per quantitatem, quæ præcedit operationem, debet corpus priùs eſſe applicatum loco, deinde operari in eo: cæterùm ſi quantitas ſicut eſt tactiva, ita eſſet operativa, non egeret, ut corpus priùs applicaretur, ſed operatio ipſa eſſet corporis applicatio. Cùm ergo Angelus, utpote purus ſpiritus, aliam quantitatem non habeat quàm virtutis, quæ ſimul eſt operativa, & applicativa, non dependens, aut contenta, ſed continens, ac ſibi ſubjiciens locum, in quem agit; idem in ea eſt conjungi loco, ac operari in illo: quemadmodum in anima rationali idem eſt informare corpus, ac illi uniri, applicari, conjungi. Quòd verò virtus angelica finita ſit, nec creativa, arguit quidem, eam indigere ſubjecto, in quod agat; non tamen quòd priùs debeat conjungi ſubjecto, quàm in eo operetur.

L. Ad ſecundam, nego conſequentiam, & ejus probationem. Ut enim ait D. Thomas *quolib. 1. a. 4.* (ubi hanc inſtantiam ſibi proponit primo loco) *Nihil prohibet, aliquid eſſe prius ſimpliciter, quod non eſt prius quantùm ad hoc: ſicut ſubjectum eſt ſimpliciter prius ſuperficie: ſed non quantùm ad hoc, quod eſt colorari: & ſimiliter prius ſimpliciter eſt corpus, quàm tactus: tamen ipſum eſt in loco per tactum dimenſivæ quantitatis, & ſimiliter Angelus per contactum virtutis.* Ita S. Thom.

Sicut ergo priùs eſt eſſe corpus, quàm eſſe extenſum, non tamen priùs eſt corpus eſſe in loco, quàm eſſe extenſum in loco; ſicut corpus eſſe priùs eſt ſuperficie, non tamen corpus eſſe coloratum ſuperficie priùs eſt; ſicut priùs eſt corpus eſſe, quàm tangere, non tamen priùs eſt corpus eſſe in loco, quàm tangere locum, quia ſuperficies eſt fundamentum, quare corpus ſit coloratum, extenſio in loco, & contactus loci eſt ratio fundans localem præſentiam corporis: ita quamvis in Angelo priùs ſit eſſe ſimpliciter, quàm operari, non tamen priùs erit eſſe in loco, quàm operari in loco; quia operatio eſt ratio proximè fundans localem Angeli præſentiam, ſeu eſt ratio, cur Angelus ſit in loco, eſto non ſit ratio cur Angelus abſolutè ſit. Quare variatur *quid in ad aliquid*, ſeu mutatur appellatio: & ideò conſequentia Scoti committit fallaciam.

LI. Secundò arguit. Ad veram, & adæquatam rationem præſentiæ angelicæ requiritur, quòd tota Angeli ſubſtantia ſit hìc, & non alibi: at etiamſi nihil hìc operetur, hoc verum eſſe poteſt; ergo &c. Min. prob. tùm quia dùm Angelus applicat ſuam virtutem ad locum, poteſt ejus operatio impediri à Deo, vel ab eo aliò evocari, vel prohiberi, ut contigit illis Angelis, quibus *Apocalypſ. 7. v. 3.* dictum eſt: *Nolite nocere terra, & mari &c.* vel per denegationem divini concurſus: at in his caſibus Angelus verè eſſet in eo loco, eſto ibi non operaretur; ergo &c.

Tùm quia: ſi ſublatâ operatione Angelus ibi non eſſet; ergo nullibi eſſet, qui eſt articulus tertius damnatus ab Univerſitate Pariſienſi ſub Stephano Epiſcopo, ut ſuperiùs dictum eſt, nempè, *Quòd ſubſtantia ſeparata nuſquam ſunt per ſubſtantiam.* Et quar-

ta, *quòd alicubi tantùm ſunt per operationem.*

LII. Reſpondeo, diſt. maj. ſit hîc, & non ſit alibi poſitivè tangens locum, conc. maj. aliter, nego majorem. Ut ergo ſubſtantia Angeli ſit ratio proximè fundans præſentiam localem, non ſat eſt ſola ſubſtantia, ſed debet eſſe ſubſtantia, ut tangens locum: ſicut ut ſubſtantia corporea fundet proximè præſentiam localem, non ſibi ſufficiunt ea, quæ habet de linea ſubſtantiæ, ſed requiritur, ut tangat, & extendatur quantitativè in loco. Cùm ergo contactus, quo Angelus tangit locum, non ſit quantitativus, ſed virtutis, & iſte habeatur per operationem, quâ loco unitur; ideò, hac deficiente, eſſet quidem ibi ſubſtantia, ſed non ut locata. Sicut ſi ab aqua exiſtente in vaſe, Deo ſic diſponente, auferretur quantitas, & extenſio, illa aqua eſſet in vaſe negativè, quia non eſſet extra vas, ſed non eſset ampliùs in illo vaſe, ſicut locatum poſitivè in loco; quia deeſset illi ratio proximè fundans præſentiam localem.

LIII. Hinc ad primam minoris probat. in opinione Thomiſtarum volentium, Angelum proximè conſtitui localiter præſentem per applicationem virtutis præviè ad operationem, dici poteſt, quòd ſi, dùm Angelus eſt practicè ſua virtute applicatus uni loco, Deus uno ex dictis modis impediret actualem ejus operationem in illo loco, adhuc ibi eſſet, non ratione ſuæ ſubſtantiæ, ſed ratione ſuæ virtutis ibi potiùs, quàm alibi applicatæ: ſicut plures applicati ad trahendam navem, etſi impedirentur ab extrinſeco, ne illam de facto traherent, adhuc illi navi conjungerentur. In ſententia, verò, quam ut probabiliorem amplexi ſumus, nempè quòd ratio proximè fundans localem Angeli præſentiam non ſit applicatio pura virtutis præviè ad operationem, ſed ut operationi conjuncta, dico, quòd vel Angelus impediretur ab omni operatione circa illum locum, ideſt tam ab operatione cauſante motum, quàm ab actuali præſidentia, vel continentia illius loci; vel ſolùm impediretur ab operatione cauſante motum, vel producente effectum in illo corpore. Si hoc ſecundum dicat arguens, adhuc Angelus eſſet in illo loco vi illius actionis, cui quomodocumque ſua virtus conjungeretur. Si verò dicat primum reſpondeo cum D. Thoma in 1. diſt. 37. q. 3. a. 1. ad 4. quod *hoc non reputo inconveniens, quòd Angelus ſine loco poſſit eſſe, & non in loco: quando nullam operationem circa locum habet. Nec eſt inconveniens, ut tunc nuſquam, vel in nullo loco eſſe dicatur, ſicut etiam non eſt inconveniens, quòd nullo colore coloratus dicatur. Sed hoc tamen non eſt imaginabile, quia imaginatio continuum non tranſcendit.* Hæc D. Tho. Quæ, ſi quis conſideret, Angelum eſſe purum ſpiritum independentem ab omni corpore, nedùm ut à ſubjecto ſuſtentante, ſed etiam ut locante, & circumſcribente, facilè percipiet. In caſu autem propoſito, eſto Angelus in illo loco completè, & formaliter non eſſet, eſſet tamen ſaltem initiativè, quia ratione virtutis ad illum applicatæ diceret ordinem ad illum locum potiùs, quàm ad alterum.

LIV. Quod ſi dicas, ſubſtantia Angeli eſt finita; ergo ex ſe debet eſſe definita ad aliquem locum.

Reſpondebit D. Thomas loco citato in corp. quòd *iſta eſt valdè rudis probatio, quia procedit ex æquivocatione finis. Cùm enim dicitur eſſentia Angeli finita, accipitur finis pro fine eſſentiæ, & virtutis, ſecundùm quòd etiam definitio terminus dicitur; & non pro fine dimenſionis. Locus autem dicitur finiens, vel finitur ſecundùm terminos quantitatis dimenſivæ: finis autem ſecundùm utramque acceptionem nullam commenſurationem, aut proportionem habet. Unde non oportet, ut quod eſt finitum in eſſentia, ad terminos loci finiatur.* Cùm ergo Angelus careat quantitate dimenſivâ, non oportet, ut ad terminos

loci

Digitized by Google

loci ex ſe definiatur. Quia tamen eſt eſſentiæ, & virtutis finitæ, ſi velit virtutem ſuam applicare ad aliquem locum, non poterit eam applicare niſi ad determinatum, & definitum locum.

LV. Ad ſecundam probat. min. Quid judicandum ſit de aſſerta Academiæ Pariſienſis damnatione jam dictum eſt *Quæſt. præced. dub.* 2. §. 3. *num.* 55. &c. ad quæ ſtudioſum remitto. Quod verò tangit materiam præſentem, puto, nec Scotum citatum à Fraſſen, nec Fraſſen ipſum, aſſecutos fuiſſe mentem Pariſienſis Academiæ in illa damnatione, ut benè notat Sylvius (ad *art.* 1. *q.* 52. *prima partis*, & in *Apologia pro S. Thoma* poſitâ *tomo* 5. qui continet ejus opuſcula) teſtemque adfert Henricum Gandavenſem, qui concluſionum illarum damnationi interfuit *quolib.* 2. *q.* 9. ſic dicentem: *Benè dicit unus articulus ab Epiſcopo damnatus, talis: quòd ſubſtantia ſeparatæ nuſquam ſint ſecundùm ſubſtantiam. error eſt, ſi intelligatur ita, quòd ſubſtantia non ſit in loco. Si autem ita, quòd ſubſtantia non ſit ratio eſſendi in loco, verum eſt quòd nuſquam ſunt ſecundùm ſubſtantiam.* Et infra. *Ut dictum eſt; ſententia Pontificalis* (ideſt Epiſcopi Pariſienſis) *dicit quòd verum eſt*, quòd *ſubſtantia ſeprata nuſquam ſunt, ſi intelligatur*, quòd *ſubſtantia ſit ratio eſſendi in loco, & hoc ideò, quia ſubſtantia ipſa non eſt ratio eſſendi ſubſtantiam Angeli in loco*, etſi *ſit in loco. In hoc enim concordabant omnes Magiſtri Theologiæ congregati ſuper hoc, quorum ego eram unus, unanimiter concedentes, quòd ſubſtantia Angeli non eſt ratio, Angelum eſſe in loco ſecundum ſubſtantiam.* Ita Henricus: cui omnino conſentit Durandus in 1. diſt 37 q. 1. ubi relatâ opinione, quam ſequitur Scotus, quòd ſcilicet eſſentia ſit Angelo ratio eſſendi in loco, & pro ea allato, Articulo Pariſienſi, ſic reſpondet: *Iſta autem opinio non eſt vera, ſicut & quidam alius articulus dicit, in quo continetur ſic*, *quòd* Angelus nuſquam eſt ſecundùm ſubſtantiam, eſt error, *ſi intelligatur quòd ſubſtantia non ſit in loco. Si autem intelligatur, quòd ſubſtantia non ſit ratio eſſendi in loco, verum eſt, quod nuſquam eſt ſecundùm ſubſtantiam, expreſsè dicit, quòd eſſentia Angeli non eſt ei ratio eſſendi in loco.* Quibus apparet, mentem Academiæ Pariſienſis in hoc eſſe contrariam opinioni Scoti, non S. Thomæ. Idem eſt ſenſus Articuli quarti damnati, nempè, quòd *Angeli alicubi ſunt per operationem.* Eo enim non damnatur opinio aſſerens ſubſtantiam Angeli eſſe in loco, aut rationem eſſendi in loco eſſe operationem, ſed damnatur, ut error, aſſerere Angelum non eſſe in loco ſecundùm ſubſtantiam, ſed tantùm ſecundùm operationem.

LVI. Porrò, quòd S. Thomas nunquam dixerit, quòd Angelus non ſit in loco ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſolùm ſecundùm operationem; ita ut ſubſtantia non ſit in loco, ſed ſola operatio, evidens eſt. Nam in loco ſæpè laudato ex 1. *diſt.* 37. *a.* 1. relatâ opinione dicentium Angeli ſubſtantiam non eſſe in loco, eam rejicit ut hæreticam his verbis: *Una opinio eſt Philoſophorum, quòd Intelligentia, vel Angeli nullo modo ſunt in loco ... hæc autem opinio hæretica eſt, quia ſecundùm fidem noſtram ponimus, Angelus immediatè circa nos operari.* Operationem autem non eſſe, id, quod eſt in loco, oſtendit ibi ad 3. dicens: *Operatio Angeli non eſt in loco ut locatum; ſed ut perfectio locati; quia operatio agentis ſemper eſt perfectio patientis, in quantùm hujuſmodi.* Jure igitur, ut ſuperiùs citato loco oſtendimus, alter Stephanus Pariſienſis Epiſcopus S. Thomam ejuſque doctrinam ab erroris notâ, quâ, occaſione articulorum à præfata Univerſitate damnatorum calumnioſè gravabatur, abſterſit: eo ſanè modo, quo Benedictus XIII. eundem S. Doctorem, ejuſque Scholam à labe Janſeniani, ac Queſnelliani dogmatis, quam ipſi prætextu propoſitionum in Bulla *Unigenitus*

T 2 pro-

proſcriptarum quidam impingebant, repetitis diplomatibus juſtiſſimè vindicavit.

LVII. Tertiò arguit variis modis. Primò. Falſum eſt, quòd ratio locandi corpora ſit quantitas; etenim quantitas panis, & vini in Eucharistia eadem permanet poſt conſecrationem, nec tamen eſt ratio, cur panis, & vinum dicantur exiſtere in loco; quia ſubſtantia utriuſque in Corpus, & Sanguinem Chriſti converſa eſt; neque eſt ratio, cur Corpus, & Sanguis Chriſti ſint in loco, quia non ſunt in loco circumſcriptivè.

Quod confirmat ſic. Adorandum Chriſti Corpus in Euchariſtia non habet quantitatem extenſam, & circumſcriptam à loco; nec minùs tamen eſt in loco definitivo; ergo quantitas ſecundùm ſe non eſt ratio, cur corpora ſint in loco.

LVIII. Secundò. Illa applicatio, ſeu contactus virtutis angelicæ ad locum non poteſt eſſe ratio, cur Angelus ſit in loco. Nam vel nominat actum primum; & ſic cùm actus primus Angeli ſit ejus ſubſtantia, vel facultas ſubſtantialis, Angelus erit in loco ratione ſuæ ſubſtantiæ. Vel nominat actum ſecundum; & hic, vel eſt immanens, & ſic nullum dicit reſpectum ad extra: Vel eſt tranſiens; & ſic cùm actio tranſiens ſit in loco commenſurativè, eſt enim in corpore ſecundùm modum corporis in quo recipitur, ponet Angelum in loco commenſurativè, & circumſcriptivè.

LIX. Tertiò. Si ipſamet virtus ſubſtantialis Angeli non eſt ipſi ratio exiſtendi in loco, neque hoc erit applicatio ejuſdem: ſicut ſi quantitas non eſſet corpori ratio exiſtendi in loco circumſcriptivè, neque id eſſet applicatio quantitatis ad locum.

LX. Quartò. Sicut applicatio virtutis calefactivæ ad calefaciendum lignum non eſt ratio calefaciendi, ſed ſolùm conditio, ſine qua non; ita à ſimili applicatio virtutis angelicæ ad locum non eſt ratio exiſtendi in loco, ſed conditio, ſine qua non cognoſceremus, Angelum eſſe præſentem huic loco potius, quàm alteri: angelica namque præſentia ſolùm per operationem nobis innoteſcit, quamquam priùs ſupponatur in loco, quam ibi operetur.

LXI. Reſpondetur ad ſingula. Ad primum dico, quòd, ſi quid probat, probat, quòd quantitas nec ſit ratio formalis, cur corpus habeat in ſe partes extenſas. Nam quantitas panis & vini in Euchariſtia eadem permanet poſt conſecrationem ac ante: ſed poſt conſecrationem non extendit amplius partes ſubſtantiæ panis, & vini, quia panis, & vini ſubſtantia ampliùs non eſt; ergo nec ante. Sicut ergo poſt conſecrationem eædem dimenſiones panis, & vini, quæ manent, ſunt ratio extenſionis partium ſubſtantiæ utriuſque, etſi ſubſtantia utriuſque per accidens non ſit: ita eædem ut extenſæ ad locum erunt ratio formalis locandi panem & vinum, quamvis panis, & vini ſubſtantia amplius non ſit; quia aptitudo ad eam, quæ eſt definitio accidentis, ſemper manet, quamvis actualis inhærentia non maneat, & proinde eſto non faciat actu exiſtere in loco ſubſtantiam, quia non eſt; ſi tamen eſſet, non per aliud exiſteret in loco, quàm per ſuæ quantitatis dimenſiones in loco extenſas.

LXII. Ad confirm. nego min. cum D. Thom. *3. p. qu. 76. art. 5.* Nam Corpus Chriſti eſto ſit in Sacramento cum ſua quantitate, non eſt tamen in eo ſecundùm modum proprium quantitatis dimenſivæ, ſcilicet per commenſurationem ſuæ quantitatis ad locum ſpecierum; & ideò non eſt ibi ſicut in loco circumſcriptivè. Neque etiam eſt ibi, ſicut in loco definitivè; aliàs ut docet D. Thom. ibi ad 1. non eſſet alibi, quàm in hoc altari, ubi conficitur hoc Sacramentum; cùm tamen ſit, & in Cœlo in propria ſpecie, & in multis aliis altaribus ſub ſpecie Sacramenti. Imò retorqueri poſſet argumentum. Dato enim, quòd Corpus

pus Chriſti eſſet in Sacramento definitivè, quia tamen ibi non eſt ſecundùm ſuæ quantitatis extenſionem, non eſt ibi ut in loco circumſcriptivè; ergo ratio eſſendi circumſcriptivè in loco eſt quantitas, ut extenſa in loco. Eo ergo modo Corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus, quo ſubſtantia panis erat ſub ſuis, dimenſionibus: ſed ſubſtantia panis non erat ſub ſuis dimenſionibus, ut locatum in loco; ergo neque ſubſtantia Corporis Chriſti, quæ ibi eſt per modum ſubſtantiæ. Ex quo alia retorſio emergit. Nam quia Corpus Chriſti ſub dimenſionibus panis, eſt ad modum, quo erat ſubſtantia, Corpus Chriſti non eſt ſub illis localiter; ergo ſubſtantia ex ſua ratione non eſt ratio eſſendi in loco. Cur autem ſubſtantia panis ratione ſuarum dimenſionum eſſet in loco, non verò ratione illarum in loco ſit Corpus Chriſti, ratio eſt; quia ſubſtantia panis comparabatur ad locum illum mediantibus dimenſionibus propriis; ſubſtantia autem Corporis Chriſti comparatur ad locum illum mediantibus dimenſionibus alienis: ita ut dimenſiones propriæ Corporis Chriſti è converſo comparentur ad locum illum ratione ſubſtantiæ, quod eſt contra rationem corporis locati, cujus ſubſtantia debet comparari ad locum ratione propriarum dimenſionum. Vide S. Thomam laudato loco.

LXIII. Ad ſecundam dico, quòd illa applicatio virtutis Angelicæ ad locum nominat actum ſecundum, non de linea eſſendi, ſed de linea operandi, nimirùm operationem circa locum illum; & hic eſt contactus virtutis. Ad id quod quærit, an ſit actio immanens, vel tranſiens, dico, quod eſt actio formaliter immanens, & ſolùm virtualiter tranſiens, nempè ratione effectus, quem in loco cauſat. Neque ſequitur, quòd ponat Angelum commenſurativè in loco. Nam eſto effectus per illam productus, quia recipitur in corpore, commenſuretur corpori; actio tamen productiva illius, quæ eſt ratio locativa Angeli, cùm reſpiciat locum, ſicut agens paſſum; nec loco ſubjiciatur, ſed ſibi ſubjiciat locum, illum tangens contactu virtutis; nec commenſuratur loco, nec propterea ponit Angelum commenſurativè in loco.

LXIV. Ad tertium dico; quòd malè ibi arguit; deberet enim argui ſic: ſi ſubſtantia Angeli non eſt illi ratio exiſtendi in loco, neque applicatio ſubſtantiæ Angeli per ea, quæ ſunt de linea ſubſtantiæ erit ratio ponendi Angelum in loco. Quòd quidem verum eſt. Sed dùm additur, virtus ſubſtantiæ, ſit tranſitus à linea ſubſtantiali eſſendi ad lineam operativam. Cùmque vis operativa in Angelo ſit vis tactiva loci: ideò ſi hæc per operationem applicetur, Angelus actu tangit locum contactu virtutis, & proximè fundat localem præſentiam: ſicut quia quantitas eſt vis commenſurativa corporis ad locum, ſi hæc per actualem extenſionem applicetur loco, fundat localem præſentiam circumſcriptivam corporis in loco.

LXV. Ad quartum nego majorem, & paritatem. Nam remotâ applicatione ignis ad lignum manet in igne virtus proximè calefactiva, & ſolùm deſideratur indiſtantia localis, quæ eſt conditio, ſine qua virtus calefactiva nequit operari in ligno. At remotâ ab Angelo virtute operativâ, & remanente ſolâ ſubſtantiâ angelica, non habetur virtus immediatè operativa & tactiva loci: unde ſicut applicatio uirtutis per operationem, non eſt pura conditio ad agendum, ſed ratio formalis agendi; ita non erit pura conditio, ſed ratio formalis tangendi locum contactu virtutis, & exiſtendi in illo. Quare per operationem præſentia Angeli non ſolùm innoteſcit, ſed reverà fundatur.

LXVI. Quartò arguitur. Angelus poteſt eſſe in loco abſque ulla operatione, ſive applicatione virtutis ſuæ, quæ ſit operatio propriè, vel impropriè; ergo non eſt in loco per operatio-

tionem. Ant. probat Fraſſen primò. Angeli creati fuerunt in Cœlo Empyreo, & tamen ibi nihil operantur. Non motum, quia Cœlum Empyreum localiter non movetur; non lumen, quia ſupponitur à Deo fuiſſe creatum cum tota ſui etiam accidentali perfectione.

Secundò. Corpus poteſt eſſe in loco abſque ulla ſui operatione, vel applicatione virtutis; ergo & Angelus. Cur enim corpus ſuâ quantitate molis poteſt eſſe in loco abſque ulla operatione, & non Angelus ſuâ quantitate virtutis? Rursùs. Si Deus poteſt unum corpus de uno ad alium locum deportare præcisè ab operatione, cur non poterit & Angelum? Cur non poterit Angelo alicubi operante, ejus operationem ſuſpendere, & facere quòd maneat ibi, ſicut prius?

LXVII. Tertiò alii urgent. Animæ Patrum ante Chriſtum in Limbum ab Angelis, ſeu in ſinum Abrahæ deportabantur, ut habetur *Lucæ 16. v. 22.* Animæ inſuper puerorum decedentium ſine baptiſmo in Limbo, ut in carcere perpetuo tenebuntur; & tamen nulla excogitabilis eſt operatio, quam ibi, ſive Patres, ſive pueri exerceant.

Quartò. Angeli Cuſtodes ordinariè præſentes ſunt iis, quos cuſtodiunt; & tamen credibile non eſt, quòd in eis aliquid ſemper operentur.

Quintò. Angelus ſemper eſt alicubi: ſed non ſemper alicubi operatur; quia non neceſſariò, ſed liberè operatur in corpora; ergo &c. Hæc, aliaque accumulant Scotiſtæ, & alii.

LXVIII. Reſpondetur ergo negando ant. ad cujus primam probat. variè reſpondent Noſtri. Negatâ enim minori, in quo conveniunt omnes, non concordant in aſſignando, quid Angeli in Cœlo Empyreo operentur. Aliqui dicunt, quid operentur eſſe nobis occultum. Ita Ferrarienſis, & alii. Hæc reſponſio riſu excipitur ab aliquibus, dicentibus, hanc reſponſionem eſſe aſylum ignorantiæ. Sed immeritò. Quot enim ſunt operationes, nedùm Cœlorum in hæc inferiora, ſed etiam horum inferiorum, quas poſt longam diſcuſſionem ingenuè fateri cogimur, nobis ignotas eſſe; & tamen cauſas, earumque naturas ſub oculis habemus: quantò ergo magis ignotæ nobis erunt operationes Angelorum, quorum naturam, ſicut & ipſius Cœli Empyrei, vix aſſequi poſſumus? Unde Ferrarienſis in 3. Contragentes cap. 68. *Non oportet* (inquit) *ſolicitari, quâ operatione agat in Cęlum Empyreum, aut in aliquem alium locum, in quo dicitur eſſe, quia ſicut non nobis plenè cognita eſt natura angelica, neque Cęli Empyrei natura; ita nec nobis nota ſunt omnes operationes, quibus poteſt aliquid in Cęlo Empyreo, & in corporibus operari.* Quam reſponſionem probare videtur S. Thomas, dùm, eſto ſtatuat, Angelum eſſe in loco per operationem, indeciſum tamen relinquit, quænam ſit talis operatio, an producat lucem, an ſit mera cuſtodia, an præſidentia, an continentia.

Alii dicunt, Angelos in Cælo Empyreo producere augmentum lucis. Quamvis enim à Deo productum ſit cum tota perfectione ſibi connaturaliter, ac in ſuo ordine debitâ, hoc non tollit, quin aliqua ei perfectio major poſſit à natura Superiori advenire: ſicut & Angeli inferiores, etſi in ſua natura perfecti, à Superioribus tamen poſſunt illuminari, & de facto lumen recipiunt. Nec ſequeretur, quòd hoc majus lumen perveniret uſque ad nos, & à nobis videretur. Nam ait D. Th. *1. par. qu. 66. art. 3. ad 4.* poteſt dici, *quod habet lucem Cęlum Empyreum, non condenſatam, ut radios emittat, ſicut corpus ſolis, ſed magis ſubtilem. Vel habet claritatem gloriæ, quæ non eſt conformis cum claritate naturali.*

Huic affinis eſt reſponſio aliorum, volentium, Angelos exiſtentes in Cœlo Empyreo, influere in ipſum perpetuitatem, & ſtabilitatem: cùm enim hanc Cœlum Empyreum influat in alios Orbes inferiores, ut docet D.Th. *qu. 66. art. 3.* citatis *ad 2.* credere

par

par eſt, ad hoc Angelorum operâ valdè juvari: Ut enim docet D. Thom. Quolib. 6. art. 19. *Totum Univerſum eſt unum unitate ordinis... hæc autem unitas ordinis attenditur ſecundùm quòd quodam ordine reguntur corporalia per ſpiritualia, & inferiora corpora per ſuperiora.*

Tandem juxta ſuperiùs dicta reſpondeo, Angelos in Cœlo Empyreo operari operatione actualis præſidentiæ, quæ licèt effectum, vel immutationem ullam non cauſat in Cœlo Empyreo, illud tamen ſibi ſubjicit pro ea parte, quâ illi præſidet, ut fundet præſentiam locati in loco. Hinc patet, quòd dùm Angelus agit, vel movendo, vel alio modo, in Cœleſti orbe, ſive in quocumque alio corpore, non ſequitur, quòd ſubſtantia Angeli ſit in omni Cœli, vel corporis parte, quod movet; ſed in illa ſola parte, cui immediatè conjungitur Angelus, nempè in illa, ex qua primò incipit motus, vel quæcumque alia angelica operatio.

LXIX. Ad ſecundum nego paritatem. Nam corpus eſt in loco per ſolum contactum quantitatis, ad quod ſufficit, ut dimenſiones ejus extendantur per locum, etſi nihil ibi operetur. At Angelus eſt in loco per contactum virtutis, contactus autem virtutis non habetur niſi operatione. Eâdem ratione poteſt Deus unum corpus de uno ad alium locum transferre, quin ibi operetur: ſi verò Angeli ſubſtantiam de uno loco ad alium transferret, ſi in eo non operaretur, non eſſet ut in loco formaliter, & poſitivè, quia locum non tangeret, ſed ad ſummum fundamentaliter, & negativè. Idem contingeret, ſi omnem ejus operationem ſuſpenderet; remaneret enim ibi ad modum ſubſtantiæ, ſed non ad modum locati, niſi ad ſummum inchoativè, & materialiter.

LXX. Ad tertium de animabus Patrum in Limbo, ſicut & puerorum, dici poteſt, quòd infra dicetur de Dæmonibus, & damnatis, quòd cùm Limbus non ſit locus illis connaturalis, ſed, ſi non violentus, ſaltem præternaturalis, in quo à divina juſtitia, velut in carcere detinentur: unde de Limbo Patrum, & eorum liberatione per Chriſtum dixit Zacharias c. 9. v. 11. ut exponit S. Hieronymus in dictum caput. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua*, dicendum eſt, eſſe ibi non per operationem aliquam, ſed per paſſionem, ſive detentionem ab illo loco, à quo ſine ſpeciali Dei permiſſione exire non poſſunt. Unde Diviti damnato roganti, ut mitteret Lazarum ad ſe ut refrigeraret linguam ſuam, reſpondit Abraham Lucæ 16. v. 26. *Inter nos, & vos magnum chaos firmatum eſt: ut hi qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſint, neque inde huc transmeare.* Idem dicendum de animabus igne Purgatorio detentis. Quòd ſi, permittente Deo, inde aliquando exire ad tempus datum ſit, ut ad aliquid peragendum ſe transferant, ibi per operationem, quam circa corpus exercebunt, conſtituentur, ut dicemus.

At de Animabus Sanctis, quid dicendum? Reſpondeo, quòd idem proportionaliter, ac de Angelis beatis, dùm ſunt in Empyreo; ibi enim, ſive naturali virtute, ſive à lumine gloriæ derivatâ augent ſplendorem, juvant influxum in hæc inferiora; vel modo nobis incognito ibi occupantur, quo eorum ſubſtantia locum illum potiùs, quàm alium virtute ſua contingat. Quòd ſi circa alia corpora agere permittantur (quod poſſibile eſſe oſtenditur in anima Chriſti, quæ per ſuam ſubſtantiam deſcendit ad locum Patrum, atque derivare fecit effectus ad infernum damnatorum, & tandem ad locum ſepulchri reverſa eſt) dici debet, in illis præſentes ſtatui per operationem, ad quam exercendam circa illa mittuntur.

LXXI. Ad quartum de Angelis Cuſtodibus, dico, quòd dùm ordinariè actu aſſiſtunt hominibus, quorum cuſto-

ſtodiæ ſunt deputati, ſemper aliquid in eis operantur, vel aliquomodo excitando, aut continendo imaginationem, aut ſuggerendo bonas cogitationes, aut avertendo pericula, quæ innumera hominem circumſtant; unde innumeræ, eſto nos lateant, ſunt actiones, quas Angeli circa nos operantur. Cum verò circa hominem nihil operantur, puta cum ad Empyreum, vel aliò ſe transferunt, tunc circa hominem non habent, nec actualem præſidentiam, ſive cuſtodiam, ideòque nec præſentiam localem, ſed ſolam præſentiam ordinis, quia parati ſunt ſemper Clientibus opitulari: unde tunc non habent quidem ad Clientes relationem rei locatæ ad locum, ſed relationem ordinis. Ex D.Th. ſumpta eſt hæc ſolutio, qui 1. p. q. 113. a. 6. ad 3. *Angelus* (inquit) *etſi interdum derelinquat hominem loco, non tamen derelinquit eum, quantùm ad effectum cuſtodiæ: quia etiam cùm eſt in Cœlo, cognoſcit quid circa hominem agatur; Nec indiget morâ temporis ad motum localem, ſed ſtatim poteſt adeſſe.*

LXXII. Ad quintum diſt. maj. ſemper eſt alicubi præſentiâ ordinis, ſeu tanquam res in re, vel ut pars in toto Univerſo, conc. maj. præſentiâ locati in loco, neg. maj. hoc enim modo ſolùm eſt ubi operatur aliquid. Neque hoc eſſe inconveniens, ſuperiùs n. 53. cum D. Thoma oſtenſum eſt; & certum oſtenditur ex eodem q. 3. de pot. a. 19. ad 2. ubi ait, quòd non ſolùm priuſquàm conderetur Mundus, ſed *etiam nunc nihil prohibet, Angelos non eſſe in loco, ſi voluerint; etſi etiam ſemper ſint in loco propter ordinem, quo creatura ſpiritualis præſidet corporali, ſecundùm Auguſtinum 3. de Trinitate.* Etſi enim videatur inconveniens imaginationi, quæ ſpiritualia metitur ad modum corporum; non eſt tamen inconveniens rationi: ſi enim ſupra imaginationem aſſurgat, judicabit, Angelos eſſe ſubſtantias non dependentes, nec contentas in loco, ſed ſibi ſubjicientes, & facientes loca dependere à ſe, & pro voluntate ſua: ſicut poteſt, modò hìc, modò alibi eſſe, ita ab omni loco ſe ſe abſolvere ſi velint, quamvis hoc de facto non contingere exiſtimem; quia ſicut corpora ſuperiora nunquam ceſſant ab operatione, & influxu in hæc inferiora, ita ſpiritualia, quæ corporalibus ſuperiora ſunt, nunquam ceſſant ab operando aliquid circa corpora, ut ſupra num. 68. ex D. Thoma. Quolib. 6. a. 19. & 1. p. q. 66. a. 3. ad 2. oſtenſum eſt. Cæterùm ſi Angelus ab omni operatione ceſſaret circa corpora, ſicut locatum in loco in eis non eſſet actu formaliter, & poſitivè, ſed ſolùm fundamentaliter, & negativè. Quod idem dicendum eſſet, ſi Deus omnia corpora annihilaret, ſi Angelus poneretur in vacuo: ſicut enim Deus antequam mundum produceret, ut ſuperiùs *tom. 2. q. 4. de Attrib. dub. 5. §. 3.* dictum eſt, nullibi actu erat, & modò in ſpatiis imaginariis non eſt, quia ibi actu nihil operatur: ita & Angelus, ſi nihil operaretur circa corpora, actu nullibi eſſet ut locatus.

LXXIII. Tandem arguunt quidam. Si operatio Angeli eſſet illi ratio eſſendi in loco, Angelus movens primam Sphæram, eſſet in tota illa Sphæra, imò & in ſecunda &c. Cùm adſit omnibus contactu ſuæ virtutis.

Rursùs operari in loco non eſt ſecundùm ſubſtantiam eſſe in illo, nam Sol operatur in viſceribus terræ, & tamen eſt præſens ſolùm in Cœlo. Anima Chriſti ſecundùm S. Thomam verè ſecundùm ſubſtantiam deſcendit ſolùm ad Limbum Patrum, & tamen etiam in Inferno damnatorum effectus operata eſt.

Tertiò. Operatio, quâ Angelus fit præſens loco debet eſſe in Angelo: ſed operatio quâ operatur in corpore, utpotè tranſiens non eſt in Angelo, ſed in corpore, in quod agit; ergo &c.

LXXIV. Reſpondeo, neg. maj. Non enim quælibet operatio ſtatuit ſubſtantiam Angeli in loco; ſed illa ſolùm

lùm, quæ eſt ab ipſo immediatè immediatione ſuppoſiti, & eſt illa, quâ ab Angelo primò exit, & incipit motus in corpus. Unde dum movet primam Sphæram, ſubſtantia Angeli non eſt in tota Sphæra, multò minus in ſecunda, ſed ſolùm in ea parte, quam primò ſuâ operatione contingit, & ex qua aliæ incipiunt moveri. Ita S. Tho. 1. p. q. 52. a. 2. *Nec tamen* (inquit) *oportet, ſi aliquis Angelus moveat Cælum, quòd ſit ubique. Primò quidem, quia non applicatur virtus ejus, niſi ad id, quod primò ab ipſo movetur. Una autem pars Cœli eſt, in qua primò eſt motus, ſcilicet pars Orientis. Unde Philoſ. in 8. Phyſicorum text. 84. virtutem Motoris Cœlorum attribuit parti Orientis. Secundò. Quia non ponitur à Philoſophis, quòd una ſubſtantia ſeparata moveat omnes Orbes immediatè.*

LXXV. Ad ſecundam eodem modo reſpondeo, Solem operari in viſceribus terræ per virtutem à ſe effuſam, & non immediatè immediatione ſuppoſiti; unde non ſequitur in viſceribus terræ adeſſe ſubſtantiam Solis, ſed ejus virtutem: benè tamen adeſt illi parti ſibi contiguæ, cui primò ſuum influxum communicat. Anima Chriſti pariter in Inferno damnatorum propriè non fuit, quia non fuit in eo per ſuum ſuppoſitum, quamvis ad illum affectus aliquos derivarit.

LXXVI. Ad tertiam nego min. operatio enim, quâ Angelus agit in corpus eſt formaliter immanens in Angelo, & ſolùm virtualiter tranſiens ratione effectus, quem in corpore producit; unde ratio fundans Angeli præſentiam formaliter in Angelo eſt.

§. V.

Ratio fundans Angeli præſentiam in loco violento, ſeu præternaturali.

LXXVII. Dico. Ratio proximè fundans Angeli preſentiam in loco ſibi violento eſt paſſio illi illata ab extrinſeco, ſive incorporeo, ſive corporeo, quâ detinetur, ne agere poſſit ubi voluerit. Modo loquendi Scripturarum hæc aſſertio conformis eſt, quo Dæmones dicuntur alligari Tobiæ 8. v. 3. *Angelus Raphael apprehendit Dæmonium & religavit illud in deſerto ſuperioris Ægypti*: funibus detracti 2. Petri 2. v. 4. *rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos*. vinculis æternis reſervati Judæ v. 6. *Vinculis æternis ſub caligine reſervavit* & act. 2. v. 24. *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus Inferni, juxta quòd impoſſibile erat, teneri illum ab eo*: ubi in Limbo (à quo liber fuit Chriſtus) Veteres PP. dicuntur ligati atque detenti. Sed de hoc fortè redibit ſermo alio loco, dum agetur de pœna Dæmonum.

LXXVIII. Probatur autem hoc diſcurſu. Quilibet contactus rei locatæ cum loco ſufficiens eſt fundare ubicationem; ergo ſicut ubicatio Angeli in loco connaturali fundatur in contactu activo, quo Angelus ſuâ operatione quoquo modo ſibi ſubjicit locum, eumque ſuâ virtute contingit; ita ex oppoſito ubicatio ejuſdem in loco violento, ac præternaturali fundabitur in paſſione, quâ contactu paſſivo aliquid patitur ab agente corporeo; vel ita ab illo ligatur, aut detinetur, ut non poſſit ſecundùm quod vult, & ubi vult operari. Sic nonnulli Dæmonum ſunt in igne Inferni, quia ita ab eo, ut divinæ juſtitiæ inſtrumento detinentur, ut non poſſint alibi operari. Alii verò qui in hac aerea regione verſantur, eſto ab igne Inferni pœnam patiantur, non dicuntur tamen in Inferno eſſe, ut in loco, quia permittuntur aliquid operari in aere, & extra Infernum uſque ad diem Judicii. Quare alligatio angelicæ virtutis, ut contra ejus voluntatem operetur in hoc loco, vel ne operetur in alio, eſt paſſio faciens locum illum eſſe Angelo violentum, vel præternaturalem. Paſſio autem iſta non reddit locum pœnalem, & vio-

Digitized by Google

lentum Angelo (inquit D. Thom. 1. p. qu. 64. art. 4. ad 1.) *quaſi afficiens alterando naturam, ſed quaſi afficiens voluntatem contriſtando. dum Angelus, vel anima apprehendit ſe eſſe in loco non convenienti ſuæ voluntati.*

Hæc ad captum ſtudioſæ juventutis ex doctrina S. Præceptoris quantum potui accomodare conatus ſum. Cæterum poſt hujus, aliarumque de Angelis quæſtionum accuratam diſquiſitionem Candidatum meum monito Sancti Auguſtini in Enchiridio cap. 59. imbutum, ac inſtructum volo, videlicet: *Cùm iſta* (de Angelis) *quaruntur, & ea ſicut poteſt quiſque conjectat, non inutiliter exercentur ingenia, ſi adhibeatur diſceptatio moderata, & abſit error opinantium, ſe ſcire, quod neſciunt.*

DUBIUM II.

An unus Angelus poſſit eſſe in pluribus locis, & plures in uno loco?

§. I.

Reſolutio primæ partis.

I. Duplex ſolet diſtingui locus; unus adæquatus, in quo, ſcilicet, toto poteſt Angelus exiſtere, at in majori ſe collocare nequit: unde ſi una leuca eſt locus adæquatus Angeli, poterit in tota illa leuca eodem tempore exiſtere, at ultra illam non poteſt. Alter inadæquatus, in quo ita eſt, ut poſſit ultra illum ſe collocare. Sic media leuca erit locus inadæquatus, quia poteſt in alia medietate ſimul eſſe. Quæſtio ergo procedet de loco adæquato præſertim, & nedum naturali, ſed etiam divinâ virtute: aliquid tamen etiam de loco inadæquato dicemus.

II. Dico primò. Unus Angelus non poteſt naturaliter in pluribus locis adæquatis ſimul exiſtere. Hæc aſſertio adeò certa eſt, ut ipſa notio *loci adæquati* eam demonſtret, nimirùm, quòd ita adæquet, & exhauriat totam locabilitatem unius Angeli, ut extra illam ſe extendere nequeat.

Deinde ſi Angelus naturaliter poſſet ſimul eſſe in duobus locis adæquatis, eâdem ratione poſſet eſſe in tribus, in quatuor, & ſic in infinitum, & ſic eſſe ubique, quod erroneum eſt. Quare Durandus malè excipitur à Theologis, eò quòd doceat Angelos ubique exiſtere, eſto non ſicut Deus. Quod jam reprobaverat D. Thom. *in 1. diſt.* 37. *q.* 3. *art.* 2. dicens: *Quidam dixerunt, quòd Angelus poteſt eſſe in pluribus locis ſimul, ſed non ubique, ſicut Deus, corpus autem in uno loco tantùm eſt. Sed hoc reputatum eſt pro errore à Magiſtris, quia ſequeretur, quòd Angelus nec definitivè, nec circumſcriptivè in loco eſſet.* Et quidem, nam Angelus eſt in loco per ſuam ſubſtantiam, ut vult Scotus; vel per ſuæ virtutis applicationem, ut cum S. Thoma ſtatuimus: ſed tam ſubſtantia Angeli, quàm ejus virtus ad certum terminum, quem non poſſunt egredi, limitantur; ergo &c.

III. Rurſus, ſi ubique Angeli eſſent naturaliter, loco naturaliter moveri, nec de uno ad alium tranſire poſſent. Cœlum inſuper Empyreum, & omnia loca plena eſſent Angelis, imò & Dæmonibus, qui proinde certo loco alligati à Scriptura falsò dicerentur.

IV. Neque dicas. Tertulianus in *Apologetico c.* 22. ait de Angelis, & Dæmonibus: *omnis ſpiritus ales eſt. Hoc Angeli, & Dæmones. Igitur momento ubique ſunt; Totus orbis illis locus unus eſt.*

Nam Tertulianus noluit exprimere, Angelos & Dæmones ſimul ubique exiſtere, & ſimul totius orbis partibus adeſſe, ſed eorum velocitatem inſinuare, quâ adeò celeriter de uno ad alium locum ſe transferunt, ut momento ubique eſſet, & totus orbis illis unus locus eſſe videatur. Quapropter ut Dii habiti ſunt, unde ſubdit: *Veloci-*

Digitized by Google

loritas divinitas creditur ; quia ſubſtantia ignoratur.

V. Sola ergo divina virtus, & eſſentia, quæ infinita eſt, & univerſalis cauſa omnium, ſuâ virtute omnia contingit; & non ſolum in pluribus locis eſt, ſed ubique. Virtus Angelica, quia finita eſt, non ſe extendit ad omnia, ſed ad aliquod unum determinatum: & ſicut ad univerſalem virtutem Dei totum univerſum comparatur, ut unus locus; ita ad determinatam virtutem Angeli comparari debet ſolùm aliquid determinatum. Cumque Angelus ſit in loco per applicationem virtutis ſuæ ad locum, ſequitur, quòd non ſit ubique, nec in pluribus locis, ſed in uno loco tantùm. Ita diſcurrit & concludit S. Thomas hìc *q. 52. a. 2.*

VI. Dico ſecundò. Probabilius videtur, nec divinitùs poſſe unum Angelum eſſe in duobus, vel pluribus locis ſuæ naturali virtuti adæquatis, niſi virtus ejus à Deo intrinſecè augeatur. Quare ſi locus adæquatus naturali activitati Angeli ſit ſpatium unius leucæ, non poterit eſſe ſimul in duabus leucis. Videtur clara aſſertio. Nam Angelus eſt in loco per contactum ſuæ virtutis, & per operationem; ergo ut eſſet in duplici loco adæquato, deberet in utroque adæquatâ actione operari: ſed repugnat, quòd idem agens duplici actione adequatâ ſit in actu operans; alias quælibet eſſet adæquata, & non eſſet, quilibet effectus per eam productus eſſet adæquatus, & non eſſet, quilibet etiam locus adæquatus eſſet, & non eſſet: hac enim ratione docent Phyſici cauſam non poſſe agere duplici actione totali, nec duplicem effectum totalem, & adæquatum ſimul producere; ergo &c.

VII. Confirmatur. A' cauſa, ſeu virtute impotente, dùm manet impotens, non poteſt actu prodire effectus, ad quem eſt impotens; aliàs prodiret, & non poſſet prodire, cauſa illum produceret & non poſſet illum producere, quod eſſet deſtruere principium omnibus certum: *ab actu ad potentiam valet conſequentia*: ſed ſi Angelus habens pro ſphæra & loco adæquato, ultraquem operari non poteſt, unam leucam, abſque ullo ſuæ virtutis augmento, de facto ſimul operaretur, & ſiſteret ſe præſentem in duabus leucis jam à cauſa impotente, dum manet impotens, actu prodiret effectus; ergo produceret effectum, quem non poſſet producere, & eſſet in loco, in quo non poſſet eſſe; ergo falſificaretur illud principium: actu operatur, & eſt; ergo poteſt operari, & eſſe.

VIII. Quod ſi Deus augeat virtutem angelicam, ut quæ priùs ad unam leucam tantùm poterat operari, poſſit operari in duabus, vel poſſit operari in Cœlo, & ſimul in terra; tunc poſſet eſſe in duobus locis, quorum quilibet eſſet ſuæ naturali virtuti adæquatus. Dico *ſuæ naturali virtuti adæquatus:* quia comparatus virtuti Angelicæ tali incremento auctæ, quilibet eorum eſſet inadæquatus, & ſimul unum locum adæquatum conſtituerent. Unde nunquam verificaretur, quòd idem Angelus poſſit ſimul eſſe in duobus locis adæquatis reduplicativè, ut ſunt adæquata.

IX. An autem poſſit idem Angelus eſſe in duobus locis adæquatis; in uno, ut loco naturali, & per contactum ſuæ operationis; & in alio, ut in loco præternaturali, & violento, & per alligationem, ſeu paſſionem, non video, ullam eſſe repugnantiam. Nam ſicut nulla eſt repugnantia, quòd Corpus Chriſti per quantitatis ſuæ extenſionem ſit circumſcriptivè in Cœlo, ut in loco hac ratione ſibi adæquato, & ſimul per plures converſiones, & modos Sacramentales in pluribus Hoſtiis: & ſi vellet Deus ſubſtantiam panis hìc exiſtentem convertere in ſubſtantiam Angeli exiſtentem in Cœlo, ſicut eam convertit in Corpus Chriſti exiſtens in Cœlo; tunc ſubſtantia Angeli eſſet in Cœlo, & hìc, non tamen utrobique modo connaturali; ita non vi-

Digitized by Google

videtur repugnare, quòd Angelus in uno loco adæquato exiſtens per contactum activum, in alio ſit per contactum paſſivum ſeu per paſſionem: oporteret; tamen, ut ejuſmodi paſſio ſic detineret Angelum apud ſe in loco præternaturali, ut non impediat ipſum connaturaliter operari alibi, ut ibi connaturaliter exiſtat; ſed ipſum detineret ſine alligatione potentiarum, ſicut erant animæ in ſinu Abrahæ.

X. Dico tertiò. Angelus poteſt ſimul eſſe in duplici loco inadæquato intra ſphæram ſuæ activitatis contento, quin exiſtat in loco intermedio. Explico hoc. Suppono, Angelum naturaliter poſſe eſſe, & operari ſimul in omnibus locis intra ſphæram ſuæ activitatis contentis; unde ſi ſphæra activitatis ejus ſit ſpatium unius leucæ, & in iſta leuca ſint tres civitates, duæ in extremis leucæ partibus, altera in medio, poterit Angelus in omnibus illis civitatibus, & in toto medio intra leucam contento operari, & eſſe. Difficultas eſt, an poſſit operari, & eſſe in civitatibus poſitis in partibus leucæ extremis, & non operari nec eſſe in civitate, & ſpatio intermedio: & hoc aſſerit præſens concluſio.

XI. Probatur autem. Cum enim Angelus ſit in loco per liberam, & non naturalem ſuæ virtutis applicationem, & à nullo ex locis intra ſuam ſphæram contentis dependeat, ſit, ut ex partibus intra eam contentis, cui voluerit ſe applicare poſſit, & alteram relinquere: ſicut & homo poteſt ſimul movere duos lapides inter ſe diſtantes, ad quos ejus brachia ſe ſe extendunt, quin moveat intermedios; quia nulla neceſſitate partibus omnibus intra ſuæ activitatis ſphæram contentis alligatur: & ſicut poſſet, ſi vellet abſolvere ſe ab omnibus, ita eadem libertate poſſet ſe abſolvere à ſingulis, & ab una, non verò ab aliis. Tota enim ratio, quare corpus non poteſt eſſe in partibus extremis, etiam intra ſphæram ſuæ extenſionis contentis, quin exiſtat in mediis, eſt, quia non liberè ſed naturaliter in loco eſt; nec operatione ſibi voluntariè ſubjicit locum, ſed quantite, & extenſione neceſſariò à loco circumſcribitur: unde non poteſt eſſe in locis diſcretis, niſi ejus quantitas dividatur. E contrà autem, quia Corpus Chriſti in Sacramento non eſt ratione quantitatis, nec commenſurativè ad locum, & partes loci, ſed modo elevatiori, in pluribus Hoſtiis ſeparatis eſſe poteſt, quin exiſtat in medio, imò & in extremitatibus ejuſdem Hoſtiæ, & non in medietate, ſi medietas, vel non eſſet conſecrata, vel corrumperetur.

XII. Neque idem eſt de anima noſtra, quæ eſto in ſe perfectiſſima, non tamen animare poteſt partes extremas, puta caput, & pedes, & eſſe in capite, & pedibus, quin actu animet membra, & partes intermedias, ſicut nec de lumine Solis, quod non poteſt à Sole derivari in partes extremas, niſi per medias.

XIII. Nam diſcrimen eſt inter animam, & lumen ex una parte, & Angelum ex altera. Nam Anima reſpicit partes corporis ut conſtituunt unum corpus, quod ut ſit ſubjectum capax animationis, debet includere omnes partes invicem continuatas, & non diſſitas; quia anima non eſt in corpore, niſi debita organizatione diſpoſito, diſpoſitiones autem illæ communicantur uni parti mediante alia. Similiter lumen ſolare, cum ſit corporeum, propagari debet per commenſurationem ad ſpatium, & quantitatem corporis, per quod diffunditur. At Angelus non eſt in corpore, ſeu loco per naturalem informationem, ſed per liberam ſuæ virtutis applicationem: nec ut operetur, requirit ullam ex parte loci diſpoſitionem, neque partium loci colligationem, & communicationem; nec commenſuratur loco, ſed eſt omnino à loco independens, quem ſibi ſubjicit. Unde non eſt ſimile.

Hæc omnia confirmare videtur S. Augu-

guſtinus, dùm lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 27. ait, quòd Diabolus *in ſerpente locutus eſt, utens eo, velut organo*. In muliere autem *non ipſe locutus eſt.... quamvis occulto inſtinctu adjuvaret interiùs, quod exteriùs egerat per ſerpentem*. Quibus videtur velle, quòd Diabolus ſimul erat in muliere, & in ſerpente, qui duo erant intra ambitum loci, in quo Dæmon poterat agere. Idemque videri poteſt de Angelis, qui Gen. 19. ſubverterunt Sodomam, aliaſque civitates; & de Angelo, qui 4. Reg. 19. percuſſit centum octoginta quinque millia hominum: non enim apparet, eſſe neceſſariò dicendum, quòd illi dum in pluribus locis operabantur, ſemper etiam operarentur in intermediis.

XIV. Neq; ſequeretur, illum Angelum habiturum duas operationes ſimul, & duas præſentias ſolo numero diverſas. Nam vel Angelus in duobus illis locis operaretur diverſos ſpecie effectus: & ſic haberet operationes & præſentias ſpecie diverſas. Vel operaretur effectus ſolo numero diverſos: & ſic haberet plures operationes, & præſentias numero inadæquatè ſolùm diſtinctas, quæ unam numero præſentiam adæquatam conſtituerent. Sed hìc diſcurrendum eodem modo eſt, ac de præſentiis, quas habet Corpus Chriſti ſub pluribus Hoſtiis.

XV. Noto tamen, quòd cum Angelum dicimus, poſſe eſſe ſubſtantialiter præſentem in duobus locis, quin ſit præſens in intermediis, loquimur de præſentia formaliter locali, quæ ex operatione conſurgit. Cæterùm non negamus, quòd ejus ſubſtantia quoquo modo illi ſpatio intermedio adſit, & ſit illi negativè indiſtans. Cum enim ſit indiviſibilis, non videtur, fieri poſſe, ut exiſtat in duobus locis diſtantibus, & non exiſtat in toto medio, quamvis poſſit non eſſe in medio, ut in loco. Alioquin ſequeretur ſubſtantiam Angeli eſſe diviſam, ac ſeparatam à ſe ipſa, idque non ſecundùm partes, cum nullas habeat; ſed ſecundùm ſe totam.

XVI. Neque hinc inferas, Angelum operantem in duabus partibus loci, & non in media, operari, & eſſe in pluribus locis ut plura ſunt, quod eſt contra Divum Thomam 1. *p. q.* 52. *a.* 2.

Nego enim illatum; nam loca illa, etſi diſſita inter ſe materialiter, ut tamen aſſumuntur ab Angelo, & ejus virtus ſimul illis applicatur, non ſunt plura, ſed unus locus formaliter. Unde D. Thomas citato loco in reſponſ. ad objecta: *Totum illud*, (inquit) *cui immediatè applicatur virtus Angeli, reputatur, ut unus locus ejus, quamvis non ſit continuum*. Eſſent autem plura loca formaliter, ſi intra ſphæram virtutis ejus non clauderentur. Quarè

XVII. Dico quartò. Angelus non poteſt naturaliter eſſe in uno loco adæquato, & altero inadæquato; neque in duobus inadæquatis ad invicem diſtantibus extra ambitum activitatis ſuæ.

Prima pars conſtat ex Aſſertione ſecunda ſuperiùs ſtatutâ. Sicut enim non poteſt eſſe in duobus locis adæquatis, ita nec in uno adæquato, & altero inadæquato. Quare ſi locus adæquatus Angeli eſſet una leuca, non poſſet agere in una leuca cum dimidio; alioquin limites ſuæ activitatis, & locabilitatis tranſgrederetur.

Secunda verò pars prob. Nam ſi Angelus loca inadæquata quidem, ſed extra limites ſuæ activitatis ſimul occuparet, tunc Angelus poſſet extra ſphæram ſuam protendi; puta, ſi cùm ſphæra ejus activitatis eſſet una leuca, occuparet mediam leucam in terris, & alteram mediam in Cœlo: & ruisùs poſſet eſſe in locis diſtantiſſimis, nec indigeret motu, ut tranſiret de uno ad alium locum; ſed ſufficeret ei dividere, & partiri virtutem ſuam activam, & eam diverſis locis diſpenſare, etſi diſtantibus, quod eſt contra naturam rei finitæ; & contra S. Jo. Damaſcenum, qui lib. 2. de Fide c. 3. *Circumſcripti* (inquit) *ſunt, nec enim cum in Cælo ſunt, in terra*

vir-

Digitized by Google

verſantur; nec cum à Deo in terram mittuntur, remanent in Cœlo.

XVIII. Dico quintò. Angelus poteſt eſſe in loco ſive diviſibili, ſive indiviſibili, vel majori, vel minori. Ita D. Thomas 1. *p. q.* 52. *a.* 2. dicens: *Quidam imaginationem transcendere non valentes, cogitaverunt indiviſibilitatem Angeli ad modum indiviſibilitatis puncti. Et ideo crediderunt, quòd Angelus non poſſet eſſe, niſi in loco punctali. Sed manifeſtè decepti ſunt: nam punctum eſt indiviſibile habens ſitum, ſed Angelus eſt indiviſibile extra genus quantitatis, & ſitus exiſtens. Unde non eſt neceſſe, quòd determinetur ei unus locus indiviſibilis ſecundùm ſitum, ſed vel diviſibilis, vel indiviſibilis, vel major, vel minor, ſecundùm quod voluntariè applicat ſuam virtutem ad corpus majus, vel minus.* Ita S. Thomas: quod docet etiam in 1. *diſt.* 37. *q.* 3. *a.* 2.

XIX. Ex quibus ſic. Angelus eſt in loco ſecundùm liberam applicationem ſuæ virtutis, non ſecundùm naturalem ſui commenſurationem loco: ſed poteſt Angelus velle liberè applicare ſuam virtutem, vel loco diviſibili, vel indiviſibili, vel majori, vel minori; ergo &c. Minor, quòd poſſit ſe applicare loco diviſibili, prob. Si ad hoc aliquid obſtaret maximè, quòd Angeli ſubſtantia eſt indiviſibilis: ſed hoc non obſtat. Primò. Quia Angelus non eſt in loco ratione ſuæ ſubſtantiæ, ut vult Scotus, ſed ratione applicationis ſuæ virtutis, quam poteſt indiviſibiliter, & etiam diviſibiliter applicare. Secundò. Anima rationalis eſt indiviſibilis, & tamen animat corpus diviſibile, modo majus, modo minus. Inſuper quid magis indiviſibile quam Deus, qui tamen eſt in loco diviſibili? Tertiò, & eſt ratio à priori. Licèt id, quòd eſt indiviſibile per defectum, ut eſt punctum in linea, non poſſit tangere niſi indiviſibile; id tamen quod eſt indiviſibile per exceſſum, quia, utpote ſpirituale excedit naturam corpoream, & diviſibilem, eſto formaliter indiviſibile ſit, eminenter tamen diviſibile eſt; & hac ratione tam Deus, quàm anima rationalis eſto in ſe formaliter indiviſibiles, ſunt virtualiter, & eminenter diviſibiles, ideoque exiſtunt in re diviſibili, ac ſi eſſent formaliter diviſibiles: ſed Angelus eſt indiviſibilis per exceſſum ſupra continuum diviſibile, ratione immaterialitatis; ergo &c.

XX. Hinc apparet, meliùs in noſtra ſententia explicari poſſe, quomodo Angelus, ſi velit, poſſit ſe modò in majori loco collocare. Cùm enim ratio formalis ſe conſtituendi in loco Angelo ſit applicatio ſuæ virtutis, & hanc poſſit, vel totam exercere, vel ex parte ſolùm, ſcilicet, vel erga totum locum ei adæquatum, vel ſolum erga partem loci, fit, ut modò majorem, modò minorem locum ſibi ſubjiciat, & occupet. At non ita facilè explicare poſſunt Contrarii, qui pro ratione formali ponentes aliquid formaliter, & virtualiter indiviſibile de ſua linea, nempè, vel ſubſtantiam, vel modum ubicationis, non aſſignant cauſam, vel principium, quare localis præſentia modò ſit major, modò minor: eò vel magis, quia licet dicant, ad ponendum Angelum in loco concurrere ipſius Angeli voluntatem; hanc tamen dicunt concurrere ſolùm per modum conditionis, non rationis formalis; effectus autem formalis non variatur ex ſola variatione conditionis, niſi varietur ratio formalis: ut patet in nobis, qui licet libera voluntate nos moveamus, & applicemus ad loca, non poſſumus tamen modò in majori, modò in minori loco nos ponere, modò totum locum, modò partem occupare; niſi quantitatis extenſio, quæ nobis eſt ratio occupandi locum, contrahatur, vel dilatetur.

XXI. Quòd verò poſſit Angelus ſe applicare, & eſſe in loco etiam indiviſibili, puta in puncto ſolo, eadem ratione probatur. Cum enim Angelus in loco ſit per liberam ſuæ virtutis ap-

applicationem excedentem conditionem continui, poteſt, ſicut ſe applicare loco majori, & majori intra terminos tamen ſuæ activitatis; ita & minori, ac minori uſquæ in infinitum, uſque ad ſolum punctum indiviſibile. Sicut enim ratione ſuæ elevationis ſupra continvum poteſt ſe ab omni loco, ſi voluerit, diſpenſare, ut ſuperiùs cum Divo Thoma oſtendimus; ita poterit ſe collocare in minori, & minori uſque ad minimum. Eo vel maximè, quòd cùm virtus Angeli in ſe ſit indiviſibilis, poteſt, ſi voluerit, tangere corpus in puncto indiviſibili: & licèt non poſſit ſolum punctum movere, eò quòd tale punctum ſeparatum à quantitate non datur; illud tamen poteſt ſic tangere in continvo poſitum, ut partes, quas unit, immediatè non tangat, & ſic corpus movere; ſicut unum corpus perfectè ſphæricum poteſt movere aliud tangendo illud ſolùm in puncto.

XXII. Nec ſequitur primò. Si Angelus poſſet ſua virtute ſe collocare in minori, & minori loco uſque in infinitum, fore virtutis ſimpliciter infinitæ; ſicut eſſet, ſi poſſet ſe conſtituere in loco majori, & majori uſque in infinitum. Et ſicut eſſet virtutis infinitæ potentia viſiva, quæ videre poſſet objectum minus, & minus uſque in infinitum.

XXIII. Nam reſpondeo negando ſequelam, maximè ſi ſermo ſit de infinito ſimpliciter, & categorematicè: quia etſi virtus angelica poſſet ſe collocare in minori, & minori, imò indiviſibili, hoc eſſet ſemper intra limites loci ſibi adęquati. Unde non valet exemplum: nam ſi Angelus poſſet ſe collocare in majori, & majori loco uſque in infinitum, benè argueretur in eo virtus infinita, quia locus illius careret termino; & eſſet immenſus ſicut Deus, quia nullus eſſet imaginabilis locus, cui ſimul adeſſe non poſſet: quod non ſequitur, ſi poſſit ſe collocare in minori loco. Sicut non argueretur eſſe virtutis infinitæ ille, qui potens ferre pondus, ut centum, eam applicaret ad ferendum pondus, ut quinquaginta, ut triginta, ut viginti, ut decem &c. argueretur tamen virtutis infinitæ ille, qui poſſet ferre pondus ut centum, ut mille, & ſic in infinitum.

Neque exemplum potentiæ viſivæ hoc juvat. Nam ex una parte ut objectum moveat viſum, ratio formalis non eſt libera applicatio virtutis viſivæ, ſed proportio objecti cum potentia, quæ determinatam, & non minorem exigit extenſionem in objecto. Ex alia verò parte ad videndum minus, & minus objectum, major efficacia, & virtus requiritur in potentia viſiva; nam objectum minus difficiliùs movet, quàm majus. Quare infinita vis requireretur ad videndum objectum minus, ac minus in infinitum. At Angelum ſe in minori loco conſtituere, & à libera ejus applicatione procedit, & non majorem virtutem requirit, quàm dum ſe in loco ſuo adæquato conſtituit; ſed potiùs contractionem ſuæ virtutis, dùm eam non totaliter applicat, ut ille qui potens portare pondus ut centum, portat ſolùm ut decem.

XXIV. Neque ſequitur ſecundò, unum Angelum poſſe eſſe in alio Angelo ut in loco, ſi poteſt eſſe in puncto indiviſibili ut in loco.

Nego enim ſequelam. Nam locus eſt eſſentialiter, vel corpus, vel aliquid corporis habens ſitum in corpore: punctum autem, etſi non ſit corpus, quia tamen eſt aliquid corporis, & habens ſitum in corpore ut terminus ejus, capax eſt, ut Angelus in ipſo ſe ſe conſtituens, ſit in eo, ut in loco. At de Angelo non ita: eſt enim indiviſibilis, non ut aliquid quantitatis, nec ſitum habens in corpore, ſed ut omnino incorporeus, & genus quantitatis excedens; unde unus Angelus agens in alio, eſſet in illo ſicut agens in paſſo, & ſicut una ſubſtantia ordinem dicens ad aliam, non ſicut locatum in loco. Unde D. Tho.

Quo-

Quolibeto 3. a. 7. ait: *Quod eſt in corporalibus ſitus, eſt in ſpiritualibus ordo. Nam ſitus eſt quidam ordo partium corporalium ſecundùm locum: & ideò ipſe ordo ſubſtantiarum ſpiritualium ad invicem ſufficit, ut una influat in aliam; nec requiritur ibi medium corporale vel locale, quia hujuſmodi actiones ſunt ſupra locum & tempus, quæ in corporalibus ſunt.* Addo unum Angelum non poſſe operari in alio, ſicut nec in anima rationali, quaſi illabendo in eorum ſubſtantiam intrinſecè, ſed ſolùm exteriùs per modum ſuggerentis, ut ſuo loco dicetur. Unde non ſequitur quòd unus Angelus ſit in Angelo, vel cum Angelo in uno loco. Vid. D. Tho. in 1. *diſt.* 37. *q.* 3. *a.* 3. *ad* 4.

XXV. Adverto demum, quòd cum dicimus, Angelum poſſe agere, & locari in indiviſibili, ſeu in puncto, loquimur ſemper de indiviſibili, ſeu puncto conſtituto intra terminos loci adæquati virtuti Angelicæ: unde ſicut in magnitudine, ita in minimo ejuſdem habet terminum. Quare ſicut à minimo poſito in terra, non poteſt extendi ad maximum poſitum in Cœlo; ita à maximo quod eſſet in Cœlo, non poſſet protendi ad minimum, quod eſſet in terra.

§. II.

Reſolvitur ſecunda pars.

XXVI. Dico. Plures Angeli poſſunt eſſe in eodem loco materiali, non tamen in eodem loco formali adæquato, & per modum cauſæ principalis. Explico. Locus Angelo dicitur materialiter unus ex unitate ſpatii, ſeu corporis, in quod Angelus operatur; dicitur verò locus formaliter unus ex unitate operationis, quâ totum illud ſpatium tangit, & occupat. Quod ſi ab Angelo tangatur actione totali, dicitur locus formalis adæquatus; ſi verò actione ſolùm inadæquatâ, dicitur locus formalis ſolùm inadæquatus. Inſuper quia Angelus ibi poteſt agere vel ut cauſa principalis, virtute propriâ, vel ut inſtrumentum divinæ virtutis; ideò & locus comparari poteſt ad Angelum ut cauſam principaliter operantem, & ut operantem ſolùm inſtrumentaliter.

XXVII. Prior ergo pars prob. Nam poſſunt duo Angeli operari in eodem ſpatio effectus diverſæ rationis, puta unus motum, alius lumen. Vel ſi operentur effectum ejuſdem rationis, poſſunt ſic invicem attemperari, ut effectus non procedat totaliter à ſingulis; ſicut plures invicem attemperant virtutem ſuam in traenda navi: vel ita inter ſe dividere operationem, ut unus Angelus producat motum, & alter celeritatem motus. in quo caſu locus ille eſſet unus ſolùm materialiter, vel formaliter ſolùm inadæquatè. Similiter ſi plures cum ſubordinatione unius ad alterum, vel inſtrumentaliter concurrant ad modum, quo duo Sacerdotes concurrunt cum Epiſcopo ut duæ cauſæ totales inſtrumentariæ ad conſecrationem ejuſdem Hoſtiæ, ut docet D. Thomas 3. *p. q.* 82. *a.* 2. *ad* 2. poſſunt in eodem loco etiam formali exiſtere; quia in hoc caſu, vel non eodem modo, vel non ut plures ad eundem effectum concurrent.

XXVIII. Hac ratione explicatur, quomodo fieri potuerit (quod narratur Marci 5. v. 9.) ut integra Dæmonum Legio in uno corpore eſſet. Si enim omnes ſimul in eodem corpore operabantur, dici debet, quod, vel non eundem effectum in eo producebant, ſed diverſos ſpecie; vel ſi eundem, non ſe gerebant, ut cauſæ totales, & principales æqualiter concurrentes, ſed ut partiales, ut Dei inſtrumenta, & cum ſubordinatione invicem. Quamquam dici poſſet ex doctrina D. Thomæ in 1. *diſt.* 37. *q.* 3. *a.* 3. *ad* 1. & *q.* 3. *de pot. a.* 19. *ad* 1. plures Angelos malos poſſe ſimul ad eundem locum confluere, & unum cum operatione alterius confun-

fundere; quod enim impedit, ne plures Angeli ſimul in uno loco eſſe poſſint, non eſt repletio loci (ut in corporibus contingit) ſed *confuſio operationum*. Cum autem Dæmones non attendant ad id, quod eſt conveniens ſuæ naturæ, ſed ad id, quod videtur congruere eorum malitiæ; dummodo homini noceant, quamvis videant uno jam operante eundem effectum, eorum operationem fore ſuperfluam, adeò inordinata eſt eorum voluntas, ut id parùm curent.

XXIX. Secunda verò pars probatur à D. Thoma tùm hâc *q. 52. a. 3.* tùm *in 1. diſt. 37. a. 3.* Nam impoſſibile eſt, quòd ſint duæ cauſæ completæ, & totales immediatè concurrentes principaliter ad eundem effectum; aliàs quælibet earum eſſet completa, & totalis, & non eſſet, ac effectus immediatè, & totaliter penderet à quolibet, & non penderet: ſed Angelus eſt in loco formali per hoc, quòd virtus ejus immediatè contingit locum per modum continentis perfecti; ergo &c. Majorem probat D. Tho. Nam una eſt forma proxima unius rei, & unum eſt proximum movens completum, quamvis poſſint eſſe plures motores remoti. Nec refert, quòd plures poſſint concurrere ad eandem navem trahendam. Nam nullus eorum eſt perfectus motor, cùm virtus uniuſcujuſque ſit inſufficiens ad movendum, ſed omnes ſimul tenent locum unius motoris, quatenus omnes virtutes junguntur ad unum motum faciendum. Sicut ergo in phyſicis docent Noſtri, nec ſupernaturaliter fieri poſſet, ut unus, & idem effectus ſimul producatur à duabus cauſis proximis totalibus, adæquatis principalibus, & ejuſdem ordinis, quia hoc repugnat: ita & plures Angelos hoc modo eſſe in uno loco.

XXX. Nec dicas primò. Plura corpora non poſſunt eſſe in eodem loco, quia replent locum: ſed Angeli non replent locum quia ſolùm corpus replet locum, ne detur vacuum; ergo &c. Secundò. Plus differunt Angelus, & corpus, quàm duo Angeli: ſed Angelus, & corpus ſunt ſimul in eodem loco, quia nullus locus eſt, qui non ſit plenus ſenſibili corpore; ergo &c. Tertiò. In eodem corpore eſt anima, & ſæpe etiam Dæmon; ergo.

XXXI. Reſpondetur enim ad primum cum D. Tho. hâc *q. 52. a. 3. ad 1.* quod Angelus non replet locum repletione quantitatis, illum tamen replet repletione virtutis, dùm adæquatè in eo operatur; unde ſi alius ibi operaretur, eſſet operationum confuſio.

Si dicas; ergo ſaltem ſupernaturaliter duo Angeli poſſunt operari in eodem loco formali, ſicut duo corpora poſſunt ſupernaturaliter replere eundem locum.

Reſpondeo, quòd ſicut duo corpora ſi invicem penetrentur poſſunt eſſe in eodem loco; ita duo Angeli ſi invicem communicent ſuas virtutes, poſſunt operari in eodem loco. Sed tunc ſicut duo corpora compararentur ad locum, non per modum duplicis, ſed unius locati in actu ſecundo: ita illi duo Angeli ſe haberent in actu ſecundo per modum unius adæquati motoris, non duplicis.

Ad ſecundam cum eodem S. Doct. *ad ſecundum* citato, dico, *quòd Angelus, & corpus non eodem modo ſunt in loco. Unde ratio non ſequitur.*

XXXII. Hinc ad tertiam ſimiliter cum eodem *ibi ad 3.* dico, *quòd nec Dæmon, nec anima comparantur ad corpus ſecundùm eandem habitudinem cauſæ; cùm anima ſit forma, non autem Dæmon.* Dici etiam poteſt, quòd anima eſt in corpore ut *principium operationum naturalium in* corpore; *Angelus autem eſt in corpore ut operans operationes ſupernaturales, unde nulla eſt confuſio operationum; quia non eſt unius rationis operatio.* Eadem ratione *Deus eſt in rebus, ut dans omnibus eſſe, & operans in qualibet virtute operante; & ideò alterius rationis eſt operatio ipſius Angeli*, cui ut proprius effectus

Digitized by Google

non correſpondet eſſe. Vide D. Tho. in 1. *diſt.* 37. *q.* 3. *a.* 3. *ad* 2. *&* 3.

XXXIII. At dices. Ad miniſtrandum Chriſto plures Angeli acceſſerunt ut habetur Matth. 4. v. 11.

Reſpondetur. Plures illos Angelos fuiſſe immediatè in diverſis partibus aeris circumſtantis, ſicut & illi, qui Chriſto nato apparuerunt *Lucæ* 20. Vel miniſterium illud, utpote diviſibile, fuiſſe inter illos Angelos ſic diſtributum, ut unum unam, alius aliam exerceret operationem, cui miniſterio licèt unus Angelus ſufficere potuiſſet: honor tamen, ac reverentia Chriſto debita plures advocavit.

DUBIUM III.

De motu locali Angelorum.

§. I.

Angeli localiter moventur.

I. OMnia quæ de motu locali Angelorum D. Tho. Statuit 1. p. q. 53. & cum eo Commentatores, unico dubio perſtringimus; ne in re non parum intricatâ, & non multum utili, plus, quàm par eſt tempus terentes, ab utilioribus retrahamur.

II. Dico primò. Angelus moveri poteſt localiter. Ita S. Doct. citatus *a.* 1. & in 1. *Sent. diſt.* 37. *q.* 4. *a.* 1. Adeòque hoc exploratum eſt, ut malè ab omnibus habeatur Durandus, qui contrarium fuit opinatus. Plures ſunt Scripturæ textus id atteſtantes. *Exod.* 14 *v.* 19. Angelus Dei dicitur præcedere caſtra Iſrael, tollere ſè, & abire poſt eos. *Daniel.* 14. *v.* 35. Angelus portavit Habacuc in Babylonem. *Zachar.* 2. *v.* 4. Unus Angelus alteri dicit: *curre, loquere ad puerum iſtum.* Lucæ 1. v. 27. *Miſſus* dicitur *Angelus Gabriel ad Virginem*; v. 28. *& ingreſſus ad eam &c.* c. 2. v. 15. *diſceſſerunt ab eis* (Paſtoribus) *Angeli in Cœlum.* Matth. 28. v. 2. *Angelus Domini deſcendit de Cœlo, & accedens revoluit lapidem.* De Dæmonibus quoque moveri localiter habetur Job. 1. v. 7. Ubi ſatan ait: *Circuivi terram & perambulavi eam.* Iſaiæ 14. v. 12. dicitur cecidiſſe de Cœlo. Lucæ 10. v. 18. *quaſi fulgur.* & Apoc. 12. v. 8. Angeli Apoſtatici ita dicuntur de Cœlo ejecti, ut non inventus fuerit amplius eorum locus in Cœlo. Quid autem eſt præcedere, abire, currere, mitti, ingredi, aſcendere, deſcendere, circuire, cadere de Cœlo, & ſimilia, niſi de uno loco moveri ad alium?

III. Nec valet effugium Durandi, dicentis hæc non indicare, Angelos ſecundùm ſubſtantiam localiter moveri, ſed ſolùm aliquo effectu incipere apparere, & ſe præſentes ſignificare, ubi antea non apparebant: ſicut hâc ratione *Gen.* 2. *v.* 8. dicitur Deus *ambulare.* Gen. 11. v. 5. *deſcendere.* Matthei. 3. v. 16. de Spiritu S. *deſcendit ſicut Columba* ſuper Chriſtum; & de Filio *Jo.* 3. *v.* 13. quòd *deſcendit de Cœlo.*

IV. Non inquam valet: nam ſecundùm regulam S. Auguſtini *lib.* 3. *de Doctr. Chriſt. cap.* 10. Verba S. Scripturæ litteraliter, & propriè exponenda ſunt, niſi aliquid ſequatur, vel contra morum honeſtatem, vel contra fidei veritatem: nil autem ſequitur contra fidei veritatem, cum intelligimus Angelos propriè localiter moveri. Sequeretur autem potius in opinione Durandi, ea impropriè, & figuratè accipientis; quia contra fidei veritatem ſequeretur, Angelos eſſe immutabiles ſecundùm locum, ejus ſubſtantiam eſſe ubique: quod eſto Durandus admittere non vereatur, omnes tamen Theologi maximum reputant inconveniens, ut ſuperiùs Dub. præcedenti dictum eſt. Verùm grande ſequeretur abſurdum, ſi diceremus Filium, & Spiritum Sanctum ſubſtantialiter mutare locum; nempe quòd, nec Filius, nec Spiritus Sanctus eſſent ſubſtantialiter Deus, quia non eſſent ſecun-

cundùm eſſentiam ubique: nam mutare locum eſt incipere eſſe, ubi priùs non erat, & deſinere eſſe, ubi priùs erat. Ita S. Chryſoſtomus *homil.* 3. *in Epiſt. ad Hebræos*, aſſignans differentiam inter miſſionem Filii Dei, & Angelorum, ait: *Magis autem neque miſſus eſt* (Dei Filius) *neq; enim de loco ad locum pertranſiit, ſed carnem ſumſit: iſti autem* (Angeli) *per loca mutantur, & prima loca, in quibus fuerant deſerentes, ad alia veniunt tranſeundo, in quibus non erant antea.*

Angelorum motum localem aſſerunt Ambroſius *lib.* 1. *de Spirit. Sanct. cap.* 10. Athanaſ. *Epiſt.* 1. *ad Serapionem*; uterque probans divinitatem Spiritus Sancti, quia iſte ubique eſt, nec loco mutari poteſt, Angeli verò loco mutantur, & poſſunt locum acquirere, & deſerere. In quo ſenſu intelligendus eſt Tertullianus in *Apologetico cap.* 22. Dub. præcedente citatus, & expoſitus.

V. Hanc veritatem probat S. Thomas hâc *qu.* 53. *a.* 1. *in arg. ſed contra*, ſic: *Ejuſdem rationis eſt Angelum beatum moveri, & animam beatam moveri: ſed neceſſe eſt dicere, animam beatam localiter moveri, cùm ſit articulus fidei, quòd Chriſtus ſecundùm animam deſcendit ad Inferos; ergo Angelus beatus movetur localiter.*

VI. Probari etiam poteſt ſic. Quod eſt in loco definitivè, non poteſt ad alium locum tranſire, niſi deſerendo priorem locum, quod non fit niſi per motum localem: ſed Angeli ſunt in loco definitivè; ergo &c. Hâc ratione utitur S. Ambroſ. *lib.* 1. *de Spiritu Sanct. cap.* 10. ubi comparans Spiritum Sanctum cum Angelo: *ille* (inquit) *cùm ſit ubique, non poteſt recedere à loco, neque acquirere locum; Angelus verò, cùm loco definiatur, poteſt locum acquirere, & deſerere.* Eodem argumento utitur Damaſcenus *in Sacris Paralellis tit.* 47.

VII. Dices tamen primò ex Ariſt. 6. *Phyſ. text.* 32. Nullum impartibile movetur, quia omne quod movetur, dum movetur partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem, quod eſt contra rationem impartibilis, non habentis partes: ſed Angelus eſt impartibilis; ergo &c.

VIII. Reſpondetur cum D. Thom. citato *ad* 1. Primò. Majorem eſſe veram de indiviſibili ſecundùm quantitatem, ut puncto, cui de neceſſitate correſpondet locus indiviſibilis, cùm ratione quantitatis ſit in loco: non verò de indiviſibili ſecundùm ſubſtantiam, quod eſt in loco per applicationem ſuæ virtutis. Hoc enim ſicut poteſt eſſe in loco indiviſibili, & etiam diviſibili; ita etiam poteſt localiter, & diviſibiliter locum mutare, non dividendo ſubſtantiam, ſed operationem.

IX. Reſpondeo ſecundò cum eodem. Præfatum axioma: id quod movetur, dum movetur, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem, verificari de eo, quod movetur motu continuo, non de eo, quod etiam motu diſcreto poteſt moveri, ut de Angelo dicemus infra. Dum ergo movetur motu continuo, partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad quem; *ut tamen partialitas non referatur ad ſubſtantiam Angeli*, quaſi aliqua pars ſubſtantiæ ejus ſit in uno termino, & alia in altero, *ſed ad locum. Quia in principio ſui motus continui Angelus eſt in toto loco diviſibili, à quo incipit moveri.* Sed *dum eſt in ipſo moveri*, ſeu dum actualiter movetur, totus eſt in parte primi loci, quem deſerit, ac totus etiam in parte ſecundi loci, quem occupat per applicationem ſuæ virtutis, quam loco diviſibili poteſt applicare, & ſic moveri, ſicut corpus moveri poteſt applicando loco diviſibiliter extenſionem ſuam.

X. Dices ſecundò. Motus eſt actus imperfecti 3. *Phyſ. text.* 14. inſuper eſt ob indigentiam: ſed Angeli Sancti nec ſunt imperfecti, nec corporibus indigentes; ergo &c.

Reſpondetur cum D. Thom. laudato

ad 1. & 3. Majorem eſſe veram de eo, qui movetur ad acquirendam ſibi aliquam formam, ſeu perfectionem; hic enim eſt imperfectus, & in potentia, & indigens perfectione quâ caret, & ad quam acquirendam movetur: non verò de eo, qui movetur applicando ſuam virtutem, ut alteri communicet perfectionem, quam in ſe habet. Hic enim ſupponitur jam in ſe perfectus, & actu habens perfectionem, ad quam communicandam movetur. *Et hoc modo Angelus propter indigentiam noſtram* (ait D. Thom.) *localiter movetur ſecundùm illud Hebr.* 1. Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis.

XI. Quæres tamen primò. An dici poſſit, quòd Angelus motu locali verè & propriè moveatur?

Reſpondeo, quòd ſi motus ſumatur generaliter, pro ut dicit ſucceſſionem, vel diverſitatem operationum in uno, & in altero loco, ſic de Angelo dici poteſt quòd propriè localiter moveatur; dum enim Angelus alia, atque alia loca ſuâ virtute contingit, quæ priùs non contingebat, ejus ſubſtantia fit revera præſens iſtis, & aliis locis, quibus antea præſens non erat: quod eſt ſpecies quædam tranſitus, ſeu motus de loco ad locum. Si verò localis motus Angeli comparetur ad motum localem corporis, ſic (inquit D. Thom. hâc qu. 53 art. 1.) *Sicut eſſe in loco æquivocè convenit corpori, & Angelo, ita etiam & moveri ſecundùm locum*. Et in 1. diſt. 37. qu. 4. art. 1. *Quia* (inquit) *moveri in loco ſequitur ad eſſe in loco: ideò eodem modo convenit Angelo moveri in loco, ſicut eſſe in loco, & utrumque eſt æquivocè reſpectu corporalium*. Et rationem afferens, proſequitur: *Dicitur enim Angelus eſſe in loco, inquantùm applicatur loco per operationem; & quia non ſimul in diverſis locis eſſe dicitur, motus ejus vocatur*. Quare ut ait hac qu. 53. art. 1. *neceſſe eſt, ut motus Angeli in loco nihil aliud ſit, quàm diverſi contactus diverſorum locorum ſucceſſivè, & non ſimul; quia Angelus non poteſt ſimul eſſe in pluribus locis*.

XII. Quæres ſecundò. In quo, ut in ſubjecto, ſit motus Angelicus?

Reſpondeo, motum localem Angeli conſiderari poſſe dupliciter. Uno modo, ut dicit contactum virtutis, quo Angelus ſucceſſivè contingit loca; & hoc modo Angelus intrinſecè movetur, & motus in illo eſt, ut in ſubjecto. Alio modo ſecundùm contactum paſſivum, ſeu ſecundùm id, quod tranſit, ſeu efficitur in loco; & hoc modo motus non eſt in Angelo: eſt enim quid corporeum, ac in corpore receptum, ac proinde ſolùm extrinſecè denominat Angelum localiter motum.

XIII. Adverto tamen, quòd, ut Angelus dicatur lacaliter moveri, non ſufficit, ut Angelus habeat ſucceſſivè diverſas operationes circa diverſa corpora, ſed circa diverſa loca. Quare Angelus movens Orbem Cœleſtem, ſeu movens aquam præterfluentem, non dicitur localiter moveri; quia eſto moveat diverſa corpora, ſeu diverſas partes corporis, quia tamen ſuccedunt in eodem loco, non dicitur ſucceſſivè eſſe in eodem loco, ſed in eodem ſemper: unde ſignanter D. Tho. ſupra relatus hoc *art.* 1. non dixit, motum localem Angeli eſſe diverſos contactus circa diverſa corpora, ſed *diverſos contactus diverſorum locorum ſucceſſivè*.

XIV. Quæres tertio. An Angelus moveri poſſit per accidens ad motum corporis, in quo eſt?

Reſpondeo affirmative cum D. Thoma 1. *p. q.* 51. *a.* 3. *ad* 3. ubi ſic ait: *Moventur tamen Angeli per accidens, motis hujuſmodi corporibus; cùm ſint in eis, ſicut motores immobilibus, & ita ſunt hìc, quod non alibi. Quod de Deo dici non poteſt. Unde licèt Deus non moveatur, motis his; in quibus eſt, quia ubique eſt; Angeli tamen moventur per accidens ad motum corporum aſſumtorum, non autem ad motum corporum Cœleſtium, etiamſi ſint in eis ſicut*

Digitized by Google

cut motores in mobilibus; *quia corpora Cæleſtia non recedunt de loco ſecundùm totum*; *nec determinatur ſpiritui moventi Orbem locus ſecundùm aliquam determinatam partem ſubſtantia Orbis*, *qua nunc eſt in Oriente*, *nunc in Occidente*, *ſed ſecundùm determinatum ſitum*, *quia ſemper eſt in Oriente virtus movens*.

Unde ſic prob. Aliquid moveri per accidens eſt moveri ad motum alterius, cui determinatè conjungitur; quâ ratione D. Tho. 3. *p. q.* 76. *a.* 6. *ad* 1. docet, Corpus Chriſti moveri per accidens ad motum ſpecierum: ſed Angelus conjungitur corpori ſicut motor mobili; ergo &c.

Reſponſio iſta procedit, ſupponendo, quòd Angelus velit perſiſtere operando in corpus, quòd movetur, etiam dum movetur. Rurſus, quòd corpus illud moveatur ſecundùm ſe totum, & non ſolùm ſecundùm partem; quâ ratione dum Angelus movet Cęlum, non movetur per accidens ad motum Cœli, quia Cęlum movetur ſolùm ſecùndum partes. Et ſi unus Angelus eſſet ſimul in duobus lapidibus, quorum unus moveretur, alius immotus maneret, unus ſurſum moveretur, alter deorſum, Angelus in illis operans, nec per accidens moveretur, & quieſceret, moveretur ſurſum, & deorſum; quia ſinguli eſſent locus inadæquatus, & Angelus ſic eſſet in uno, ut eſſet etiam in alio. Ita D. Thomas in 2. diſt. 37. q. 4. a. 1. ad 4. *nihil enim movetur per accidens moto eo in quo eſt*, *niſi definitivè ſit in eo*, *ita quòd non in alio*: *ſicut anima movetur per accidens*, *moto toto corpore*, *& non motâ manu tantùm*.

Advertendum eſt etiam; diſcrimen eſſe inter motum per accidens, quo movetur Angelus, & eum quo movetur corpus. Dum enim unum corpus per accidens movetur ad motum alterius, puta homo ad motum navis, & veſtis ad motum hominis, movetur efficienter à movente aliud corpus, motu intrinſecè in eo, quod movetur per accidens, recepto: at dum Angelus movetur per accidens moto corpore, in quo eſt, non movetur efficienter motu cauſato à movente corpus, nullumque ab eo intrinſecè recipit motum, ad eum modum, quo, motis ſpeciebus Sacramentalibus, nullum motum intrinſecum recipit Corpus Chriſti, ut docet D. Tho. 3. *p. q.* 76. *a.* 6. *ad* 1. intrinſece autem ſolùm movetur alio motu per ſe cauſato ab ipſo Angelo in corpore mutante locum; quia dum corpus in quo agit mutat locum, Angelus qui in eo operatur, incipit agere, & eſſe in alio loco. Quibus bene perpenſis reſponderi poteſt rationibus Scotiſtarum contrarium opinantium.

§. II.

Angelus moveri poteſt motu continuo, & diſcreto.

XV. Motus localis duplex eſſe poteſt, continuus, & diſcretus. Continuus, ut docet D. Thomas hâc *q.* 53. *a.* 1. eſt, quo mobile ſucceſſivè per partes deſerit terminum à quo, & per partes acquirit terminum ad quem. Diſcretus eſt, quo è contra mobile deſerit totum ſimul terminum à quo, & acquirit totum ſimul terminum ad quem.

XVI. Dico. Angelus moveri localiter poteſt utroque motu, continuo, & diſcreto. Ita D. Tho. loco citato, ubi poſtquam dixit, motum Angeli in loco nihil aliud eſſe, quàm diverſos contactus diverſorum locorum ſucceſſivè, & non ſimul, & neceſſarium non eſſe, hujuſmodi contactus eſſe continuos, pergit ſic: *Poteſt tamen in hujuſmodi contactibus continuitas quædam inveniri*: *quia* ... *nihil prohibet*, *Angelo aſſignari locum diviſibilem per contactum ſuæ virtutis*, *ſicut corpori aſſignatur locus diviſibilis per contactum ſuæ magnitudinis*. *Unde ſicut corpus ſucceſſivè & non ſimul dimittit locum*, *in quo priùs erat*, *& ex hoc cauſatur continuitas in motu locali ejus*: *ita etiam*

Digitized by Google

am Angelus poteſt dimittere ſucceſivè locum diviſibilem, in quo priùs erat. Et ſic motus ejus erit continuus. Et poteſt etiam totum locum ſimul dimittere, & toti alteri loco ſimul ſe applicare, & ſic motus ejus non erit continuus.

XVII. Ex his prima pars, quæ ab omnibus ferè admittitur, probata manet. Nam Angelum localiter moveri motu continuo, eſt non ſtatim deſerere totum terminum à quo ſuæ virtutis contactu, ſed ſucceſſivè & per partes; ſicut corpus quia contactu ſuæ magnitudinis ſucceſſivè, & per partes & non ſimul totum, dimittit locum, in quo prius erat, dicitur localiter moveri motu continuo: ſed Angelus hoc modo moveri poteſt; licèt enim contactus virtutis angelicæ (ſicut & ejus ſubſtantia) activè, & in ſe indiviſibilis formaliter ſit, nec habeat, ſicut inagnitudo, partes corrſeponden- tes partibus loci; locus tamen quem contingit diviſibilis eſt, & cùm liberè illum tangat, poteſt non unicâ contactus ſuſpenſione totum dimittere, ſed uno contactu unam partem tangere, deinde illâ dimiſsâ, aliam partem contingere, & ſic ſucceſſivè; ergo &c.

XVIII. Neque contrarium docuerat D. Tho. in 1. *diſt.* 37. *q.* 4. *a.* 1. ubi videtur negare, motum localem Angeli eſſe continuum = Nam S. Doct. ſolùm vult motum localem Angeli non eſſe, ſicut motum localem corporum, continuum ex neceſitate, ſed *ſicut conceptiones intellectus convenienter ſe habent ſine continuitate*. Unde etiam hoc *art.* 1. *q.* 53. dicit: *Hujuſmodi autem contactus* (Angelicos) *non eſt neceſſarium eſſe continuos:* non autem ſi Angelus velit, ejus motum localem continuum eſſe non poſſe, nimirum ſucceſſivè, & non ſimul dimittendo partes loci, in quo priùs erat. Quamvis hæc continuitas motus localis Angeli, æquivocè dicatur, ſi comparetur ad continuitatem motus localis corporum: ſicut & eſſe in loco, & moveri localiter Angeli hoc modo æquivocè dicitur, comparatè ad eſſe in loco, & moveri localiter corporum.

XIX. Secunda verò pars (quam negaſſe videtur Scotus, aſſerit tamen S. Tho. hâc *q.* 53. *a.* 1. laudato, & etiam ſecundo) Prob. Moveri localiter motu diſcreto eſt priorem locum totum ſimul, & non ſucceſſivè deſerere, & immediatè alium locum totum ſimul acquirere: ſed hoc poteſt Angelus &c. ergo &c. Maj. eſt D. Tho. ut ſupra. Hoc enim diſtinguit motum diſcretum, ſeu non continuum à continuo. Min. prob. Ideo corpus non poteſt ſtatim totum locum deſerere, & alterum ſtatim totum occupare, quia commenſuratur loco, & eſt totum in toto loco, & ſecundùm partes in partibus loci; & propterea diviſibilitati, & continuitati loci debet ſe accommodare. At Angelus nec loco commenſuratur, ſed totus eſt in toto, & totus in qualibet loci parte; & in tantùm ſucceſſivè, & non ſimul derelinquit locum, quia pro ſua libertate vult tangere illum non ſecundùm totum, ſed ſecundùm partes, non ſimul, ſed ſuceſſivè; ergo ſi velit priorem locum ſtatim totum deſerere, & alium ſtatim totum occupare, & tangere, poteſt.

XX. Sed dices primo. Non poteſt explicari, quando Angelus motu diſcreto moveatur: dùm enim eſt in termino à quo, nondum movetur: dùm eſt in termino ad quem, jam quieſcit.

XXI. Reſpondeo, motum localem diſcretum conſiſtere in utroque termino *à quo*, & ad *quem*, non abſolutè, & diviſim ſumtis, ſed ut dicentibus invicem ordinem ſucceſionis. Ita S.Tho. hâc q. 53. a. 1. ad 1. *ſi enim* (inquit) *motus non eſſet continuus, poſſet dici; quòd aliquid movetur, dum eſt in termino* à quo, *& dum eſt in termino* ad quem; *quia ipſa ſucceſſio diverſorum* ubi *circa eandem rem motus diceretur*. Et in 1. diſt. 37. q. 4. a. 1. ad 3. ait, quòd cùm motus Angeli localis non ſit poſitus eſſe continuus, *ideò non oportet, quòd pars illius motus ſit mo-*

tus,

Digitized by Google

tur, & ideo nec in A. movetur, nec in B. movetur, licet A. & B. ſint partes ejus; ſed ſucceſſio horum, quod eſt eſſe in A. & B. motus vocatur. Sicut planè patet ſi attendatur motus ejus, vel ſecundùm intellectum, vel ſecundùm affectum, quia ipſa ſucceſſio affectionum motus ejus dicitur. Quibus patet, naturam motus diſcreti nil aliud eſſe, quàm numerum diverſarum operationum ſibi in diverſis locis ſuccedentium, & habentium ordinem invicem. Unde ſicut numerum ſolæ unitates componunt, non abſolutè conſideratæ ſed una cum ordine ad aliam; ſic etiam motum diſcretum componunt operationes diverſæ, non abſolutè, ſed cum ordine unius ut prioris, ad alteram ut poſteriorem.

XXII. Dices ſecundò. Motus localis Angeli quamvis diſcretus debet eſſe unus: ſed ſi unicè conſiſtat in diverſis operationibus circa diverſa loca, non erit unus, quia interruptus per quietem; ergo &c. Min. prob. cùm enim Angelus in uno inſtanti deſerat totum terminum à quo, & in alio ſit in toto termino ad quem, inter iſta duo inſtantia debebit intercedere tempus medium; cùm duo inſtantia ſibi immediatè ſuccedere nequeant: ſed in hoc tempore medio quieſceret motus; ergo eſſet per hanc quietem interruptus, & non unus.

XXIII. Reſpondeo neg. min. ad ejus prob. nego maj. nam licèt in tempore noſtro duo inſtantia non poſſint ſibi immediatè ſuccedere, eſt enim unum per continuitatem; benè tamen in tempore diſcreto, & Angelico, quo motus diſcretus, & operationes liberę Angeli menſurantur. Nam tempus illud nihil aliud eſt, quàm indiviſibilium durationum, ſeu inſtantium numerus. Sed de hoc inferiùs aliqua dicentur.

§. III.

De tranſitu Angeli ab uno ad aliud extremum non tranſeundo per medium.

De motu locali, tùm continuo, tùm diſcreto procedere Quæſtio poteſt: an ſcilicet Angelus poſſit tranſire de uno ad alium locum, puta de Cœlo in terram, non tranſeundo loca intermedia.

XXIV. Dico. Si Angelus moveatur motu continuo non poteſt tranſire de extremo ad extremum, quin tranſeat per loca intermedia, benè tamen ſi moveatur motu diſcreto. Utramque partem docuit S. Thomas tùm hàc *q.* 53. *a.* 2. tùm in 1. *diſt.* 37. *q.* 4. *a.* 2. Prior pars eſt communis, & probatur ex eodem S. Doctore. Nam ut habetur in 6. Phyſ. text. 77. *medium eſt, in quod prius venit, quod continuè mutatur, quàm, in quod mutatur ultimum.* Et ratio eſt: quia ordo prioris, & poſterioris in motu continuo eſt ſecundùm ordinem prioris, & poſterioris in magnitudine; ergo motus, qui ſit continuus debet ab uno extremo per omnia media pertranſire ad aliud extremum, aliàs non eſſet continuus.

XXV. Secunda verò pars, cui omnes ferè à Schola D. Tho. alieni contrariantur, probatur. Angelus cùm ſit in loco per liberam ſuæ virtutis applicationem, quâ in aliquo corpore operatur, tranſit de uno ad alium locum; quia deſinens operari in in uno corpore, vel unâ parte corporis, incipit operari in alio corpore, vel in alia corporis parte: ſed poteſt Angelus deſinere operari in parte extrema, & incipere operari in alia extrema, quin operetur in mediis; quia Angelus in operando non dependet à corpore, aut loco, ſive à conditionibus loci, neque à loco continetur, aut circumſcribitur, ſed ſuâ voluntate ex locis intra ſuæ activitatis

tis con'entis ſibi præfigit, & circumſcribit locum, in quo operetur, & ſit; ergo &c. Si enim Angelus quia independens à loco, & conditionibus loci poteſt operari in duobus extremis v. g. aulæ, quin operetur in medio, ſeu in partibus mediis aulæ; cur non poterit deſinere operari in uno extremo ejuſdem aulæ, & incipere operari in alio extremo, quin priùs operetur in partibus mediis?

XXVI. Confirmatur. Quia Corpus Chriſti eſt in Hoſtia non ad modum, quo corpus eſt in loco, ſed ad modum, quo ſubſtantia eſt ſub accidentibus, ſeu modo elevatiori, & indiviſibili, poteſt deſinere eſſe in extrema parte unius Hoſtiæ, & incipere eſſe in altera Hoſtiæ parte, quin exiſtat in partibus mediis, ſi illa corrumpatur, & hæc conſecretur, non conſecratis partibus mediis; & deſinere eſſe ſub una hoſtia poſita in altari, ſi hæc conſumatur, & incipere eſſe ſub alia in eodem altari poſitâ ſi hæc conſecretur, non incipiendo exiſtere in aliis hoſtiis mediis, ſi non conſecrentur, quia Corpus Chriſti ibi eſt per conſecrationem, & converſionem panis in ipſum: ſed etiam Angelus in loco eſt per applicationem ſuæ virtutis, quam applicare poteſt extremis, quin applicet in mediis; ergo poterit etiam ceſſare ab ea applicanda uni extremo, & eam applicare alteri extremo, quin eam applicet mediis, & ſic tranſire de loco extremo ad extremum, quin loca media percurat.

Audiendus eſt D. Tho. Quolib. 1. a. 5. *Corpus* (inquit) *eſt in loco, ſicut contentum ab eo, & ideo oportet, quòd in movendo ſequatur loci conditionem, ut ſcilicet pertranſeat media, priùs quàm ad extrema loci perveniat. Sed cùm Angelus ſit in loco per contactum virtutis, non ſubditur loco, ut contentus ab eo: ſed magis continet locum ſuâ virtute ſupereminens in loco. Unde non habet neceſſe, ut ſequatur in ſuo motu conditiones loci, ſed voluntati ſuæ ſubeſt, quod applicet ſe per contactum virtutis huic loco & illi, & ſi vult, abſque medio: ſicut etiam intellectus poteſt applicari intelligendo uni extremo, puta albo, & poſtea nigro, indifferenter vel cogitando, vel non cogitando de mediis coloribus, quamvis corpus ſubjectum colori non poſſit moveri de albo in nigrum, niſi per medium.* Quæ doctrina valde notanda eſt.

XXVII. Secundò probatur ratione D. Thomæ hâc *q. 53. a. 2.* Motus diſcretus fit per numerationem omnium partium, quas pertranſit, ad differentiam motus continui; ergo mobile, quod movetur, non tranſit omnia media; cùm enim in continuo ſint infinitæ partes proportionales, & communicantes, ſicut infinita indiviſibilia, ut oſtendunt phyſici, ſi mobile motu diſcreto tranſiret omnia media, numeraret finitas partes infinitè: ſed infinita numeratio eſt impoſſibilis; ergo &c. Unde concludit S. Doct. *Sic ergo mobile quodcumque moveatur motu non continuo, ſequitur, quod vel non tranſeat omnia media; vel quòd actu numeret media infinita, quod eſt impoſſibile. Sic igitur ſecundùm quòd motus Angeli non eſt continuus, non pertranſit omnia media.* Neque eſt ſimile de motu continuo; quia partes motus continui non ſunt actu numeratę, eſto enim ſint infinitæ potentiâ, quia tamen actu non numerantur, poſſunt pertranſiri.

XXVIII. Sed dices primò. D. Thomas hoc a. 2. ad 2. ut reſpondeat objectioni quæ probare intendebat, quòd ſicut anima poteſt cogitare de duobus extremis, puta de Gallia, tranſeundo ad cogitandum de Syria, nihil cogitando de medio, puta de Italia; ita Angelus, qui perfectior eſt, multò magis poteſt de uno tranſire ad aliud extremum non tranſeundo per medium. Reſpondet, inquam, negando paritatem, *quia*, dicit, *dum Angelus movetur localiter, applicatur ejus eſſentia diverſis locis: anima autem eſſentia non applicatur rebus, quas cogitet, ſed potiùs res cogitata ſunt in ipſa, & ideò non eſt ſimile*; ergo ſentit, Angelum non

non poſſe tranſire de loco ad locum, quin tranſeat per medium.

XXIX. Reſpondetur, diſt. conſequ. Angelus non poteſt &c. dum movetur motu continuo, co. conſ. dum movetur motu diſcreto, nego conſequentiam. In hoc ergo ſtat diſcrimen, quòd anima dum cogitat cogitatione etiam continuâ, poteſt cogitare de locis extremis, non cogitando de loco medio; quia animæ eſſentia *non applicatur rebus, quas cogitat, ſed potiùs res cognitæ ſunt in ipſa*. Angelus autem, dum movetur motu continuò, quia movetur applicando ſuam eſſentiam ſucceſſivè per partes loci, non poteſt ab extremo tranſire ad extremum, relicto medio. Cæterùm poſſe Angelum motu non continuo tranſire de extremo ad extremum relicto medio, affirmat D.Th. in eodem articulo, & ejus rationes adduximus.

XXX. Dices ſecundò. Anima rationalis non poteſt informare partes extremas corporis, quin informet intermedias; ergo nec Angelus poteſt applicare eſſentiam ſuam locis extremis, quin eam applicet loco medio.

XXXI. Reſpondetur, diſparitatem eſſe; quia anima unitur corpori ut forma neceſſariò, & dependenter à diſpoſitionibus, inter quas præcipua eſt partium continuatio, & colligatio; unde ſi non animaret medias, nec animare poſſet partes extremas. At Angelus unitur loco, ut agens paſſo, liberè, neque ullas requirens in eo diſpoſitiones: unde ſi velit tangere motu diſcreto partes extremas, & non medias, poteſt.

Neque cum ratione pugnat, quòd aliquid ſit hic, & poſtea alibi, quin fuerit in medio. Eſto enim excedat ſeu, ſi velis, pugnet cum imaginatione, quæ ſupra corporalia non aſcendit, cum ratione tamen non pugnat. Unde D. Thomas in 4. diſt. 45. qu. 1. a. 1. quæſtiunc. 1. ad 1. ait: *Incorporalia non ſunt in loco modo aliquo noto nobis, & conſueto; ſecundùm quòd dicimus, corpora propriè in loco eſſe; ſunt tamen in loco modo ſubſtantiis ſpiritualibus conveniente, qui nobis plenè manifeſtus eſſe non poteſt*. Imaginatio enim noſtra non tranſcendit continuum.

XXXII. Replicabis. Nedum imaginationi, ſed rationi repugnat tranſire de futuro in præteritum, niſi per præſens; ergo pariter repugnabit tranſire de loco A. ad locum B. diſtantem, niſi per medium. Et ratio eſt: quia non poteſt concipi motus, niſi concipiatur *moveri* ante mutatum eſſe; ergo niſi concipiatur medium inter terminum à quo, & terminum ad quem; quia dum mobile eſt in termino à quo, nondum movetur; dum eſt in termino ad quem, jam mutatum eſt.

XXXIII. Reſpondeo, neg. conſ. Nam temporis differentiæ ordinem eſſentialem habent inter ſe, quem non habent partes loci. Nam non poteſt aliquid eſſe ſimul præteritum, & futurum, poteſt tamem Angelus ſimul eſſe in loco A. & in loco B. ſi intra locum ejus adæquatum contineantur: imò, & corpus in pluribus locis diſtantibus, ut Contrarii volunt; & cùm Deus ponit corpus in diverſis locis, non dicitur eſſe nec tranſire per media. Corpus Chriſti etiam, etſi non per motum localem, verè tamen in Cœlo eſt, & in Hoſtia, imò in pluribus Hoſtiis, quin ſit in locis mediis. At unum tranſire de futuro in præteritum, quin fuerit præſens, repugnat notioni futuri, & præteriti; quia futurum eſt id, quod aliquando erit præſens; & præteritum, quod aliquando fuit præſens. Addo quòd differentiæ temporis ſunt menſura rerum: at locus non eſt menſura ſpiritus, qui nec à loco, nec à conditionibus loci pendet, ſed è contra.

Ad id; quod additur, reſpondit jam D. Tho. hâc q. 53. a. 2. ad 3. dicens antecedens eſſe verum in motu continuo, non in motu diſcreto. Nam *in motu continuo mutatum eſſe non eſt pars moveri* (ſeu motus) *ſed terminus; unde oportet, quòd moveri ſit ante mutatum eſſe: & ideò oportet, quòd talis motus ſit per medium. Sed in motu non*

continuo mutatum eſſe eſt pars, ſicut unitas eſt pars numeri. Unde ſucceſſio diverſorum locorum etiam ſine medio conſtituit talem motum.

XXXIV. Dices tertiò. Saltem corpus tranſire non poteſt de loco ad locum, niſi per medium: ſed ſi Angelus id poſſet, poſſet & corpus. Nam ſi Angelus motu diſcreto ſe movens, lapidem ferat, lapis ille movebitur motu diſcreto Angeli, & proinde de loco ad locum non pertranſeundo medium; ergo &c.

Reſpondeo, neg. min. Nam in caſu quo Angelus lapidem ferret, non moveretur motu diſcreto, ſed continuo, nimirum per accidens motu continuo lapidis.

XXXV. Dices quartò. Angelus tenetur ſequi ordinem ab Auctore naturæ præfixum: ſed hic eſt ordo ſitualis, ut una res habeat ſitum in Univerſo poſt aliam; ergo Angelus hunc ordinem ſervare debet in ſuo motu locali.

Reſpondeo, diſt. conſequens. Ita ut iſtum ordinem, qui eſt in rebus materialibus immutare non poſſit, faciendo, quòd una res, ſeu elementum occupet locum alterius, puta terra locum aquæ, aqua locum aeris, aer locum ignis, quòd gravia ſurſum, & levia deorſum tendant, conc. conſequentiam; hoc enim eſſet naturæ ordinem invertere. Ita ut ſecundum iſtum ordinem coexiſtere, & operari debeat, nego conſeq. hic enim ordo eſt præfixus quidem agentibus corporeis, quæ in operando legibus ſitus adſtricta ſunt; non tamen virtuti Angelicæ, quæ ab omni ſitu, & legibus ſitualibus abſoluta poteſt, ſi vult, agere legibus ſitus non ſe alligando: ſed à quocumque tranſire ad agendum in quodcumque corpus in Vniverſo clauſum, medio relicto, ſi intra ſphæram ſuæ activitatis contineatur; ſive etiam, ut probabiliter ſentiunt multi, quantumcumque ſit diſtans.

§. IV.

An motus localis Angeli perfici poſſit in uno inſtanti?

XXXVI. Dico. Motus localis Angeli ſive continuus ſit, ſive diſcretus non poteſt unico inſtanti compleri. Ita D. Thomas hìc *qu.* 53. *art.* 3. & *in* 1. *diſt.* 37. *qu.* 4 *art.* 3. Loquitur autem de motu, qui eſt inter duos terminos poſitivos, non de ſimplici mutatione, quæ habet terminum purè negativum, & non eſt motus, ſed potius terminus motus; ſicut illuminatio, quæ eſt terminus motus corporis illuminantis, & generatio, quæ eſt terminus alterationis: has enim eſſe inſtantaneas, nemo non videt; terminus enim motus eſt mutatum eſſe, hoc autem in inſtanti eſt. Loquitur ergo de motu, ut à ſimplici mutatione diſtincto.

XXXVII. Motum hunc itaque unico inſtanti non poſſe perfici, probat ſic. Id, in quo aſſignari neceſſariò debent duo nunc, unum in quo ultimò fuit, aliud in quo primò eſt, unico inſtanti perfici non poteſt; quia *ubi ſunt multa, ibi de neceſſitate eſt tempus, cùm tempus nihil aliud ſit, quàm numeratio prioris, & poſterioris in motu:* ſed in motu locali etiam angelico ſive continuo, ſive diſcreto debent aſſignari duo ſaltem inſtantia, unum, in quo ultimò fuit in loco præcedenti, aliud in quo primò eſt in loco poſteriori; ergo motus localis Angeli non in inſtanti indiviſibili perficitur, ſed in tempore. *In continuo quidem tempore* (ait D. Thom. hìc) *ſi ſit motus ejus continuus: in non continuo autem ſi motus ſit non continuus.* Et proſequitur: *Sed iſtud tempus, ſive ſit tempus continuum, ſive non, non eſt idem cum tempore, quod menſurat motum Cœli, & quo menſurantur omnia corporalia, quæ habent mutabilitatem ex motu Cœli. Motus enim Angeli non dependet ex motu Cœli.* Operationes autem angelicæ

ex conſtituunt tempus continuum, quando continuè ſibi ſuccedunt, & operantur ſe proportionando ad continuitatem ſpatii: conſtituunt autem tempus diſcretum, quando ſuccedunt ſibi diſcretè, ſicut unitates componunt numerum.

XXXVIII. Hoc explicat S. Doct. in 1. *diſt.* 37. *qu.* 4. *art.* 3. citato, ſic. *Cùm motus Angeli non ſit* (ex neceſſitate) *continuus, quia non eſt ſecundùm neceſſitatem magnitudinis conditiones habens, per quam tranſit, ſicuti eſt in illis, quæ ſunt ſic nata in loco eſſe, ut eorum ſubſtantia ſit commenſurata terminis loci, ſcilicet corporibus; ſed per ſucceſſionem operationum, in quibus nulla eſt ratio continuitatis: ideo tempus illud non eſt continuum, ſed eſt compoſitum ex nunc ſuccedentibus ſibi; ut numerus ipſarum operationum ſuccedentium ſibi tempus* (diſcretum) *vocetur: ſicut ipſa ſucceſſio operationum dicitur motus; & quot ſunt operationes, ex quibus componitur motus ſecundùm diverſa loca, tot erunt nunc, ex quibus componitur tempus.*

Ex his conficitur alia ratio. Motus continuus dicit ſucceſſionem operationum in Angelo ſe ſe accommodante ad continuitatem ſpatii, in quo operatur, & quod pertranſit; motus verò, diſcretus dicit ſucceſſionem operationum ſecundùm numerum ſibi ſuccedentium; ergo uterque motus ex ſua ratione dicit ſucceſſionem, ac prius & poſterius: ſed prius & poſterius, & ſucceſſio in operationibus dicit eſſentialiter, plura *nunc* ſibi ſuccedentia; in unico enim nunc, utpote prorſus indiviſibili, nequit numerus operationum ſibi ſuccedentium ſalvari, ſicut nec in una unitate numerus; ergo &c.

XXXIX. Adverto tamen primò, non negare hìc S. Doctorem, quin receſſus Angeli à termino *à quo* poſſit eſſe in inſtanti, ſicut & acceſſus ejuſdem ad terminum *ad quem:* ſed velle ſolùm, quòd hujuſmodi receſſus, & acceſſus, in quo conſiſtit motus localis, non poſſit fieri in unico inſtanti, ſed quòd talis tranſitus duo ſaltem requirat inſtantia.

Secundò adverto, non negare, quin Angelus, dùm totaliter relinquit locum, celerrimè poſſit ſe collocare in alio, ſive altiſſimo, ſive diſtantiſſimo. Imò 1. *p. q.* 113. *a.* 6. *ad* 3. quod Angelus Cuſtos *etiam cum eſt in Cœlo cognoſcit, quid circa hominem agatur; nec indiget morâ temporis ad motum localem, ſed ſtatim poteſt adeſſe.* Et hìc ad 3. ait, quòd ſi moveatur non continuò, *Angelus in uno inſtanti poteſt eſſe in uno loco, & in alio inſtanti in alio loco, nullo tempore intermedio exiſtente.*

XL. Dices primò. Tertullianus *Apologet. cap.* 22. de Angelis, & Dæmonibus: *Omnis* (inquit) *ſpiritus ales eſt. Hoc Angeli, & Dæmones. Igitur momento ubique ſunt. Totus orbis illic locus unus eſt &c.*

Reſpondeo, ut ſupra dixi, hanc eſſe emphaſim Tertulliani ad exprimendam Angeli in motu locali celeritatem, quæ tanta eſt, ut momento videatur ubique adeſſe, & totus mundus eſſe illi unus locus; unde ſubdit: *Velocitas divinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur.* Hinc miram Angeli in motu velocitatem exponens Scriptura, modò eos vocat ventos, modò flamam ignis, ignem urentem, modò rotas igneas &c. imò ad eandem declarandam *Sap.* 8. *v.* 12. de Angelo, qui tranſiens per domos Egyptiorum, eorum primogenita exterminavit, dicitur: *Uno momento, qua erat præclarior natio illorum, exterminata eſt.* Sed hæc, & ſimilia indicant quidem, motum localem Angeli eſſe celerrimum, non tamen inſtantaneum. Quare Hieronymus *l. adversùs Vigilantium* dicentem animas Martyrum, vel ſubtus aram Dei, vel in ſinu Habrahæ conſidere, nec de ſuis tumulis exire poſſe, ſic inſurgit: *Quùm Diabolus, & Dæmones toto vagentur in Orbe, & celeritate nimiâ ubique præſentes ſint, Martyres poſt effuſionem ſanguinis ſui areâ operientur incluſi, & inde exire non poterunt?*

terunt? & Nazianz. *Orat.* 34. circa finem de intelligentibus Virtutibus agens: *loca*, inquit, *omnia peragrant*, *omnibus ubique impigræ adſunt*, *tùm ob miniſterij promtitudinem*, *tùm ob naturæ levitatem*.

XLI. Sed inſtabis. Velocitas motus localis angelici excedit ſine proportione velocitatem motus corporis pertranſeuntis idem ſpatium: ſed ſi motus Angeli non fiat in inſtanti, ſed in tempore, non excedet motum corporis, ſine proportione, quia inter quælibet duo tempora finita datur proportio; ergo &c.

Rurſus: Angelus, cùm ſit prorſus ſpiritualis, longè velocior eſt luce corporea: ſed lux corporea in inſtanti pervadit omne aeris ſpatium; ergo multò magis Angelus.

XLII. Reſpondetur, neg. min. excedit enim motus localis Angeli motum localem corporis ſine proportione, ſed intra ſpeciem motus, de cujus ratione eſt, quod ſucceſſivè fiat, & non in inſtanti, ut probatum eſt. Exceſſus ergo motus localis Angeli ſtat in hoc, quòd poſſit Angelus moveri in minori, ac minori temporis morâ, quàm fieri poſſit motus corporis: cùm autem tempus ſit infinitè diviſibile, conſequens eſt, quòd ſemper poſſit Angelus majori, & majori velocitate moveri, quàm corpus. Imò ſic diſcurro. Sicut motus localis Angeli excedit motum localem corporis; ita motus localis Angeli ſuperioris excedit motum localem Angeli inferioris: ſed ſi motus localis Angeli fieret in inſtanti, non eſſet locus iſti exceſſui; quia cùm inſtans indiviſibile ſit, ſi motus omnes angelici eſſent inſtantanei, non daretur exceſſus inter illos. Ut ergo detur locus exceſſui, dici debet, quod motus angelicus fiat in tempore, & quòd ſicut Angelus ſuperior in minori tempore perficit ſuum motum, quàm inferior; ita in minori ſine proportione illum perficiat, quàm corpus.

Neque inferas, Angelum fore virtutis motivæ infinitæ, ſi poteſt in majori, & majori velocitate in infinitum excedere motum localem corporis: ſicut arguimus, virtutem infinitam in Deo, quia poteſt perfectiores & perfectiores effectus in infinitum producere; & è contra, quia lumen gloriæ eſt finitum, negamus, poſſe viſionem perfectiorem, & perfectiorem in infinitum producere.

Nam nego illatum: quia tunc ſolùm potentia ad producendum effectum perfectiorem, & perfectiorem, debet eſſe ſimpliciter infinita, quando effectus perfectior &c. requirit in cauſa perfectiorem, & perfectiorem virtutem; ut contingeret in Lumine gloriæ, ſi poſſet intenſiorem, & intenſiorem viſionem Dei efficere; & contingit in potentia Dei, quæ proinde infinita eſt, quià poteſt effectus in infinitum producere, non ſolo numero diſtinctos, ſed in perfectione ſpecificâ invicem ſe excedentes. At quod motus localis poſſit creſcere ad majorem, & majorem velocitatem, ſeu in minori, & minori tempore fieri uſque in infinitum, cùm non arguat majorem, & majorem virtutem in potentia motiva, indicat quidem, eam eſſe ſuperioris ordinis in movendo, ſed non eſſe infinitam actu, & ſimpliciter, ſed in potentia ſolùm: ſicut infinita ſolùm in potentia, & non actu eſt illa potentia, quæ poteſt plura, & plura individua intra eandem ſpeciem in infinitum producere. Unde D. Thom. 1. *p. q.* 25. *a.* 2. *ad* 3. docet, potentiam Dei non ſe manifeſtare actu infinitam, per hoc, quòd movere poſſit velocius, & velocius in infinitum, ſi moveat in tempore; manifeſtaret quidem ſeipſam actu infinitam, ſi cauſaret motum, ſeu ſi moveret in inſtanti.

Unde arguo ſic. Si Angelus localiter moveretur in inſtanti, ejus virtus motiva eſſet actu infinita: ſed virtus motiva Angeli eſt actu finita; ergo &c. Maj. prob. ex doctrina D. Thomæ relati. Tunc virtus motiva eſſet actu infinita, quando moveret improportionabi-

nabiliter citiùs, quàm quælibet virtus motiva finita: ſed ſi Angelus moveretur in non tempore, ſeu in inſtanti, moveretur improportionabiliter citiùs, quàm quælibet virtus motiva finita; quia eſto inter moveri citiùs, & citiùs in tempore detur proportio, inter moveri tamen citiùs in tempore, & moveri in inſtanti, nulla proportio datur. Et ecce alteram rationem pro noſtra concluſione.

XLIII. Ad id, quod additur, diſt. min. lux &c. pervadit &c. per motum localem, neg. min. per ſimplicem mutationem, conc. min. Cùm enim lux corporea non ſit corpus, non pervadit univerſum aerem per motum localem, ſed per ſimplicem diffuſionem, & mutationem, quæ non eſt motus, ſed terminus motus. Unde D. Thom. hâc q. 53. a. 3. ad 2. *Illuminatio* [inquit] *eſt terminus motus, & eſt alteratio, non motus localis; ut intelligatur, lumen moveri priùs ad propinquum, quàm ad remotum. Motus autem Angeli eſt localis, & non eſt terminus motus.*

XLIV. Dices ſecundò. Motus localis Angeli nihil aliud eſt, quàm acquiſitio loci: ſed Angelus acquirit locum in inſtanti; ergo &c.

Reſpondeo, negando maj. Nam cùm Angelus fuit primò productus, acquiſivit locum; & tamen illa loci acquiſitio non fuit motus localis, ſicut nec eſſet, ſi nullibi antea exiſtens locum acquireret. Motus ergo localis eſt acquiſitio unius loci, & derelictio alterius: hæc autem duo, duo ſaltem inſtantia petunt, ut perficiantur.

XLV. At replicabis. Poteſt in eodem inſtanti eſſe acquiſitio unius loci, & derelictio alterius; ergo &c. ant. prob. quando aliquid in inſtanti acquiritur, in eodem inſtanti aliud ei oppoſitum derelinquitur. Sic in eodem inſtanti, quo forma eſt in materia, tollitur ejus privatio; & in eodem momento, quo aer illuminatur, tenebræ tolluntur; ergo &c.

XLVI. Reſpondetur, neg. ant. ad ejus prob. dico, antecedens eſſe verum, quando acquiſitio fit per ſimplicem mutationem, quæ eſt à termino à quo negativo, vel privativo, ut in exemplis allatis. Falſum tamen eſſe, quando acquiſitio, eſto fiat in inſtanti, eſt tamen terminus motus propriè dicti, qui eſt inter duos terminos poſitivos, ut eſt in Angelo tranſeunte ab uno ad alium locum: tunc enim ad tollendum contrarium, ſive ad vincendam latitudinem, & diſtantiam, quæ eſt inter duos illos terminos poſitivos, requiritur ſucceſſio ſeu tempus, vel continuum, vel diſcretum. Nam dum eſt in termino à quo, incipit quidem, ſed nondum eſt in termino ad quem; & dum eſt in termino ad quem, jam non eſt, ſed antea fuit in termino à quo. Quapropter eſſentia motus, quæ eſt tranſitus de uno poſitivo ad aliud, petit, ut non in uno, ſed in duobus ad minus inſtantibus fiat, in quorum uno deſinat eſſe in uno loco, & in altero incipiat eſſe in alio: & ſic in conjunctione horum duorum inſtantium, quorum unum ſuccedit alteri, conſiſtit motus angelicus. Quod uſque adeò verum eſt, ut etiamſi Angelus localiter moveretur in vacuo, adhuc non in unico inſtanti moveretur; eſſentiâ motus ſic petente, quæ eſſentialiter, in ſucceſſione conſiſtit. Sed hæc ſatis.

QUÆSTIO IV.

De quidditate, medio, & modo angelicæ cognitionis.

Angelum eſſe naturâ cognoſcitivum certum eſt. Cùm enim ex ſuperiùs dictis immaterialis ſit, & purus ſpiritus: cùmque natura immaterialis debeat eſſe cognoſcitiva, (unde probavimus, Deum, qui in ſummo immaterialitatis eſt, eſſe quoque in ſummo intellectualitatis) extra quæſtionem eſſe debet, Angelum eſſe naturæ intellectivæ. Hoc ergo ſuppoſito, reſtant examinanda primò quidditas intellectus angelici, de qua Divus

Digitized by Google

vus Thomas hâc qu. 54 pertractat. Secundò de medio; de quo agit qu. 55. Et tertiò de modo cognitionis; de quo qu. 58. ſermonem facit.

DUBIUM I.

An Angeli ſubſtantia ſit ſuum intelligere; an intelligere ſit ſuum eſſe; & an ſit ſua virtus operativa?

§. I.

Reſolutio primæ partis.

I. Dico. Subſtantia Angeli non eſt ſuum intelligere, ſed intelligere Angeli à ſubſtantia ejus realiter diſtinguitur. Ita D. Thomas hâc *qu.* 54. *art.* 1. Sumitur hìc intelligere pro actione, ſeu actu ultimo, vel exercitio actuali intelligendi: ſi enim ſumatur pro principio radicali intelligendi, ſic intelligere, ſeu veriùs, eſſe naturæ intellectivæ, eſt ſubſtantia, ſeu eſſentia Angeli. Oppoſitum viſus eſt cenſuiſſe Averroes 12. *Metaph. text.* 51. volens, quòd in ſubſtantiis ſeparatis ſubſtantia, & operatio non diſtinguantur. Cui ex parte adhæſit Durandus in 2. *diſt.* 3. *qu.* 5. *ad* 1. aſſerens, quòd eſto intellectio, quâ Angelus intelligit alia à ſe, realiter ſit diſtincta à ſubſtantia ejus, non tamen intellectio, quâ ſeipſum intelligit.

II. Probat autem D. Thom. communem ſententiam. Primò. Si ſubſtantia Angeli eſſet ſua intellectio, eſſet actus purus; identificaret enim ſibi ultimam actualitatem de linea perfectiſſima, qualis eſt linea intellectiva, nihilque haberet potentialitatis admixtum: non enim eſſet in potentia ad ſubſiſtentiam, vel exiſtentiam, aut alios actus; quia ſi identificaret ſibi, quòd eſt remotius, nempè actu intelligere, multò magis ſibi identificaret, quod eſt propinquius, & intimius, nempè eſſe, & ſubſiſtere: Et etiam, quia ſi careret potentialitate in linea intellectiva, quæ perfectiſſima eſt, non eſt, cur non careret in aliis lineis: ſed impoſſibile eſt, aliquam creatam ſubſtantiam eſſe actum purum; ergo &c.

III. Secunda ratio D. Thom. eſt iſta. Si intelligere Angeli eſſet ſua ſubſtantia, jam intelligere Angeli eſſet ſubſiſtens, intelligere autem ſubſiſtens non poteſt eſſe niſi unum, ſicut nec aliquod abſtractum ſubſiſtens; ergo ſubſtantia Angeli eſſet una, nec diſtingueretur à ſubſtantia Dei, quæ pariter eſt ſuum intelligere, nec à ſubſtantia alterius Angeli. Quod enim eſt abſtractum ab omni limitativo, tam formali, quàm materiali, non poteſt eſſe niſi unum, ut patet in Deo; unde ſicut eſt unus Deus, ita eſſet unus Angelus, non ſolùm numero, ſed ſpecie.

IV. Ex quo ſequitur tertia ratio, nimirùm, quòd ſi ſubſtantia Angeli eſſet ſuum intelligere, & hoc eſſet unum, non daretur ampliùs in Angelis major, vel minor perfectio in participanda ratione intellectualitatis; quia ille unus Angelus, cujus intelligere eſſet per ſe ſubſiſtens, totam intelligendi perfectionem haberet: ſicut quia Deus eſt eſſe per ſe ſubſiſtens, habet, ſeu veriùs, eſt tota eſſendi perfectio.

V. Probo ulteriùs alia ratione ex S. Auguſt. *lib.* 11. *de Civit. Dei c.* 10. ſic. Subſtantia, quæ vel poteſt amittere intellectionem, vel in qua aliud eſt habens, aliud id quod habet, non eſt realiter ſua intellectio, ſed aliud à ſua intellectione: ſed ſubſtantia Angeli poteſt amittere intellectionem, & de una in aliam intellectionem tranſire, ac in ea aliud eſt habens intellectionem, & aliud ipſa intellectio, quæ habetur; ergo &c. Majorem probat S. Aug. à exemplo. *Sicut*, (inquit) *vas aliquem liquorem* (habet) *aut corpus colorem, aut aer lucem, ſive fervorem*,

verem, aut anima ſapientiam. Nihil enim horum eſt id, quod habet; namque vas liquor eſt, nec corpus color, nec aer lux, ſive fervor, neque anima ſapientia eſt. Ex quo infert, quod omnia præfata privari poſſunt eo, quod habent, & in alios habitus, & qualitates verti, atque mutari; *ut vas evacuetur humore, quo plenum eſt, & corpus decolbretur, & aer tenebretur, & anima deſipiat.* Quòd ſi non poſſit amittere, ut corpus poſt reſurrectionem non poterit amittere incorruptibilitatem, ſicut nec anima Sapientiam; adhuc tamen & corpus diſtinguetur ab incorruptione, & aliud eſt corpus, aliud incorruptio: quia corpus diviſibile eſt, incorruptio indiviſibilis, nec eſt magis incorruptibilis pars major, puta manus, quàm pars minor, puta digitus. *Anima quoque ipſa, etiamſi ſemper ſit ſapiens, ſicut erit cum liberabitur in aeternum; participatione tamen incommutabilis Sapientiæ ſapiens erit, quæ non eſt quod ipſa. Neque enim ſi aer infusâ luce nunquam deſeratur, ideò non aliud eſt ipſe, aliud lux, quâ illuminatur.* Ita acutè S. Auguſtinus.

VI. Inſuper lib. 6. de Trinit. c. 6. *In anima,* (inquit) *cùm aliud ſit artificioſum eſſe, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud lætitia, aliud triſtitia; poſſintq; & alia ſine aliis, & alia magis, alia minùs innumerabilia, & innumerabiliter in anima natura inveniri, manifeſtum eſt, non ſimplicem, ſed multiplicem eſſe naturam, nihil enim ſimplex mutabile eſt; omnis autem creatura mutabilis.* Cùm ergo in Angelo non fuerit, nec ſit ſemper eadem cognitio, cùm de novo multa cognoverit, maximè ad ordinem gratiæ, pertinentia; cùmque ejus amor variatus fuerit, maximè in Angelis pravis, in quibus de bono mutatus fuit in pravum, conſtat in Angelis aliud eſſe cognitionem, & amorem, aliud eorum ſubſtantiam.

§. II.

Reſolutio ſecundæ, ac tertiæ partis.

VII. Dico ſecundò. Intelligere, ſeu actio Angeli, vel cujuſcumque creaturæ non eſt ejus eſſe. Ita D. Tho. hoc a. 2. cujus ratione probatur ſic. Primò. Intelligere Angeli eſt motus ejus: ſed eſſe Angeli, non eſt motus; ergo eſſe Angeli non eſt intelligere ejus. Secundò. Duplex eſt actionis genus. Unius *quæ tranſit in aliquid exterius, inferens ei paſſionem, ſicut urere, & ſecare.* Alterius, *quæ non tranſit in rem exteriorem, ſed magis manet in ipſo agente, ſicut ſentire, intelligere, & velle; per hujuſmodi enim actionem non immutatur aliquid extrinſecum, ſed totum in ipſo agente agitur.* Sed neutra ex his actionibus poteſt eſſe ipſius Angeli *eſſe*, aut cujuſlibet alterius creaturæ; ergo &c. minorem probat D. Tho. 1. de actione tranſeunte. Nam eſſe agentis ſignificatur intra ipſum manens: ſed actio tranſiens eſt effluxus ab agente in paſſum; ergo non eſt *eſſe* agentis. Secundò. De actione immanente, puta intelligere, & ſentire. Nam hæc habet quoddam eſſe indeterminatum, & quoddammodo infinitum; & poteſt ad plura ſe habere, & ab eis ſpeciem ſumere: intelligere quidem, ab omni intelligibili, ſeu ab omni ente; ſentire verò ab omni ſenſibili. Unde tam intelligere, quàm ſentire quandam habent illimitationem, cùm poſſint fieri omnia, nempè intelligere, omnia prorsùs intelligibilia ſeu entia, & ſentire, omnia ſenſibilia: ſed *eſſe* Angeli, & cujuſcumque creaturæ eſt determinatum ad unum ſecundùm genus, & ſecundùm ſpeciem, ſolùm enim *eſſe* Dei omnia ſimpliciter comprehendit; ergo *eſſe* Angeli, ſeu cujuslibet creaturæ non eſt ſua actio ſive tranſiens, ſive in agente manens.

VIII. Dices primò. *Vivere viventibus eſt eſſe* (ut dicitur 2. de Anima text.

Digitized by Google

text. 37.) ſed intelligere eſt quoddam vivere; ergo &c.

Reſpondeo ex D. Thom. ibi *ad* 1. diſtingu. maj. vivere ſumtum pro ipſo eſſe viventis, ſeu pro principio radicali vivendi, co. ma. Sumtum pro operatione vitæ, quâ demonſtratur, aliquid eſſe vivens, nego maj. Sic enim vivere non eſt ipſum, viventis *eſſe*, ſed ipſum demonſtrat è poſteriori. Quare Philoſophus ibi diſtinguit diverſos gradus viventis ſecundùm diverſa opera vitæ.

IX. Dices ſecundò. Forma, per quam Angelus intelligit ad minus ſeipſum, eſt eadem cum forma, quâ Angelus eſt; ut enim dicemus intelligit ſeipſum per ſuam ſubſtantiam; ergo ejus intelligere eſt idem cum ſua forma, ac cum ſuo eſſe.

Reſpondeo ex eodem ad ſecundum, diſt. ant. eſt eadem &c. ſecundùm diverſam rationem, co. ant. ſecundùm eandem rationem, nego ant. Ipſa enim eſſentia Angeli eſt ratio totius ſui eſſe (non quidem ratio formalis, ſed ratio ſpecificans, quia *eſſe* quod ſecundùm ſe vagatur per omnia genera, & ſpecies, determinatur ad ſpeciem Angeli per eſſentiam Angeli) non tamen ratio totius ſui intelligere; quia non omnia per ſuam eſſentiam intelligere poteſt, nec omne ſuum intelligere ſpecificat. Unde non ſequitur, quòd hâc ratione intelligere Angeli ſit ſuum eſſe.

Reſpondeo ſecundò, inſtando argumentum. Forma, ſeu eſſentia Angeli eſto ſit cauſa ſpecificans *eſſe*, ſeu actualem exiſtentiam, ad hanc tamen comparatur ſicut potentia ad actum realiter diſtinctum; ergo ſimiliter ad actuale intelligere comparabitur: & ſic ſicut eſſentia Angeli non eſt ſuum eſſe, ita nec eſt ſuum intelligere.

X. Dico tertiò. Potentia intellectiva Angeli non eſt ejus eſſentia, ſed realiter ab eſſentia diſtinguitur. Ita S. Tho. 1. 3. præſentis quæſt. 54. cujus ratione ſic probatur.

Potentiæ, quæ habent actus immediatos adæquatos realiter eſſentialiter diſtinctos, debent in creatis realiter diſtingui: ſed eſſentia, & potentia intellectiva Angeli habent actus adæquatos eſſentialiter diſtinctos; ergo &c. ma. prob. Quia cùm potentia ſpecificetur ab actu ſuo immediato adæquato, potentiæ quarum actus adæquati ſunt eſſentialiter diverſi, debent realiter diſtingui; cùm eadem res nequeat eſſe in duplici ſpecie adæquata. Min. etiam ſic prob. Actus immediatus, & adæquatus eſſentiæ eſt *eſſe*; actus verò immediatus, & adæquatus potentiæ intellectivæ eſt intellectio, ſicut cujuſcumque potentiæ operativæ eſt operatio: ſed, ut oſtenſum eſt, intellectio, & operatio realiter diſtinguitur ab eſſe ipſius diſtinctione adæquatâ, & eſſentiali; ergo &c. *unde* (concludit S. Doct.) *eſſentia Angeli non eſt ejus potentia intellectiva, nec alicujus creati eſſentia eſt ejus operativa potentia*.

XI. Scio, Scotum opinari potentiam intellectivam Angeli diſtingui ab ejus eſſentia ſolâ ſuâ diſtinctione formali, quod generaliter aſſerit de omni operativa potentia. Sed quia hæc quæſtio philoſophica eſt, & à Philoſophis agitatur; ideo ad ea, quæ ibi docent noſtri, Candidatum meum remitto.

XII. Hæc ſolùm ex D. Thom. notare placet. Primò. Quod licèt Angelus vocetur *intellectus*, & *mens*; hoc non eſt, quia eſſentia ejus ſit potentia intellectiva, ſed quia tota ejus cognitio eſt intellectualis, ad differentiam cognitionis animæ noſtræ, quæ partim eſt intellectualis, partim ſenſitiva. Ita S. Doct. *ad* 1.

Secundò. Quòd licèt Angelus ſit forma ſimplex, non tamen eſt ſuum eſſe, ſed comparatur ad ipſum, ſicut potentia ad actum: *Forma autem ſimplex*, quæ non eſt ſuum eſſe, ſed comparatur ad ipſum ut potentia ad actum, poteſt eſſe ſubjectum accidentis, & præcipuè ejus, quod conſequitur *ſpeciem*. Ita S. Thom. ibi *ad* 2. qui-

Digitized by Google

quibus conſtat potentiam intellectivam ſecundum mentem ejus eſſe accidens.

Tertiò tandem. Cur potentia materiæ non ſit à materia diſtincta, benè tamen potentia operativa diſtinguatur ab eſſentia? Nam, ut ait S. Doct. *ad* 3. potentia materiæ eſt ad ipſum eſſe ſubſtantiale; potentia verò operativa eſt ad eſſe accidentale. Quare iſta à ſubſtantia debet eſſe diſtincta, illa non.

DUBIUM II.

An Angelus ad cognoſcendum ſe aliqua ſpecie indigeat?

§. I.

Neceſſitas ſpeciei ad intelligendum.

I. SUppono ex iis, quæ in libris de Anima ſaniores Philoſophi tradunt (ut nos Tract. de Viſione q. 3. dub. 1. §. 1. ex D. Thoma obſervavimus) ad omnem cognitionem, præter potentiam, & virtutem ad cognoſcendum, requiri ſpeciem repræſentantem objectum, & potentiæ illud conjungentem, ac ad ejus cognitionem, quodammodo determinantem. Cùm enim potentia, etiam omni virtute prædita ad cognoſcendum, adhuc maneat indifferens, & indeterminata ad cognoſcendum hoc, vel illud, eget determinari per aliquid ad hujus potiùs, quàm alterius cognitionem; at inſuper, cùm cognitio fiat per hoc quod objectum conjungatur potentiæ, & ſiſtatur quodammodo intra ipſam, ut ſic poſſit conceptum ejus, ac ſimilitudinem intra ſe formare: cognitio enim ad modum cujuſdam partus fit, ad quem concipiendum immiſſa ab objecto ſimilitudo ſui, vel objectum per ſeipſum fæcundat; ideòque in *Tract. de Trinit.* oſtendimus, Verbum eſſe genitum, quia cognitione procedit. Hoc autem, quo objectum, ſive per ſe, ſive per ſui ſimilitudinem potentiæ conjungitur, ſpecies vocatur.

II. Porrò ad rationem hujuſmodi ſpeciei, quæ ad intelligendum neceſſaria eſt, valdè materialiter ſe habet, quòd ſit in entitate accidens, vel ſubſtantia. Cùm enim formale illius ſit conjungere objectum potentiæ, & ad illud ſuâ repræſentatione eam determinare; in quacumque entitate, ſive accidentali, ſive ſubſtantiali hoc fiat, prorsùs de materiali ſe habet. Imò tunc ſolùm contingit, ut accidentali entitate hoc fiat, quando objectum ſuâ ſubſtantiâ immediatè id nequit præſtare, ſed præſtat ſui ſimilitudine. Utrolibet autem modo id præſtet, ab inhærentia, ſive informatione præſcindit; quia intellectui conjungitur non ut tertiam aliquam naturam conſtituat, ſed ut intellectum ad ſuum eſſe intentionaliter transformet.

III. Dimiſſis ergo illis, qui ad cognitionem cujuſcumque rei, & conſequenter etiam ſubſtantiæ Angeli, requiri ſpeciem univerſaliter negant, quos modò refellere non vacat; ad rem præſentem, quæ de cognitione ſubſtantiæ Angeli eſt, tres ſpectant opiniones.

IV. Prima affirmat, ſubſtantiam ſuam immediatè Angelo deſervire ad cognitionem ſui. Ita S. Thomas hâc 1. *part. qu.* 56. *art.* 1. *Qu.* 8. *de verit. art.* 6. & 2. *Contrag. cap.* 98. quem ſequuntur omnes ejus Diſcipuli. Imò, loquendo de cognitione intuitiva, Scotus ipſe, ejuſque Schola: quamvis poſtea velit, Angelum poſſe ſeipſum abſtractivè cognoſcere per ſpecies à ſua ſubſtantia diſtinctas.

Secundà ſententia ad extremum declinans docet, Angelum ad ſeipſum cognoſcendum indigere ſpecie à ſua ſubſtantia diſtinctâ. Quæ tribuitur Alenſi, Marſilio, Henrico &c.

Tertia eſt, non ſubſtantiam, ſed Angeli intellectum gerere munus ſpeciei ad cognitionem ſui & cujuſcumque alterius objecti. Ita Vazquez putans, non poſſe efficaci ratione probari, quòd in intellectu Angeli dentur ſpecies. In hanc opinionem trahitur Cajetanus, quamvis ad communem Thomiſtarum ſen-

Digitized by Google

ſententiam trahi poſſit. Vazquezio ex parte adhæret Alarcon, Sed non eſt, cur in his explorandis tempus teramus.

§. II.

Reſolvitur de ſpecie, quâ cognoſcit Angelus ſubſtantiam ſuam.

V. DIco primò. In cognitione, quâ Angelus cognoſcit ſubſtantiam ſuam, ipſa Angeli ſubſtantia locum tenet ſpeciei, & objecti determinantis intellectum ad cognoſcendum ſeipſam, & accidentia, ſeu proprietates ſibi connaturales non autem ſupernaturalia accidentia. Probatur prima pars. Subſtantia Angeli habet omnia requiſita ad hoc, ut poſſit immediatè, & per ſeipſam determinare intellectum Angeli ad ſui cognitionem; ergo &c. Conſequ. patet: nam, ut diximus in *Tract. de Viſione Dei*, ſpecies ab objecto in potentiam immiſſa, tunc ſolùm requiritur, quando objectum non poteſt per ſeipſum determinare potentiam ad ſui cognitionem. Ant. verò prob. Ut aliquod objectum poſſit immediatè, & per ſeipſum determinare potentiam ad ſui cognitionem, requiritur, ut ſit immediatè, & per ſeipſum intelligibile, & potentiæ cognoſcitivæ intimè conjunctum: ſed ſubſtantia Angeli eſt per ſeipſam, & immediatè intelligibilis, quia eſt prorſus immaterialis, & illi intimè conjuncta: eſt enim immediata radix intellectus, eique intimè præſens, imò magis, quàm ſpecies accidentalis ei ſuperaddita; ergo &c.

VI. Confirmatur. Intellectus debitâ virtute præditus, & habens objectum intelligibiliter ſibi unitum, eſt cauſa totalis ſufficiens ad intellectionem: ſed intellectus angelicus reſpectu cognitionis ſui habet ſufficientem virtutem, habet inſuper eſſentiam ſuam ejuſdem gradus ſpiritualitatis cum ipſo, & ideò actu proximè intelligibilem, & ſibi ſummè unitam: nec enim poteſt eſſe major unio, & approximatio cujuſvis ſpeciei cum intellectu, quàm ſit unio eſſentiæ cum proprio intellectu. Si ergo ſpecies impreſſa ab objecto diſtincta continens objectum ſolum ſecundum eſſe intentionale, & diminutum ſufficit cum intellectu ad producendam cognitionem; multò magis objectum ipſum, ſi per ſeipſum ſit potentiæ proportionatum, quia ejuſdem immaterialitatis, & illi intimè conjunctum.

VII. Secundò prob. Ideò ſubſtantia Angeli non poſſet loco ſpeciei ad ſui cognitionem concurrere, quia eſt forma per ſe exiſtens, & intellectum non informans, aut ei inhærens: ſed hoc non impedit &c. ergo &c. Min. prob. Tum ex ſuperiùs notatis, ubi diximus, inhærentiam per accidens ſe habere ad rationem formæ intelligibilis. Quare D. Thom. 1. *par. qu.* 56. *art.* 1. ait: *nihil autem differt ad hoc, quòd forma ſit principium actionis, quod ipſa forma ſit aliquandò inhærens, & quod ſit per ſe ſubſiſtens. Non enim minùs calor calefaceret, ſi eſſet per ſe ſubſiſtens, quàm calefacit inhærens.* Unde eſſentia divina, quæ eſt maximè per ſe ſubſiſtens, & forma intelligibilis, eſt ratio cognoſcendi ſeipſam, tùm intellectui Divino, tùm intellectui Beati; ergo &c. Rurſus ex eodem D. Thoma citato. Ideò ſubſtantia Angeli non poſſet gerere munus ſpeciei ad ſui cognitionem, quia utpote per ſe ſubſiſtens non poſſet movere intellectum angelicum, reducendo ipſum de potentia ad actum: ſed hoc non requiritur, cùm intellectus Angeli ſemper ſit in actu ſuæ cognitionis, & non quandoque in actu, quandoque in potentia; ergo &c. Unde concludit Sanctus Doctor: *Si autem ſemper eam actu habeat* [ideſt cognitionem, & ſpeciem] *nihilominus per eam cognoſcere poteſt abſque aliqua mutatione, vel receptione præcedente*. *Ex quo patet, quòd moveri ab objecto non eſt de ratione cognoſcentis, in quantùm eſt cognoſcens, ſed*

Digitized by Google

ſed in quantùm eſt potentia cognoſcens.

VIII. Secunda verò pars, quòd per ſuam ſubſtantiam tanquam per ſpeciem cognoſcat Angelus ſua accidentia propria, & nativa ſupponit, in Angelo alia eſſe accidentia propria, & ſibi proportionata, alia ſupernaturalia. De prioribus tantùm loquitur hæc ſecunda pars. Et prob. à priori. Nam ſubſtantia Angeli unitur ejus intellectui ſecundùm totalem, & adæquatam repræſentationem, unitur enim ad cognitionem comprehenſivam ſui: ſed ſubſtantia Angeli repræſentat omnia ſua nativa accidentia, intellectum, voluntatem, operationem, eſt enim omnium adæquata radix ea perfectè continens; ergo hæc omnia intellectui angelico repræſentat.

IX. Quoad accidentia verò ſupernaturalia, hæc per ſuam ſubſtantiam Angelum non cognoſcere, eàdem ratione probatur. Nam hæc in ſubſtantia Angeli non continentur; ergo per eam repræſentari non poſſunt: imò nec per ſpecies naturales Angelo infuſas, ſed per ſpecies altioris ordinis, & per iſtas cognoſcit omnia myſteria gratiæ. Sicut enim ad hæc cognoſcenda indiguit anima Chriſti ſcientiâ per ſe infuſâ, nec ſatis fuit ſcientia naturalis, & acquiſita: ita nec in Angelo ſatis erunt, ſive propria ſubſtantia, ſive ſpecies naturales, ſed requirentur ſpecies elevatiores. Et ideo Divus Thomas hoc articulo citato exponens verba Dionyſii c. 6. *Angelica Hierarchia* ſecundùm antiquam translationem dicentis, *Angeli ignorant proprias virtutes*, reſpondet ad 1. *Angeli non perfectè cognoſcunt ſuam virtutem, ſecundùm quòd procedit ab ordine divina ſapientia, qua eſt Angelis incomprehenſibilis*. Quod repetit *q. 8. de Verit. a. 6. ad 1.*

§. III.

Contraria proponuntur, ac ſolvuntur.

X. Quòd Angeli ſubſtantia non poſſit ei deſervire, ut ſpecies, obſtat primò. Quod ſe habet ut forma intelligibilis, comparari debet per modum actus ad potentiam: ſed ſubſtantia Angeli non comparatur ad intellectum Angeli per modum actus, ſed per modum ſubjecti, quod ſapit potiùs rationem potentiæ: intellectus autem è contra ad ſubſtantiam ſuam comparatur, ut forma, & actus, nempè ut virtus ejus ad intelligendum; ergo &c.

Reſpondetur, diſt. maj. per modum actus in eſſe naturali, nego maj. in eſſe intelligibili, conc. maj. & diſt. eodem modo minori, nego conſequ. Reſponſio eſt D. Thom. q. 8. de verit. a. 6. ad 2. dicentis: *Eſſentia Angeli quamvis non poſſit comparari ad intellectum ejus, ut actus ad potentiam in eſſendo; comparatur tamen ad ipſum ut actus ad potentiam in intelligendo*, quia ad eum comparatur ut objectum, & forma ſpecificans cognitionem. Eàdem ratione, inquit ibi ad 6. *Nihil prohibet, aliquid eſſe in altero, & illud in eo diverſis modis, ſicut totum in partibus, & è converſo. Et ſimiliter... eſſentia Angeli eſt in intellectu ejus, ſicut intelligibile in intelligente; intellectus autem in eſſentia, ſicut potentia in ſubſtantia*: nimirùm eſſentia Angeli eſt in intellectu ejus tanquam forma ipſum perficiens ad intelligendum; intellectus verò eſt in eſſentia, ut à qua in eſſendo dependet.

XI. Obſtat ſecundò. Intellectus Angeli non eſt actus purus, ſed habens potentiam admixtam in ordine intelligendi; ergo non reducitur ad actum per ſeipſum, ſeu per ſuam eſſentiam, aliàs idem eſſet in potentia, & in actu.

XII. Confirmatur. D. Thomas 3. *Contra gentes cap.* 51. docet, quòd ex quo eſſentia divina ſit ſuum eſſe, & ſua

Digitized by Google

veritas, alia verò intelligibilia ſubſiſtentia ſint habentia eſſe, & veritatem, & non ſuum eſſe, & ſua veritas; *Eſſentia divina poteſt comparari ad intellectum creatum ut ſpecies intelligibilis, quâ intelligit, quod non contingit de eſſentia alicujus alterius ſubſtantia ſeparata;* ergo eſſentia Angeli habere nequit rationem formæ intelligibilis reſpectu intellectus.

XIII. Reſpondetur, diſtingu. ant. habens potentiam ad actum eſſentialem, nego ant. ad actum accidentalem, conc. antec. *Intellectus Angeli* (inquit D. Tho. loco relato ad 7.) *non eſt in potentia reſpectu eſſentia ejus, ſed reſpectu ejus ſemper eſt in actu; reſpectu autem aliorum intelligibilium poteſt eſſe in potentia. Nec tamen ſequitur, quòd quando intellectus eſt in potentia, per aliud agens reducatur in actum ſemper, ſed ſolùm, quando eſt in potentia eſſentiali, ſicut aliquis antequam addiſcat. Quando autem eſt in potentia accidentali, ſicut habens habitum, dùm non conſiderat, poteſt per ſeipſum exire in actum; niſi dicatur, quod reducitur in actum per voluntatem, quâ movetur ad actu conſiderandum.* Cùm ergo intellectus Angeli ſit in actu eſſentiali ad intelligendum ſeipſum per ſuam eſſentiam, ad hoc ut ſeipſum actu intelligat, ſufficit, ut velit.

XIV. Ad confirm. diſt. conſeq. reſpectu intellectus alieni, co. conſ. reſpectu intellectus proprii, nego conſequentiam. Mens ergo D. Thomæ in eo loco eſt, quòd ſola eſſentia Divina, quia eſt ſuum eſſe, & ſua veritas, uniri poteſt ut forma, quâ quicumque intellectus creatus intelligat: non autem eſſentia alicujus ſubſtantiæ ſeparatæ. Ex quo infertur quidem, ſubſtantiam unius Angeli non poſſe uniri ut formam intelligibilem intellectui alterius Angeli, non verò intellectui proprio, cui intimè adeſt.

XV. Obſtat tertiò. Anima humana eſt intellectui hominis maximè præſens; & tamen non intelligit ſeipſam per ſeipſam, ſed per ſpeciem; ergo ſimiliter ſubſtantia Angeli.

Reſpondeo, negando maj. abſolutè: anima enim humana, dùm eſt corpori conjuncta, non poteſt ſuo intellectui per ſuam ſubſtantiam fieri immediatè præſens intelligibiliter. Cùm enim intellectus conjunctus non intelligat, niſi per ſpecies erutas ex phantaſmatibus, non poteſt animam niſi per iſtas intelligere. At cùm anima abſoluta erit à corpore, ſeipſam per ſeipſam intelliget: ex quo ſit, quòd cùm Angeli ſubſtantia ſit à corpore prorsùs abſoluta, fiat immediatè præſens angelico intellectui, ut eam per eam intelligat, non per ſpeciem.

XVI. Obſtat quartò. Nulla ſubſtantia creata poteſt immediatè influere in actionem: unde ſuperiùs dicebamus, potentiam proximè intellectivam Angeli eſſe ab ejus ſubſtantia diſtinctam: ſed ſpecies immediatè concurrit ad intellectionem; ergo ſubſtantia creata nequit gerere vices ſpeciei.

Reſpondeo, majorem eſſe veram de concurſu, ſeu influxu per modum potentiæ, & virtutis potentiæ, non verò de concurſu, & influxu per modum objecti, qualis eſt concurſus, & influxus ſpeciei: hic enim utpote ſequens conditionem objecti, non ſubordinatur, nec eſt propter operationem, ſed ſibi operationem ſubordinat, & ſpecificat; nec operatio eſt actio ſpeciei, ſed potentiæ.

XVII. Hinc exurgit alia reſponſio, quâ negari poteſt major. Cùm enim ſpecies, ſeu objectum non concurrat ad intellectionem, niſi mediante potentia intellectiva, ad eam non immediatè, ſed mediatè ſolùm concurrit; & propterea in ſubſtantia Angeli pro caſu præſenti diſtingvi poſſunt duo reſpectus: unus ad potentiam; & hic eſt immediatus in genere cauſæ, quaſi formalis, ſeipſam immediatè uniendo, eamque ad cognitionem ſui fæcundando. Alter ad actionem, efficienter eam producendo; cùmque ad hanc non influat, niſi mediante

te potentia, hanc reſpicit ſolùm mediatè.

XVIII. Dices. Eſto ſubſtantia divini Verbi uniri poſſit humanæ naturæ ad ſubſiſtendum, non tamen ad operandum, nec proximè, nec radicaliter; ergo nec ſubſtantia angelica uniri poteſt intellectui angelico, ut principium intelligendi ſive proximum, ſive radicale.

Nego conſequentiam, quæ aperte inſtatur. Nam ſubſtantia Angeli, cùm ſit ejus natura, eſſet radicale principium omnium operationum, quæ ab Angelo fiunt, etiamſi illi non uniretur ut ſpecies. Diſparitas ergo eſt: quia ſubſiſtentia Divini Verbi non unitur humanitati, nec per modum naturæ, ut faciat operationes divinas, nec per modum ſpeciei, ut videat Deum; ſed ut ſit in eſſe Perſonali Deus: unde nullum dicit reſpectum ad operationes humanitatis. At ſubſtantia Angeli ex una parte eſt ipſius Angeli natura, ex alia eſt illi ſpecies ſeipſam exhibens, ut ab Angelo cognoſcatur: quare ex utraque parte reſpicit Angeli operationes. Sicut enim divina eſſentia unita intellectui beato concurrit ad viſionem Dei, ſic ſubſtantia Angeli ad viſionem ſui.

§. IV.

Alia reſolvuntur.

XIX. QUæres primò. An Angelus cognitione abſtractivâ cognoſcens ſeipſum, utatur ſpecie à ſua ſubſtantia diſtinctâ? Scotus affirmat, intelligens per cognitionem abſtractivam eam, quâ cognoſceret eſſentiam ſuam, non cognoſcendo exiſtentiam, aut ſuas proprietates, quæ veriùs præciſiva vocatur.

Dico tamen, Angelum ita ſeipſum cognoſcentem, adhuc uti ſuâ ſubſtantiâ ut ſpecie, non ſecundùm adæquatam repręſentationem, ſed inadæquatam tantùm. Cùm enim etiam in hac ſuppoſitione ſubſtantia Angelo eſſet intimè præſens, & actu intelligibilis, ſi eam ſolam cognoſceret, & non ſuam exiſtentiam, & proprietates; adhuc eâ ut ſpecie uteretur ſecundùm ejus inadæquatam repræſentationem, non adæquatam. Sicut in ſententia Scoti, ſi Beatus videret divinam eſſentiam, & non attributa, & relationes; adhuc eam videret per ipſam, ut per ſpeciem, eâ utens tamen non ſecundùm adæquatam repręſentationem, ſed inadæquatam.

XX. Nec valet dicere, quòd ſi Angelus ſuperior poteſt cognoſcere inferiorem per ipſius ſpeciem à ſua ſubſtantia diſtinctam; multò magis id poterit Angelus inferior ſuam ſubſtantiam cognoſcens.

Nam reſpondeo, diſparem eſſe rationem. Etenim ſubſtantia Angeli inferioris non eſt per ſeipſam intimè præſens, & unita intellectui Angeli ſuperioris; unde non ſolùm poteſt, ſed debet ei uniri per ſpeciem ſui: at ipſi Angelo inferiori ſua ſubſtantia eſt ſemper intimè præſens, & intelligibiliter unita; unde ſeipſam ſemper ei repręſentat, ac inutiliter ſaltem, & ſuperfluè aliâ ſpecie uteretur. Addo hanc paritatem nimis probare: probat enim, quod ſicut Angelus ſuperior non poteſt per ſubſtantiam Angeli inferioris ipſum Angelum inferiorem cognoſcere, ſed neceſſariò debet uti ſpecie ab ea diſtinctâ: ita Angelus inferior non poſſet ſeipſum per ſuam ſubſtantiam cognoſcere, cujus oppoſitum Scotus admittit.

XXI. Dixi in ſuppoſitione, quòd Angelus cognoſcat ſuam eſſentiam, & non ſuam exiſtentiam, aut proprietates, ut Scoto indulgens ſim. Cæterùm exiſtimo, hujuſmodi cognitionem præciſivam, ſeu abſtractivam ſuî in Angelo non dari. Cùm enim ſemper habeat ſubſtantiam ſuam ſibi præſentem, ac ſeipſam, uti eſt in ſe repręſentantem, cenſeo, omnem cognitionem, quam Angelus habet de ſeipſo, eſſe quidditativam, intuitivam, ſui ſicuti eſt, & non abſtractivam, ſeu præciſivam.

XXII.

Digitized by Google

XXII. Ex dictis colligo primò. Unum Angelum per ſuam ſubſtantiam non poſſe cognoſcere alios propria cognitione. Subſtantia enim unius Angeli non poteſt eſſe perfecta ſimilitudo alterius; nec formalis, quia non continet formaliter eadem prædicata ſaltem ſpecifica, & propria alterius Angeli; nec virtualis, ſeu eminentialis, qualiter eſſentia Divina continet prædicata creaturarum, cùm unus Angelus non ſit cauſa eorum, quæ in alio Angelo ſunt: ſed ſpecies ſerviens cognitioni propriæ, & non confuſæ, debet continere, vel formaliter, vel eminentialiter prædicata objecti, quod reprę ſentat;ergo &c. Hinc D. Th.*q.8.de Verit.a.7.*ſic diſcurrit: *Cùm omnis cognitio ſit per aſſimilationem, Angelus per eſſentiam* (ſuam) *non poteſt plus de alio Angelo cognoſcere, quàm hoc, in quo eſſentia eſt ſimilis. Unus autem Angelus alteri non aſſimilatur, niſi in natura communi, & ſic ſequeretur quod unus alium non cognoſceret cognitione completâ.*

XXIII. Colligo ſecundò. Unum Angelum non poſſe cognoſcere alium per eſſentiam ipſius Angeli cogniti. Eſſentia enim unius Angeli non poteſt in ratione ſpeciei immediatè uniri intellectui alieno; hoc enim ſoli divinæ eſſentiæ convenire ſuperiùs tetigimus ex D. Thoma 3. *Contrag. c.* 51.

XXIV. Quæres ſecundò. An Angelus cognoſcat Deum, per ſuam eſſentiam tanquam per ſpeciem?

Reſpondeo affirmativè cum D. Tho. 1. *p. q.* 56. *a.* 3. ubi docet: *quòd aliquid tripliciter cognoſcitur. Uno modo per præſentiam ſuæ eſſentiæ in cognoſcente, ſicut ſi lux videatur in oculo. Et ſic dictum eſt, quòd Angelus intelligit ſeipſum. Alio modo per præſentiam ſuæ ſimilitudinis in potentia cognoſcitiva: ſicut lapis videtur ab oculo; per hoc, quod ſimilitudo ejus reſultat in oculo. Tertiò modo per hoc, quod ſimilitudo rei cognitæ non accipitur immediatè ab ipſa re cognita, ſed à re aliqua, in qua reſultat; ſicut videmus hominem in ſpeculo.* Poſtquam autem dixit, quòd *prima cognitioni aſſimilatur divina cognitio, quâ per eſſentiam ſuam videtur: & hæc cognitio Dei non poteſt adeſſe creaturæ alicui per ſua naturalia:* & quòd tertię cognitioni aſſimilatur cognitio, quâ nos cognoſcimus Deum in via per ſimilitudinem ejus in creaturis reſultantem; *unde & dicimur Deum videre in ſpeculo*, ſubdit: *cognitio autem, quâ Angelus per ſua naturalia cognoſcit Deum, media eſt inter has duas, & ſimilatur illi cognitioni, quâ videtur res per ſpeciem ab ea acceptam. Quia enim imago Dei eſt in ipſa natura Angeli impreſſa, per ſuam eſſentiam Angelus Deum cognoſcit, in quantùm eſt ſimilitudo Dei.* Quibus docet etiam rationem pro hoc aſſerto. Si enim eſſentia Angeli eſt forma, & ſpecies reſpectu cognitionis ſui, debet etiam eſſe reſpectu cognitionis eorum, quorum eſt ſimilitudo; cùm ergo eſſentia Angeli ſit ſimilitudo Dei, debet fæcundare intellectum ad cognitionem Dei, eo proportionali modo, quo divina eſſentia eſt ratio cognoſcendi non ſolùm ſeipſam, ſed etiam creaturas: cum hac tamen diverſitate, quòd ubi eſſentia divina ſeipſam repræſentat primò & per ſe, creaturas autem ſecundariò; eſſentia Angeli repræſentat primò, & per ſe ſeipſam, ſecundariò autem Deum; quia ſe habet ut ſpeculum, in quo ſimilitudo Dei ex ipſo Deo reſultat. Quare D. Th. ibi concludit, quòd *magis iſta cognitio tenet ſe cum ſpeculari, quia & ipſa natura angelica eſt quoddam ſpeculum divinam ſimilitudinem repræſentans.*

XXV. His tamen verbis indicare videtur S. Thom. eſſentiam Angeli eſſe non tantùm ſpeciem, ſeu medium *quo* ad cognoſcendum Deum, ſed etiam (& magis) medium *quod*, ſeu *in quo*; ſicut ſpeculum eſt medium, *in quo* ſimilitudo hominis reſultat, & cognoſcitur. Unde ſicut in eſſentia divina, ut in medio *quod*, & ut in cauſa cognoſcuntur à priori creaturæ: ita, proportione ſervatâ, in eſſentia Angeli

geli, ut in ſpeculo, in quo ſimilitudo Dei reſultat, tanquam medio *in quo* cognito cognoſcitur à poſteriori ipſe Deus.

XXVI. Neque officit, quòd magis diſtet eſſentia Angeli à Deo, quàm eſſentia unius Angeli ab eſſentia alterius; ideoque ſi eſſentia unius Angeli non poteſt eſſe medium ad cognoſcendum alium Angelum, minùs poterit eſſe ad cognoſcendum Deum.

Nam dicam, eſſentiam Angeli magis quidem diſtare à Deo, quam ab alio Angelo diſtantiâ entitatis, non tamen diſtantiâ medii, & ordinis. Nam eſſentia Angeli, utpote effectus, & ſimilitudo participata Dei, dicit ordinem ad ipſum, ſicut effectus ad cauſam, & ſicut ſimilitudo impreſſa in ſpeculo ad ſuum exemplar: eſſentia verò unius Angeli hunc ordinem non dicit ad eſſentiam alterius, ut de ſe patet.

XXVII. Ex quibus infertur, cognitionem naturalem, quam quilibet Angelus per ſuam eſſentiam habet de Deo, eſſe in quolibet diverſam ſpecie, ſicut in quolibet eſſentia, quæ eſt objectum primarium, & medium diverſa ſpecie eſt. In quo differt beatitudo naturalis Angeli à ſupernaturali. Hæc enim cùm habeat in omnibus idem objectum primarium, & idem formale medium, ejuſdem ſpeciei eſt in omnibus: at illa ob rationem oppoſitam, diverſæ ſpeciei eſt in ſingulis.

XXVIII. Quæres tertiò. An habitus ſupernaturales, qui ſunt in intellectu, nempe fides, & lumen gloriæ, cum per inhærentiam ſint intimè conjuncti cum intellectu Angeli, & aliàs ſint per ſe intelligibiles, & actu immateriales, poſſint eis deſervire loco ſpeciei?

Reſpondeo negativè. Nam cùm Angelus non cognoſcat proprietates per ſpecies proprias, ſed per ſpeciem naturæ, cujus ſunt proprietates; & fides, lumen gloriæ, aliique, habitus ſupernaturales ſint proprietates gratiæ, quæ in hoc ordine ſe habet ut natura; ſequitur, quòd præfatos habitus cognoſcat per ſpeciem, qua cognoſcit gratiam. Ad cognoſcendam autem gratiam indiget Angelus ſpecie diſtinctâ; neque ipſa eſſentia gratiæ poteſt uniri, ut ſpecies intellectui Angelico ad cognoſcendum ſeipſam. Nam Angelus cognoſcit gratiam, non ſolùm pro ut eam habet in ſe, ſed pro ut eſt communis, & exiſtit in aliis: per gratiam autem, quam unus Angelus habet in ſe, non poteſt gratiam cognoſcere, quæ eſt in aliis: tùm quia diſtincta eſt; tùm quia in aliis poteſt eſſe magis, vel minus perfecta, quàm ea, quam habet in ſe: neque eam poteſt cognoſcere per gratiam, quæ eſt in aliis, ſiquidem ſibi non eſt unita, quod requiritur ad rationem ſpeciei; ergo ſpecie ſupperaddita indiget ad cognoſcendam gratiam, & alia dona.

XXIX. Quæres quartò. An ſubſtantia Angeli, ſicut ſervit loco ſpeciei impreſſæ ad cognitionem ſui; ita etiam gerat vices ſpeciei expræſſe ſeu Verbi?

Reſpondeo negativè. Nam licèt eſſentia Angeli propter ſuam immaterialitatem ſit ſecundùm ſe actu intelligibilis, atque, ut ſic, præſens intellectui, non tamen eſt ſecundùm ſe actu intellecta, neque hâc ratione ei intimè præſens: hoc enim ſolius eſſentiæ, quæ ſit actus purus, proprium eſt. Oportet ergo, ut in ratione actualiter intellectæ fiat ei præſens per ſui imaginem intra intellectum productam: ut enim docet D. Thom. 1 p. qu. 27. art. 1. *Quicumque intelligit, ex hoc ipſo, quod intelligit procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiva proveniens, & ex ejus notitia procedens*. Porrò hoc in Angelis contingere docuit 4. *Contrag. cap.* 11. ubi gradus vitæ intellectivæ diſtinguens, humanæ, & angelicæ, ait, quòd licèt *intellectus humanus ſeipſum cognoſcere poſſit, tamen primum ſuæ cognitionis initium ab extrinſeco ſumit*, nempè, ex phantaſmati-

matibus; angelicus verò intellectus *ad ſui cognitionem non procedit ex aliquo exteriori: ſed per ſe cognoſcit ſeipſum, nondum tamen ad ultimam perfectionem vitæ ipſorum pertingit: quia licèt intentio intellecta ſit eis omnino intrinſeca, non tamen ipſa intentio intellecta eſt eorum ſubſtantia, quia non eſt idem in eis intelligere, & eſſe*. Quid autem intendat nomine intentionis intellectæ, exponit ſubdens: *Dico autem intentionem intellectam id, quod intellectus in ſeipſo concipit de re intellecta. Quæ quidem in nobis, neque eſt ipſa res, quæ intelligitur: neque eſt ipſa ſubſtantia intellectus: ſed eſt quædam ſimilitudo concepta ab intellectu de re intellecta, quam voces exteriùs ſignificant: unde & ipſa intentio Verbum interius nominatur*. Et concludit, quòd in ſolo Deo Verbum ſit ejus ſubſtantia.

DUBIUM III.

An ad cognoſcendum alia à ſe indigeat Angelus ſpeciebus; an verò ea per ſuam ſubſtantiam cognoſcat?

§. I.

Referuntur opiniones.

I. Ngelum per ſuam ſubſtantiam omnia intelligere ſenſerunt inter cæteros Durandus *in 2. diſt. 3. qu. 6. nu. 17. &c.* Gabriel, Ocham &c. quibus adhæſit Vazquez hìc *diſp. 200. cap. 1.* aliâ tamen motus ratione. Durandus enim id ſenſit; quia exiſtimavit, nullam ſpeciem poſſe ſpecificè identificari cum ſubſtantia Angeli, quam identitatem putat ad perfectam repræſentationem requiri. Gabriel verò, quia putat, ad cognitionem ſufficere objectum ad extra propoſitum, & potentiam. Sed quia ſæpe contingit intelligi objectum, quod non eſt præſens, ut in cognitione abſtractiva: ideò addidit (& cum eo Ocham, & alii) illam abſtractivam cognitionem fieri, non à ſpecie, quæ ſit ſimilitudo objecti, ſed vel ab habitu, vel à determinatione aliquâ ex notitia intuitiva in intellectu relictâ. Vazquez verò, quia cenſuit, quòd ratio D. Thomæ infirma ſit: veriùs tamen dixiſſet, quòd ejus vim non intellexit, ut oſtendemus.

Averroes autem referente D. Tho. q. 8. de Verit. a. 7. dicit: *Quòd in ſubſtantiis ſeparatis à materia non differt forma, quæ eſt in intellectu, à forma, quæ eſt extra intellectum. Quod enim apud nos forma domus, quæ eſt in mente artificis, ſit aliud à forma domus, quæ eſt extra, procedit ex hoc quod forma exterior eſt in materia, forma autem artis eſt ſine materia: & ſecundùm hoc cùm Angeli ſint ſubſtantia, & forma immateriales... videtur ſequi quod forma, quâ unus Angelus intelligitur ab alio, ſit idem quod eſſentia ejus, quâ in ſe ſubſiſtit*. Sed his non obſtantibus

§. II.

Sententia D. Thomæ præfertur.

II. Dico. Angelus intelligit alia à ſe per ſpecies ſuperadditas, non verò per ſuam ſubſtantiam. Speciem aliquam requiri ad cognoſcendum *Dubio præced. §. 1.* adnotavimus. Neque enim hoc à nobis eſt hìc probandum, ſed ex libris de anima ſupponendum. Cùm enim, Auguſtino teſte *l. 9. de Trinitate cap. 12.* notitia, ad differentiam amoris, ſe habeat ad modum cujuſdam conceptionis, & partus: *Ab utroque enim notitia paritur, à cognoſcente, & cognito*, oportet, ut, ſicut ad partum, ſeu conceptionem naturalem, duo, ſcilicet mas, & fœmina, conjunguntur; ita, & ad conceptum, & partum intentionalem duo, nimirum cognitum, & cognoſcens conjungantur, cognitumque ſiſtat ſe intra potentiam, eam ad ſui cognitionem fæcundando. Vel ergo conjungitur potentiæ per ſeipſum, vel per ſui ſimilitudinem; & ſic ſemper requiritur,

tur, vel ſpecies, vel cognitum ipſum faciens per ſe, quod faceret per ſpeciem ſui.

III. Probatur aſſertum primò, quòd unus Angelus non poſſit cognoſcere alium, nec per ſubſtantiam Angeli cognoſcentis, nec per ſubſtantiam Angeli cogniti. Non per ſubſtantiam cognoſcentis: non enim hæc poteſt ſubſtantiam alterius Angeli perfectè, ac diſtinctè repræſentare, ſive ratione ſimilitudinis, & convenientiæ cum ipſa; quia eſto ſimilis ſit in gradu generico, diſſimilis tamen eſt illi in gradu ſpecifico, & individuali; unde ſicut ſubſtantia equi non poteſt repræſentare perfectè ſubſtantiam leonis, & ſubſtantia unius hominis ſubſtantiam alterius, ſed ſolùm imperfectè, confusè, & ſub ratione communi animalis, & hominis: ita ſubſtantia unius Angeli ſolùm poſſet repræſentare ſubſtantiam alterius ſub ratione communi ſpiritus. Nec etiam poteſt ſubſtantiam alterius repræſentare ratione continentiæ, eo modo, quo eſſentia divina repræſentat creaturas; quia ſubſtantia unius Angeli non eſt cauſa ſubſtantiæ alterius. Unde D. Th. Qu. 8. de Verit. a. 7. *Quamvis enim* (inquit) *in una ſpecie non ſit niſi unus Angelus; tamen in Angelo alicujus ſpeciei aliud erit, quod ei convenit ex ratione ſuæ ſpeciei, & aliud, quod ei conveniet, in quantùm eſt quoddam individuum, ſicut operationes particulares ipſius: & has ſecundùm modum prædictum nullo modo de eo alius Angelus cognoſcere poſſet.*

IV. Confirmatur. Duo ſunt genera entium. Alia, quæ primò, & per ſe ſunt inſtituta ut ſint; alia inſtituta, ut repręſentent, qualia ſunt imagines, & ſpecies. Eſto autem hæc poſteriora perfectè alia repræſentent, ſi ſint formalis, & perfecta ſimilitudo illorum, quia in illis ratio repræſentandi eſt ſimilitudo; entia tamen prioris generis alia repræſentare non poſſunt, niſi ea eminenter contineant per modum cauſæ: ſed eſſentia Angeli non eſt per ſe inſtituta, ut alium Angelum repræſentet, ſed ut ſit; aliundè verò non eſt cauſa alterius Angeli, cùm hic à ſolo Deo fiat per creationem; ergo quantumcumque unita, penetrata, & comprehenſa, non poterit alium Angelum diſtinctè repræſentare.

V. Nec etiam unus Angelus poterit alium cognoſcere per ſubſtantiam Angeli cogniti unitam cognoſcenti per modum ſpeciei. Primò. Quia nulla ſubſtantia creata poteſt uniri per modum formæ intelligibilis intellectui alieno, ut docet D. Tho. 3. *Contrag. c.* 51. ſicut nec ulla ſubſiſtentia creata naturæ alienæ: hoc enim ſolius eſſentiæ, ac ſubſiſtentiæ divinæ privilegium incommunicabile eſt.

Tùm, ut docet D. Tho. laudatâ Q. 8. *de Verit. a.* 7. Nam Angelus cognoſcens, vel eſſet ſuperior, vel inferior. Si ſuperior: dùm per eſſentiam Angeli inferioris Angelum inferiorem cognoſceret, jam eſſentia Angeli inferioris eſſet forma, & perfectio intellectus Angeli ſuperioris, & proindè eo nobilior. Si verò Angelus cognoſcens eſſet inferior, oporteret, quòd eſſentia Angeli ſuperioris menti Angeli inferioris illaberetur: forma enim, quâ intellectus intelligit, oportet quòd ſit intra intelligentem in actu; quod quidem de ſolo Deo, qui mentis creatę Conditor eſt, & Conſervator, & qui ſolus mentibus angelicis, & humanis illabitur, dici poteſt. Relinquitur, ergo quòd Angelus alium non cognoſcat per ſubſtantiam ſive cognoſcentis, ſive Angeli cogniti, ſed per ſpecies ab utraque diſtinctas.

VI. Multò minori ratione poterit Angelus per ſuam ſubſtantiam corporalia, & materialia cognoſcere. Hoc oſtendit S. Tho. 1. *p. q.* 55. *a.* 1. hoc diſcurſu. Ut intellectus Angeli poſſet per ſuam ſubſtantiam omnia alia à ſe perfectè cognoſcere, deberet per eam perfectè ſic compleri, ut ſub ea continerentur omnia, ad quæ poteſt ſe extendere: ſed ſub ſubſtantia Angeli non continentur omnia alia, ad quæ intellectus Angeli poteſt ſe exten-

Digitized by Google

tendere; ergo &c. Majorem explicat D. Thomas ſic. Quia illud, quo intellectus intelligit, comparatur ad intellectum intelligentem, ut forma ejus (forma enim eſt, quo agens agit) oportet, ut potentia perfectè compleatur per formam, & quòd ſub ea contineantur omnia, ad quæ potentia ſe extendit. Quia enim in rebus corruptibilibus forma non perfectè complet potentiam materiæ, nam potentia materiæ ad plura ſe extendit, quàm ſit continentia formæ hujus, vel illius; ideò hæc, vel illa forma non poteſt eſſe principium quo omnium, ad quæ ſe extendere poteſt materia. Min. vero prob. Nam potentia intellectiva Angeli ſe extendit ad omnia, quia objectum intellectus eſt ens, ſeu verum commune: ipſa autem eſſentia Angeli non comprehendit in ſe omnia, cum ſit eſſentia determinata ad genus, & ad ſpeciem. Hoc enim ſolius eſſentiæ divinæ proprium eſt, ut in ſe omnia ſimpliciter perfectè contineat, quia infinita eſt.

VII. Secundò prob. ratione ejuſdem S. Doct. *Q. 8. de Verit. a. 8.* Ut ſubſtantia Angeli eſſet forma, quâ cognoſceret res materiales, deberet inter iſtas, & illum dari ſimilitudo, quia cognitio fit per aſſimilationem; ſimilitudo autem attenditur ſecundum convenientiam in forma: atqui inter ſubſtantiam Angeli, & res materiales, hæc ſimilitudo non datur; ergo &c. Min. prob. impoſſibile eſt, quòd aliqua duo ſint invicem ſimilia, niſi vel quia unum eſt cauſa alterius; vel quia ambo ab una cauſa cauſentur, quæ eandem formam utrique imprimat: ſed Angeli non ſunt ſimiles rebus materialibus, quia ſint cauſa eis dans eſſe: non enim ponimus (ut Philoſophi poſuerunt) quòd Angeli ſint cauſa materialium rerum, ſed Deum Creatorem omnium viſibilium, & inviſibilium; ergo reſtat quòd Angeli ſint rebus materialibus ſimiles, quia ſimilitudinem habent ſibi ab alio impreſſam, qui ſit rerum materialium cauſa: at omne id, quod aliquid habet non à ſeipſo, ſed ab alio, eſt ei præter eſſentiam ſuam; ergo ſimilitudines materialium rerum inſunt Angelo præter eſſentiam ſuam; ergo per eſſentiam ſuam eas non cognoſcit, ſed per formas, ſeu ſpecies apud ſe exiſtentes.

§. III.

Contrariis reſpondetur.

VIII. PRimò oppones, unum Angelum alium intelligere poſſe abſque ſpecie ſuperadditâ. Tunc enim iſta ſuperfluit, quando objectum, cui cognoſcendo intellectus applicatur, eſt per ſe actu intelligibile, quia immateriale, & præſens cognoſcenti: ſed Angelus cognitus eſt immaterialis, & poteſt eſſe præſens & indiſtans Angelo cognoſcenti; ergo &c.

Urgetur primò. Non magis actualis eſt ſpecies accidentalis, quam ponimus, quàm ſit Angeli cogniti eſſentia; ergo ſi ſpecies illa poteſt eſſe forma intelligibilis, cur non ipſa Angeli ſubſtantia? Maximè quia ſpecies ſolum requiritur, ut ſuppleat defectum objecti.

Urgetur ſecundò. Magis diſtat ab intellectu Angeli eſſentia Dei, quàm eſſentia alterius Angeli: ſed illa ut diximus in *Tract. de Viſione*, uniri poteſt ut forma intellectui angelico; ergo & alterius Angeli eſſentia.

Urgetur tertiò. Nam S. Auguſt. lib. 9. de Trinit. cap. 3. *Mens* (inquit) *ipſa ſicut corporearum rerum notitias per ſenſus corporis colligit, ſic incorporearum per ſemetipſam.*

IX. Reſpondetur, diſtingu. maj. & præſens. præſentiâ intentionali, conc. maj. præſentiâ phyſicâ ſolâ, nego maj. & nego min. intellectam de præſentia, tàm phyſica, quàm intentionali, & conſequ. *Intelligibile* enim (ait D. Th. 2. Contrag. cap. 98.) *eſt intra intellectum quantum ad id, quo intelligitur: nulla autem ſubſtantia illabitur menti, niſi ſolus Deus, qui eſt in omnibus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam.* Im-

Impoſſibile igitur videtur, quòd ſubſtantia ſeparata per eſſentiam ſuam intelligatur ab alia, & non per ſimilitudinem ejus in ipſa . . . . Unde ſubſtantia ſeparata, quamvis ſit per ſe intelligibilis actu, non tamen ſecundùm ſe intelligitur, niſi ab intellectu, cui eſt unum: ſic autem ſubſtantia ſeparata ſeipſam intelligit per eſſentiam ſuam. Hæc D. Thomas, quæ clara ſunt.

X. Ad id, quod primò urgetur, dico, quòd omiſſo, an ſpecies ſit, vel non ſit magis actualis, quàm ſubſtantia Angeli quam repræſentat; eſt tamen ratio deferens ſubſtantiam Angeli, eamque faciens unum cum intellectu, & eſt actu intelligibilis non ſolùm, *ut quod*, ſed etiam *ut quo* proximè, & ad hunc defectum ſupplendum requiritur. Hinc

XI. Ad id, quod ſecundò urgetur reſpondeo, eſſentiam divinam magis quidem diſtare ab intellectu unius Angeli, quàm eſſentia alterius, diſtantiâ in ratione entitatis, non diſtantiâ in ratione perfectivi, & perfectibilis: cùm enim ſit in ratione intelligibilis actus puriſſimus, poteſt in quemcumque intellectum per ſeipſam illabi, eique intimè præſens fieri, & intentionaliter illum perficere; quod reſpectu intellectus alieni nulli eſſentiæ creatæ poteſt convenire.

XII. Ad id, quod tertiò urgetur, reſpondeo, S. Auguſtinum, vel loqui de mente in ordine ad cognitionem ſui; unde ſtatim ſubjungit: *ergo & ſemetipſam per ſeipſam novit, quoniam eſt incorporea*. Ita reſpondet etiam S. Thom. *Qu.* 8. *de Verit. art.* 7. *ad* 4. Vel alio modo; ita ut verba Auguſtini referantur *ad objectum cognitionis, non ad formam quâ cognoſcitur*. Nam objectum ſenſus, & imaginationis *ſunt exteriora accidentia, quæ ſunt ſimilitudines rei, & non res ipſa; ſed objectum intellectus eſt quodquid eſt, ideſt ipſa eſſentia rei*. Unde concludit: *Et ſic ſimilitudo, quæ eſt in intellectu, eſt ſimilitudo directè eſſentia ejus, ſimilitudo autem, quæ eſt in ſenſu, vel imaginatione, eſt ſimilitudo accidentium ejus*. Hæc D. Thomas.

XIII. Secundò oppones. Ut ſubſtantia unius Angeli uniatur intentionaliter intellectui alterius, vel non requiritur illapſus in illum; vel ſi requiritur, non eſt Angelo impoſſibilis; ergo &c. Probatur prima pars. Primò. Nam ſpecies accidentalis unius Angeli unitur intellectui alterius ſine illapſu. Secundò. Unio per modum formæ intelligibilis, cùm ſit præcisè ad intelligendum, debet eſſe purè intentionalis; ergo non petit illapſum: maximè quia nec eſſentia divina dùm unitur per modum ſpeciei, unitur menti Beati per verum illapſum.

Secunda pars probatur, tùm ex illo *Joann.* 13. *v.* 27. ubi dicitur de Juda: *Et poſt buccellam introivit in eum Satanas*: at non in corpus, cùm illud non torqueret; ergo in animam. Secundò. Angelus animam ſeparatam localiter movet; unde *Luca* 16. *v.* 22. dicitur de anima Lazari: *Factum eſt, ut portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ*; ergo aliquid in ea operabantur; ergo per illapſum. Quod confirmat D. Thom. *Quolib.* 2. *artic.* 13. ubi ex D. Auguſt. 21. *de Civit. Dei cap.* 6. ait: Quòd Dæmones per necromantiam poteſtate ſuperiorum Dæmonum alligantur aliquibus imaginibus, vel aliquibus aliis rebus; ergo Angelus ſuperior poteſt illabi eſſentiæ Angeli inferioris. Tandem Angelus ſuperior illuminat inferiorem; ergo menti ejus illabitur.

XIV. Reſpondetur, negando antecedens pro utraque parte. Ad primam probat. primæ partis diſparitas eſt: quia ad unionem ſpeciei accidentalis ſatis eſt, ut præcedat unio per inhærentiam, quæ non eſt in eſſentia, ſed quaſi circumſtans eam. Sed ſubſtantia unius Angeli cùm non poſſit per inhærentiam, aut informationem uniri menti alterius, non reſtat alius modus, quo poſſit ei uniri, niſi per illapſum; vel ſaltem quòd hæc unio debeat præcedere, ut in ea poſſit pro-

 duce-

Digitized by Google

ducere cognitionem. Quamvis enim unio per modum formæ intelligibilis formaliter ſit purè intentionalis; hæc tamen neceſſariò ſupponere debet aliam unionem in eſſe entitativo, quæ ſit, vel per inhærentiam, vel per informationem, vel demum per intimum illapſum, qui etiam ſupponitur in eſſentia divina, ad hoc ut uniatur in ratione ſpeciei. Quare D. Thomas ſupra laudatus 2. Contrag. c. 98. *Intelligibile* (inquit) *eſt intra intellectum quantum ad id quo intelligitur; nulla autem ſubſtantia illabitur menti niſi ſolus Deus*. Et per hoc patet reſponſio ad ſecundum.

XV. Hoc idem docuerat S. Bernardus tùm *lib.* 5. *de Conſiderat. cap.* 5. ubi ponens differentiam inter operationem Dei, & angelicarum poteſtatum in nobis: *Faciunt* (inquit) *& illa, ſed in comparatione ejus non faciunt . . . Adſunt Angeli, & Archangeli: ſed ille germanior nobis, qui non modò adeſt, ſed ineſt. Quod ſi dicas, poſſe ineſſe & Angelum, non inficior. Memini ſcriptum:* & Angelus, qui loquebatur in me. *Atqui differentia, & in hoc. Ineſt Angelus ſuggerens bona, non ingerens: ineſt hortans ad bonum, non bonum creans. Deus ſic ineſt, ut afficiat, ut infundat, vel potiùs, ut infundatur, & participetur; ita ut unum perinde cum noſtro ſpiritum eſſe dicere quis non timuerit . . . Angelus ergo cum anima, Deus in anima*. Deinde concludit, Deum eſſe, & operari in anima, ſicut anima eſt, & operatur in corpore, quæ *videt in oculis, audit in auribus, odorat in naribus, in faucibus guſtat &c.* Tùm ſerm. 5. in Cantica dicens: *Illud autem ſcitote, nullum creatorum ſpirituum per ſe noſtris mentibus applicari, ut videlicet nullo mediante noſtri, ſive corporis inſtrumento, ita nobis immiſceatur, vel infundatur, quò ejus participatione docti, ſive doctiores, vel boni, ſive meliores efficiamur . . . Nec ipſi Angeli ita ſe alterutrum capiunt*.

XVI. Ad primam probat. ſecundæ partis reſpondet D. Thom. *in Cap.* 13. *Joann. lect.* 4. quod Dæmon poteſt intelligi dupliciter intrare in hominem: vel in corpus hominis; & ſic intrat in eos, qui ab ipſo vexantur: vel in mentem, *ita quod menti Dæmon eſſentialiter illabatur. Et ſic nullus poteſt intrare in hominem niſi ſolus Deus . . . nihil enim poteſt in ea eſſe, niſi quod ei dat eſſe, quod eſt ibi per virtutem ſuam: ubi autem eſt virtus Dei, ibi eſt & eſſentia Dei . . . Manifeſtum eſt ergo, quòd Deus eſſentialiter eſt in anima. Dicitur tamen Diabolus illabi menti humanæ per effectum, & affectum malitiæ, in quantùm ſcilicet homo ab eo ſeductus ſequitur eum ad perpetrandum malum*. Deinde obſervans, quod cùm ſupra dictum eſſet: *Cùm Diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet*, poſtea dicitur: *introivit in eum Satanas*; quærens quid interſit inter mittere, & introire, dicit: *Tunc enim dicitur Diabolus immittere aliquod malum in cor hominis, cùm homo præbet ei aſſenſum ad malum, tamen cum quadam trepidatione, an hoc facere debeat. Sed tunc intrat in cor, quando homo totaliter dat ſe ad ſequendum eum inſtinctum, & in nullo ei reſiſtit. Intravit ergo in eum Satanas, ut pleniùs poſſideret, & ad perpetrandum malitiam duceret, in quem priùs miſerat ut deciperet*. Itaque Satan intravit in Judam per effectum, & affectum malitiæ, quam in eum per ſuggeſtionem immiſerat.

XVII. Ad ſecundam prob. Vel dico, quòd anima Lazari dicitur portata ab Angelis in ſinum Abrahæ in ſenſu improprio, nimirum Angelorum plauſu, & honore, eo plane modo, quo (ait D. Tho. in 4. diſt. 44 a. 3 ad 1.) *corpora glorioſa dicuntur ferri bajulis Angelis, & etiam in Nubibus . . . ad reverentiam deſignandam, quæ corporibus glorioſis, & ab Angelis, & ab omnibus creaturis deferetur*. Vel ſi verè ab Angelis deferebatur anima Lazari, hoc erat virtute divina, cujus Angeli erant inſtrumentum, ad quod non requiritur illapſus in animam: ſicut nec

Sa-

Sacramentum, nec Miniſter dum animam mundat, in eam illabi neceſſe eſt, quia agit ut inſtrumentum Dei, cujus ſola operatio eſt, quæ animam tangit, ut docet D. Tho. 3. *p.* 64. *a.* 1.

XVIII. Ad confirmat. ex D. Thoma dico, illam alligationem inferiorum à Dæmonibus ſuperioribus, ſi ab iſtis principalitèr fiat, & non divinâ virtute, non provenire ab eis phyſicè, ſed tantum moraliter, nimirum imperio; quatenus Dæmon inferior ſubordinatus eſt ſuperiori, eique obedit, maximè in hominis pernicie procurandâ. Unus autem Angelus dicitur illuminare alium, non agendo in ipſum, ſed ei manifeſtando veritatem, quam ipſe cognoſcit, ut docet D. Tho. 1. *p. q.* 106. *a.* 1.

XIX. Tertiò oppones, Angelum omnia alia etiam materialia per ſuam ſubſtantiam cognoſcere. Angelus perfectè, & comprehenſivè cognoſcit ſuam potentiam intellectivam, quæ ad omnia cognoſcibilia ſe extendit: ſed qui comprehenſivè cognoſcit cauſam, cognoſcit in ea, & ex vi illius omnia, ad quæ cauſa illa ſe extendit; ergo ſuus intellectus, & ſua ſubſtantia, quæ eſt radix illius, eſt Angelo ratio cognoſcendi omnia alia à ſe.

XX. Reſpondeo, diſt. min. qui &c. cognoſcit cauſam adæquatam, cognoſcit &c. co. min. cauſam inadæquatam, nego min. ſicut ergo, qui comprehenſivè cognoſceret materiam, non cognoſceret diſtinctè omnia, quæ poſſunt ex illa fieri, ſed ad ſummum confusè; quia materia non eſt cauſa adæquata compoſiti, cùm ulteriùs requiratur forma determinans materiam ad talem, vel talem ſpeciem: ita Angelus comprehenſivè cognoſcens ſuam potentiam intellectivam, non cognoſceret diſtinctè omnia cognoſcibilia; quia cauſa adæquata cognitionis diſtinctæ non eſt ſola potentia intellectiva, niſi ei ſuperveniant ſpecies eam determinantes ad talis vel talis objecti cognitionem. Unde D. Thomas hâc 1. p. q. 55. a. 1. ad 3. *dicendum* (inquit) *quòd ea quæ ſunt infra Angelum, & ea quæ ſunt ſupra ipſum, ſunt quodammodo in ſubſtantia ejus, non quidem perfectè, neque ſecundùm propriam rationem; cùm Angeli eſſentia finita exiſtens, ſecundùm propriam rationem ab aliis diſtinguatur, ſed ſecundùm quandam rationem communem. In eſſentia autem Dei ſunt omnia perfectè, & ſecundùm propriam rationem, ſicut in prima, & univerſali virtute operativa, à qua procedit quidquid eſt in quacumque re proprium, vel commune. Et ideò Deus per eſentiam ſuam habet propriam cognitionem de rebus omnibus, non autem Angelus, ſed ſolam communem.*

XXI. Sed dices. Res materiales meliùs cognoſcuntur in eſſentia divina, quàm in propriis naturis: ſed eſſentia Angeli propinquior eſt eſſentiæ divinæ, quàm res materiales; ergo cùm eas nos cognoſcamus in propriis naturis, meliùs eas cognoſcet Angelus in propria eſſentia.

Confirmabis. Intellectus angelicus medius eſt inter divinum, & humanum: ſed intellectus divinus omnia cognoſcit per eſſentiam ſuam, humanus autem omnia per ſpecies; ergo angelicus ad minus aliqua cognoſcet per eſſentiam ſuam.

XXII. Reſpondeo cum D. Tho. Q. 8. de Verit. a. 8. ad 2. *Quod eſſentia Divina eſt infinita, unde non determinatur ad aliquod genus, ſed colligit in ſe perfectiones omnium generum . . . eſſentia autem Angeli eſt determinata ad aliquod genus: unde non habet in ſe, unde ſit ſimilitudo materialium omnium, niſi, ei aliud ſuperaddatur, quo res in propria natura cognoſcat.*

Ad conf. reſpond. cum eodem ibi ad 6. *quòd intellectus Angeli quantum ad hoc medius eſt inter intellectum divinum, & humanum, quòd res alias cognoſcit per formas eſſentia ſuperadditas, in quo deficit ab intellectu divino; ſe autem cognoſcit per eſſentiam, in quo excedit intellectum humanum.*

DU-

DUBIUM IV.

An ſpecies, quibus Angelus cognoſcit alia à ſe, ſint illi à Deo infuſæ; an à rebus ipſis acceptæ?

§. I.

Opiniones recenſentur.

I. Loquimur univerſaliter circa omnia objecta nedùm materialia, & ſenſibilia, ſed & immaterialia, naturalia tamen: ſupponimus enim, ad cognoſcenda ſupernaturalia & myſteria gratiæ uti Angelum ſpeciebus à Deo infuſis.

II. In hac quæſtione Scotum habemus contrarium, ejuſque Scholam. Eſto enim non neget Angelo fuiſſe infuſas aliquas ſpecies, maximè ab initio ſuæ conditionis; de eo enim *Ezech.* 28. *v.* 12. dicitur: *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientiâ, & perfectus decore.* Et v. 15. *perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* (Hanc autem cognitionis perfectionem habere non potuit per ſpecies acquiſitas, cùm in tam brevi mora, qualis fuit inter Angelorum conditionem, & aliquorum peccatum, non potuerint applicari omnibus objectis ad hauriendam ex illis cognitionem) Attamen circa ea, quæ ab initio nota eis non fuerunt, & decurſu temporis evenerunt, & adhuc eveniunt, ab ipſis ſpecies acquirere autumat. Imò ſi per accidens ab initio eis ſpecies aliquorum non fuiſſent infuſæ, potuiſſe eas ab ipſis rebus, dum præſentes fiunt, acquirere ad habendam de eis notitiam intuitivam; & proinde in eis ponendum eſſe Intellectum agentem, qui ſit virtus talium ſpecierum acquiſitiva.

III. Ab oppoſito autem S. Thomas, ejuſque Diſcipuli cum majori Theologorum parte negant, Angelos accipere ſpecies à rebus; ſed aſſerunt, omnia per ſpecies à Deo Conditore immediatè infuſas, ſive ſupernaturalia, ſive naturalia, ſive immaterialia, ſive materialia cognoſcere. Ita S. Doct. hìc q. 55. a. 2. Q. 8. *de verit.* a. 9. 2. *Contrag. c.* 96. & in 2. *diſt.* 3. *qu.* 2. *a.* 2.

§. II.

Reſolvitur de rebus materialibus.

IV. Dico primò. Angelus de facto non intelligit per ſpecies, quas à rebus ſenſibilibus acquirat. Probatur primò ex ſuperiùs allato teſtimonio Ezechielis, ubi Angelus dicitur *plenus ſapientiâ, & perfectus decore à die conditionis ſuæ.* Quòd ſi *plenus* fuit *ſapientiâ*, ſi *perfectus decore*; ergo nihil illi defuit ad rerum cognitionem, non in univerſali tantùm, & confuſè, ſed in particulari, & diſtinctè; non ſolùm quoad ſupernaturalia, ſed etiam quoad naturalia. Sicut enim Angelus non ut homo acquirit ſucceſſivè perfectionem in eſſe, ita nec eam acquirere debet in cognitione. Imò ſi Deus hominem ab initio condidit perfectum tàm animâ, quàm corpore; multò veriùs de Angelo id dicendum videtur.

V. Hoc idem roboratur auctoritate D. Auguſt. lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 8. ubi docet, quod *conditio Cœli priùs erat in Verbo Dei ſecundùm genitam ſapientiam; deinde facta eſt in creatura ſpiritali, hoc eſt in cognitione Angelorum ſecundùm creatam in illis ſapientiam*: atqui non poterat ſapientia in Angelis creari abſque ſpeciebus; ergo in Angelis fuerunt creatæ rerum ſpecies, & ideæ, quæ in Verbo genitæ fuerant: ſed ſpecies, ſeu ſapientia in Verbo genita, non fuit rerum in univerſali, ſed in particulari; ergo ſpecies, ſeu ſapientia creata in Angelis, non fuit rerum in univerſali, ſed in particulari, non confuſa, ſed diſtincta.

VI. Dico ſecundò. Non poteſt Angelus propter perfectionem ſuæ naturæ acquirere ſpecies à rebus materialibus, ſed ex natura ſua petit illas habere infuſas à Deo; & ſic caret intellectu agen-

Digitized by Google

agente, ſeu principio acquiſitivo ſpecierum à rebus materialibus.

Probatur primò. *Angeli magis excedunt corpora omnia, quàm corpora ſuperiora excedant inferiora: ſed corpora ſuperiora propter ſui nobilitatem non recipiunt aliquam impreſſionem à corporibus inferioribus; ergo multò minus intellectus angelici aliquas formas à corporalibus rebus accipiunt, quibus intelligunt*. Ita arguit D. Thomas *Qu. 8. de Verit. art. 9.* in argum. *ſed contra*.

VII. Confirmat hanc rationem hìc *1. p. qu. 55. art. 2.* ſic. Talis debet ſtatui diſtinctio, & ordo inter ſubſtantias ſpirituales, qualis eſt inter corporales: ſed inter ſubſtantias corporales hæc eſt diſtinctio, & is eſt ordo, ut ſuperiores, quales ſunt Cœli, habeant potentiam in ſui natura totaliter perfectam per formam; ita ut ab initio nihil eis deſit virtutis ad ſuas operationes exercendas: inferiores verò, quales ſunt ſublunares, habeant materiam non totaliter perfectam per formam, ſed accipiant nunc unam, nunc aliam formam ab aliquo agente; ergo ſimiliter inter ſubſtantias ſpirituales, ea, quæ inferior eſt, ſcilicet anima humana, non habebit potentiam intellectivam ſtatim totaliter completam; ſed complebitur ſucceſſivè per hoc, quod accipiat formas intelligibiles à rebus: ſubſtantiæ verò ſpirituales ſuperiores, quales ſunt Angeli, habebunt potentiam intellectivam naturaliter completam per formas, ſeu ſpecies intelligibiles omnium rerum, quas poſſunt intelligere.

VIII. Probatur ſecundò ratione ejuſdem S. D. citato loco. Angelus eſt omnino abſolutus à corpore in eſſe, cùm ſit ſubſtantia immaterialis per ſe ſubſiſtens; ita ut nec uniatur, nec uniri poſſit corpori per modum formæ; ergo neque à corpore accipere poteſt ſuam formam intelligibilem. Conſ. prob. Tùm quia modus acquirendi perfectionem eſt juxta modum eſſendi. Tùm quia ideò anima humana acquirit ſuam perfectionem intelligibilem à corporibus, quia habet eſſe affine corpori, inquantùm eſt corporis forma. *Et ideò ex ipſo modo eſſendi competit ei, ut à corporibus, & per corpora, ſuam perfectionem intelligibilem conſequatur, alioquin fruſtra corpori uniretur*; ergo ab oppoſito, quia Angeli ſunt in eſſe prorsùs abſoluti à corporibus, ex ipſo modo eſſendi competit eis &c. *Et ideò ſuam intelligibilem perfectionem conſequuntur per intelligibilem effluxum, quo à Deo ſpecies rerum cognitarum acceperunt ſimul cum intellectuali natura. Unde Auguſt. dicit lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 8. quòd cætera quæ infra Angelos ſunt, ita cauſantur, ut fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere ſuo*. Ita S. Thomas.

IX. Reſpondebit Scotiſta cum Scoto, hinc inferri ſolùm, quòd Angelus non poſſit accipere ſpecies à rebus materialibus miniſterio ſenſuum, ſicut eas accipit anima humana conjuncta corpori; non verò quòd eas non accipiat immediatè ab ipſis materialibs objectis beneficio intellectus agentis, qui in Angelo ponendus eſt.

X. Sed contra primò. Nam vel intellectus Angeli ſumit ſuas ſpecies ab objectis jam cognitis per alias potentias cognoſcentes præter intellectum; vel non, ſed eas immediatè haurit ab ipſis objectis. Si primum; ergo jam ſupponitur in Angelo cognitio ſenſitiva; quia objectum non præſupponitur cognitum ante cognitionem intellectivam, niſi per ſenſum, ut in nobis contingit. Si verò ſecundùm; ergo objectum materiale immediatè agit, & movet intellectum Angeli, qui eſt potentia ſpiritualis, quod repugnat: ſi enim objectum materiale non poteſt immediatè movere intellectum humanum; multò minus movere poterit immediatè angelicum.

XI. Si dicas, ſpecies illas per intellectum agentem Angeli purificari, & ſpiritualizari; ſicque intellectui præſentari, ut per eas cognoſcat.

Inſto ſic. Ergo ſpecies illæ ſic purifi-

rificatæ erunt ſicut ſpecies noſtri intellectus repræſentantes res depuratas à conditionibus materialibus, & individualibus; ergo non repræſentabunt directè ipſa ſingularia, ſed parient in Angelo cognitionem ſolùm in communi, & valdè confuſam. Cùm enim Angelus careat ſenſibus, & phantaſmatibus, ad quæ ſe convertens intellectus noſter, indirectè ſaltem, & reflexè cognoſcit ſingularia, ſequeretur, quòd Angelus nullo modo ea cognoſceret; ſicut nec ſpecies illa ab eis ſeparata nullo modo ea repræſentaret: & ſic deterioris conditionis eſſet quoad ſingularia materialia cognitio Angeli, quàm noſtra.

XII. Inſto ſecundò. Objectum materiale, vel concurreret ad formandam ſpeciem intelligibilem in intellectu Angeli, ut cauſa inſtrumentalis, eo modo, quo in nobis concurrit phantaſma; vel per modum cauſæ principalis. Non primum; aliàs non ſibi aſſimilaret cognitionem, cùm effectus non aſſimiletur cauſæ inſtrumentali. Non ſecundum; quia ſi objectum materiale nequit immediatè, ſed ſolùm medio phantaſmate ipſum quodammodo elevante, concurrere ad formandam ſpeciem intelligibilem in nobis; multò minus id poterit ad formandam ſpeciem intelligibilem in Angelo, quæ magis ſpiritualis eſſe debet.

XIII. Inſto tertiò. Intellectus Angelicus purè ſpiritualis, & objectum purè materiale nequeunt invicem intelligibiliter uniri, niſi aliquo medio proportionentur; non enim fit tranſitus ab extremo ad extremum, niſi per medium: atqui medium proportionans objectum purè materiale, ut poſſit uniri cum intellectu, eſt imaginatio, ſeu ſpecies in phantaſia, quæ eſt forma ſine materia cum conditionibus tamen materiæ; ergo vel in Angelo ponenda eſt imaginatio, & conſequenter corpus: vel ſi non; non poterit in eo formari ſpecies intelligibilis accepta à rebus materialibus. Ita S. Tho. hâc *q.* 55. *a.* 2. *ad* 2. & *Q.* 8. *de Veritate a.* 9. ubi ſic concludit: *Et ideò dicendum videtur ſecundùm quod tertia opinio dicit, quæ communior eſt, & verior, quòd Angeli per formas innatas cognoſcunt. Sicut enim ex rationibus æternis in mente divina exiſtentibus procedunt formæ materiales ad rerum ſubſtantiam; ita procedunt à Deo formæ rerum omnium in mentes Angelicas ad rerum cognitionem; ut ſic intellectus Angeli noſtrum intellectum excedat, ſicut res formata excedit materiam informem. Unde intellectus noſter comparatur tabulæ, in qua nihil eſt ſcriptum; Intellectus autem Angeli tabulæ depictæ, vel ſpeculo, in quo rerum rationes reſplendent.*

§. III.

Corollaria ex dictis.

XIV. Ex his infero primò cum D. Tho. 2. Contrag. c. 96. *quòd in ſubſtantiis ſeparatis non eſt intellectus agens, & poſſibilis, niſi fortè æquivocè. Intellectus enim poſſibilis, & agens in anima intellectiva inveniuntur, propter hoc, quòd accipit cognitionem intellectivam à ſenſibilibus. Nam intellectus agens eſt, qui facit, ſpecies à ſenſibilibus acceptas eſſe intelligibiles: intellectus autem poſſibilis eſt in potentia ad omnes formas ſenſibilium cognoſcendas. Cùm igitur ſubſtantiæ ſeparatæ non accipiant cognitionem à ſenſibilibus, non eſt in eis intellectus agens, & poſſibilis.* Ita S. Thomas.

XV. Sed dicit Scotus. Potentia activa, quæ abſque imperfectione tribuitur naturæ inferiori, non eſt deneganda ſuperiori: ſed intellectus agens tribuitur hominibus, qui ſunt Angelis inferiores; ergo multò magis &c. = Quod confirmat. Natura enim nobiliſſima debet in ſe habere eas virtutes, quibus ſuam aſſequi poſſit perfectionem: ſed rerum cognitio, quæ eſt Angeli perfectio, ſolius intellectus agentis beneficio comparari poteſt; ergo &c.

XVI. Retorqueri poteſt inſtantia. Si

Digitized by Google

Si enim omnis virtus, quæ abſque imperfectione tribuitur naturæ inferiori non eſt deneganda naturæ ſuperiori, & hujuſmodi eſt intellectus agens; ergo etiam in Deo, in quo omnis perfectio, quæ in inferioribus ſine imperfectione reperitur, poni debet, aderit intellectus agens, quod Scotus non admittit.

XVII. Reſpondent ergo Noſtrates, & benè, maj. eſſe veram de perfectione ſimpliciter ſimplici, quæ nullam involvit, nec ſupponit imperfectionem, ſecùs de perfectione ſolùm in tali determinato genere, qualis eſt intellectus agens. Hic enim, ſicut diſcurſus, perfectio quidem eſt ſupra bruta; quia facit hominem intelligere, & non ſolùm ſentire, ſicut bruta, quæ non intelligunt, ſicut nec diſcurrunt: cæterùm ſicut diſcurſus perfectio eſt imperfectionem ſupponens, ita & ſpecies per intellectum agentem acquirere; ſupponit enim intellectum eſſe ſpoliatum omni formâ intelligibili, & in potentia ad illas. Quod repugnat naturæ ſubſtantiæ ſeparatæ, quæ petit ſtatim eſſe perfectam omnibus ſpeciebus, ſicut & in principio cognoſcere concluſionem; ideò ſicut in Angelis major perfectio eſt carere diſcurſu, ita & carere virtute formativâ & acquiſitiva ſpecierum ad intelligendum.

XVIII. Ad confirmat. nego maj. habere enim virtutes, quibus poſſit natura ſuam aſſequi perfectionem, ſupponit eam, ſuam perfectionem non habere, ſed eſſe in potentia ad illam; perfectius eſt autem ſuam perfectionem ſtatim habere, quàm poſſe illam ſibi acquirere. Sic perfectius eſt habere perpetuitatem in eſſe, quàm media virtute generativa illam ſucceſſivè acquirere; ideòque eſto vis generativa ſit in homine, in Angelo tamen non eſt.

XIX. Replicabis. Perfectius eſt habere perfectionem propriis viribus acquiſitam, quàm illam habere ab alio acceptam; & hâc ratione in Chriſto ponitur ſcientia acquiſita. Imò quamvis haberet ſcientiam infuſam, adhuc tamen in eo fuit, & ſcientia acquiſita, & intellectus agens, quo poſſet ab objectis ſpecies accipere; ergo ſimiliter, etſi Angelis ab initio fuerint inditæ ſpecies, adhuc tamen locus eſt, ut in eis ponatur intellectus agens.

XX. Reſpondeo, perfectius fortè eſſe acquirere perfectionem propriis viribus, quàm illam habere ab alio, ſi cætera ſint paria; non tamen ſi perfectio, quæ habetur ab alio ſit longè major, quàm ea, quæ propriis viribus acquiritur; ſic perfectiùs homo poſſidet beatitudinem, quàm bruta, etſi homo viribus gratiæ, bruta autem viribus propriis ad eam perveniant; quia beatitudo hominis longè altior eſt, ut docet D. Thom. 1. 2. qu. 5. art. 5. ad 2. *ſicut meliùs eſt diſpoſitus ad ſanitatem, qui poteſt conſequi perfectam ſanitatem, licèt hoc ſit per auxilium medicinæ, quàm qui poteſt conſequi imperfectam ſanitatem ſine medicinæ auxilio*. Et perfectior eſt Angelus in ſuo eſſe naturali, quàm homo, quamvis hic ad ſtatum perfectum ſuis viribus perveniat, Angelus verò illum à Deo Creatore ſtatim habeat. Sic perfectior erit, quamvis à Deo acceperit ſpecies ad cognoſcendum, quàm homo, qui propria virtute eas acquirit; quia cognitio Angeli, longè perfectior eſt, quàm cognitio hominis.

Neque juvat exemplum de Chriſto. Ut enim docet D. Thom. 3. *p. q. 9. a.* 4. Cùm in Chriſto eſſet natura humana, nihil ei deeſſe debuit eorum, quæ Deus in natura humana plantavit; & proinde in eo poni debuit intellectus agens, ſicut in cæteris hominibus, qui, ne ſuâ careret operatione, debuit etiam in Chriſto abſtrahere ſpecies à phantaſmatibus, & conſequenter ponenda fuit in eo ſcientia accepta à rebus, quæ eſt acquiſita. Quòd autem in eo eſſet ſcientia infuſa, hoc erat per accidens, & non ex conditione naturæ humanæ, quæ petit cognoſcere per ſpecies acceptas à re-

à rebus. Contrarium autem evenit in Angelis. Horum enim natura (ſicut & Cœleſtium corporum) petit ſtatim omni ſuâ perfectione ad eſſendum, & cognoſcendum eſſe imbuta. Quare facere, ut per ſpecies acceptas à rebus cognoſceret; eſſet operari vel contra, vel ſupra modum connaturalem ipſius.

XXI. Infero ſecundò ex eodem Divo Thoma 2. Contrag. c. 96. citato: *quod localis diſtantia cognitionem animæ ſeparatæ impedire non poteſt. Localis enim diſtantia per ſe comparatur ad ſenſum, non autem ad intellectum, niſi per accidens, inquantùm à ſenſu accipit. Nam ſenſibilia ſecundùm determinatam diſtantiam movent ſenſum: intelligibilia autem ſecundùm quòd movent intellectum, non ſunt in loco, cùm ſint à materia corporali ſeparata. Cùm igitur ſubſtantia ſeparata non accipiant intellectivam cognitionem à ſenſibilibus, in eorum cognitionem diſtantia localis nihil operatur.* Ita D. Thomas.

XXII. Sed dices S. Auguſtinus *lib. de cura gerenda pro mortuis cap.* 13. de animabus defunctorum loquens, ait: *Ibi ergo ſunt ſpiritus defunctorum, ubi non vident, quæcumque aguntur, aut eveniunt in iſta vita hominibus;* Ergo diſtantia localis impedit cognitionem animæ ſeparatæ; ergo & Angelorum. Quod aſſerit Greg. *lib.* 12. *moral. c.* 14.

Secundò. Angelus, ut agat, debet conjungi loco, nec in omni diſtantia agere poteſt, ut ſupra diximus: ſed agit per cognitionem; ergo localis diſtantia impedit &c.

XXIII. Reſpondetur cum D. Thom. 1. *p. qu.* 89. *a.* 7. *ad* 1. neg. primam conſequentiam. Non enim, quòd animæ mortuorum, quæ hìc aguntur neſciant, vult Auguſtinus, hujus ignorantiæ cauſam eſſe localem diſtantiam: ſed quia, ut ibidem ait, noſtris rebus non interſunt. Cùm enim, ut docet D. Thom. loco relato a. 8. *Animæ mortuorum ſecundùm ordinationem divinam, & ſecundùm modum eſſendi ſegregatæ ſint à converſatione viventium, & conjunctæ converſationi ſpiritualium ſubſtantiarum, quæ ſunt à corpore ſeparatæ. Unde ea, quæ apud nos aguntur, ignorant.* Quam rationem indicat quoque S. Gregorius laudato loco.

XXIV. Hæc tamen intelligenda ſunt de cognitione naturali, ait Divus Thomas ibi. Nam ſi de animabus Beatis ſermo ſit, probabiliùs cenſet cum D. Gregorio citato, quòd animæ Sanctorum Deum videntes omnia præſentia, quæ hìc aguntur, agnoſcant. Sunt enim æquales Angelis, neque Auguſtinus diſſentit. Unde ad Verba citata præmiſit: *Ut valet, accipiat quiſque, quod dicam:* quibus verbis indicat, dum ait, animas mortuorum, quæ hìc aguntur, ignorare, non aſſerendo, ſed dubitando dixiſſe.

XXV. Verùm admiſſa opinione Auguſtini, neſcire animas ſeparatas, quid hìc agatur; id tamen de Angelis inferendum non eſt. Etenim, idem Auguſtinus *c.* 15. ibidem poſtquam ait, animas defunctorum neſcire id, quod hìc agitur *ſed dùm hìc agitur*, audire tamen poſtea; exponens, à quibus audiant, dicit, primò, eas audire ab eis, qui hinc ad eas tranſeunt moriendo; unde præmiſerat, Abrahamum, quid diviti damnato contigiſſet in terris, Lazaro indicante didiciſſe. Deinde ſubdit: *Poſſunt & ab Angelis, qui rebus, quæ aguntur hìc, præſtò ſunt audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui cuncta ſubjecta ſunt; niſi enim eſſent Angeli, qui poſſent intereſſe vivorum & mortuorum locis, non dixiſſet Dominus Jeſus: contigit autem mori inopem illum, & afferri ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Sic ergo dico. Spiritus defunctorum ſecundùm Auguſtinum ignorant, quæ hìc aguntur, quia vivorum rebus non interſunt: ſed Angeli rebus vivorum interſunt, ac præſtò ſunt, ut idem Auguſtinus fatetur; ergo &c.

Ad ſecundum dico; Angelum agere cognitione practicâ, & ab hac certè aliquando locali diſtantiâ impeditur, ut ſupra diximus. Non tamen agit cognitione contemplativâ, & hanc dicit

Digitized by Google

cit D. Thomas locali diſtantiâ non impediri. Unde 1. p. qu. 55. art. 2. ad 3. *cognitio* (inquit) *Angeli indifferenter ſe habet ad diſtans, & propinquum ſecundùm locum. Non tamen propter hoc motus ejus localis eſt fruſtra. Non enim movetur localiter ad cognitionem accipiendam, ſed ad operandum aliquid in loco.*

§. IV.

Reſolvitur de rebus immaterialibus.

XXVI. Dico tertiò. Nec poteſt Angelus res immateriales intelligere per ſpecies ab ipſis rebus immaterialibus acceptas; ſed unicè per ſpecies à Deo ipſi in ejus creatione infuſas. Eſt expreſſa D. Thomæ. Nam 1. p. q. 56. a. 2. *Unicuique* (inquit) *ſpiritualium creaturarum à Verbo Dei impreſſa ſunt omnes rationes rerum omnium tàm corporalium, quàm ſpiritualium. Ita tamen, quod unicuique Angelo impreſſa eſt ratio ſua ſpeciei ſecundùm eſſe naturale & intellectuale ſimul, ita ſcilicet, quòd in natura ſua ſpeciei ſubſiſteret, & per eam ſe intelligeret. Aliarum verò naturarum tàm ſpiritualium, quàm corporalium rationes ſunt ei impreſſæ ſecundùm eſſe intellectuale tantùm; ut videlicet per hujuſmodi ſpecies impreſſas tàm creaturas corporales, quàm ſpirituales cognoſceret.* Et Qu. 8. *de Verit. a.* 7. relatis variis dicendi modis concludit: *Unde alius modus eſt eligendus, ut dicatur, quòd unus Angelus alios cognoſcit per ſimilitudines eorum in intellectu ejus exiſtentes: non quidem abſtractas, aut impreſſas ab alio Angelo, vel aliquo modo acquiſitas, ſed à creatione divinitùs impreſſas, ſicut & res materiales per hujuſmodi ſimilitudines cognoſcit.* Quibus, quo ad hoc, eodem modo de ſpiritualibus, ac de materialibus ſentit.

XXVII. Propterea hùc redeunt omnia, quæ ſuperiùs, tùm ex auctoritate, tùm ex ratione §. 2. attulimus ad probandum, Angelos rès materiales per ſpecies ab ipſis acceptas non cognoſcere, ſed per infuſas à Deo. Non enim minùs ab initio Angelus plenus fuit ſapentiâ quoad ſpiritualia, quàm corporalia: ſtatim enim eorum quilibet comprehenſivè ſeipſum cognovit, & proinde differentiam ſuam ab aliis Angelis, quod contingere non potuit, niſi & alios ſtatim cognoſceret: non autem eos in primo inſtanti ſuæ creationis potuit cognoſcere per ſpecies ab ipſis impreſſas, quia omnes ſimul producti ſunt; ut autem poſſet ſpecies ab illis accipere, debuiſſet ſupponere eos jam exiſtentes.

XXVIII. Tùm etiam, quia idem ordo ſervandus eſt inter ſubſtantias ſpirituales intellectuales, ac inter corporeas; ergo ſicut ſubſtantiæ quidem corporales inferiores accipiunt ſucceſſivè ſuas formas, & perfectionem etiam ſubſtantialem; ſubſtantiæ tamen corporales ſuperiores, quales ſunt Cœleſtes, ſtatim ab initio totam ſuam perfectionem acceperunt in eſſe ſubſtantiali: ſic eſto ſubſtantiæ ſpirituales inferiores, quales ſunt animæ humanæ, formas intellectuales, ſeu intelligibiles, quibus in eſſe intellectuali complentur, ſucceſſivè acquirant; tamen ſubſtantiæ ſpirituales, & intellectuales ſuperiores, quales ſunt Angeli, ab initio formas ſuas intellectuales, ſeu intelligibiles habuiſſe credendæ ſunt, ſtatimque in eſſe intellectuali fuiſſe ultimò completæ.

XXIX. Loquor autem de ultimo complemento actus primi, & per modum formæ, ſeu principii intelligendi; non de ultimo complemento per modum actus ſecundi, & actionis. Quare non poterit quis inferre, quòd ſi Angeli ab initio omni formâ ad intelligendum imbuti ſint, ſemper ſint in actu ſecundo cognoſcendi omnia: poſſunt enim ab actu ſecundo pro ſua libertate ceſſare, & formâ quâ præditi ſunt uti, vel non uti ad alia à ſe cognoſcenda, vel non cognoſcenda. In quo ſtat etiam differentia inter Angelos, & corpora ſuperiora. Hæc enim cùm neceſſariò in-

fluant, ab influxu actuali ceſſare non poſſunt, benè tamen Angeli ab actuali cognitione, in qua liberi ſunt.

XXX. Neque ex hoc inferat aliquis, quòd ſicut Cœli inferiores aliquid accipiunt à ſuperioribus, motum, & lucem; ita & Angeli præſertim inferiores accipere poterunt lumen, & ſpecies ad cognoſcendum.

Nam hoc ad ſummum probat, Angelos inferiores poſſe accidentaliter illuminari, & edoceri à ſuperioribus, non autem ab illis formas ad cognoſcendum accipere. Imò ſicut Cœli inferiores, quamvis aliquid accidentale à ſuperioribus participent, formas tamen, ſeu principia quibus poſſint influere, à Deo habuerunt: ſic Angeli inferiores, eſto à ſuperioribus de cognoſcendis aliquomodo illuminentur, formas tamen & principia ad cognoſcendum à Deo habuerunt.

XXXI. Neque afferat Scotus notam diſparitatem inter formas Cœlorum, & ſpecies Angelorum; quòd illæ à ſolo Deo creari poſſunt, & à nullo agente creato produci; iſtæ verò ab Angelo cognoſcente, & cognito produci poſſunt: & cum Deus agere ſoleat per cauſas creatas; quod illæ agere poſſunt, ne earum virtus ſit fruſtra, fit, quòd Deus ſinit, objecta immaterialia immittere ſpeciem ſui in intellectum Angeli.

Nego enim, Angelum poſſe producere ſpeciem ſui in intellectum alterius Angeli, quod Scotus probare debuerat, non ſupponere. Eâdem enim ratione, quâ Dubio præcedente oſtendimus §. 2. *n.* 3. & ſequentibus, unum Angelum non poſſe per ſuam ſubſtantiam intellectui alterius uniri, aliàs in ipſum illaberetur (quod ſolius Dei qui intellectum creavit, proprium eſt) nec poteſt ſpeciem ſui in alienum intellectum producere.

XXXII. Quòd ſi dixeris, hunc illapſum non requiri ad rationem ſpeciei; ſed ſatis eſſe, quòd objectum fiat præſens potentiæ per intimam, & immediatam ſui rationem, etiamſi hæc fiat ſolâ objecti externâ appoſitione, & præſentiâ, quæ non eſt ad modum contactus phyſici.

XXXIII. Contra eſt. Nam ad movendum intellectum per ſui ſpeciem ad cognitionem non ſufficit quæcumque indiſtantia, propinquitas, ſeu præſentia, localis; quo pacto unus Angelus conjungitur alteri ad cauſandum motum, jungendo cum illo virtutem ſuam, quin aliquid cauſet in illo: ſed requiritur, ut præter localem motum, quo illi appropinquat, virtutem habeat ad immutandum intellectum illius; quia ſpecies illa debet educi, vel à ſubſtantia, vel intellectu Angeli, in quo ſubjectari debet: forma autem, ſeu ſpecies de novo educi, & recipi nequit abſque immutatione ſubjecti, ex quo educitur, & in quo recipitur. Porrò cùm hanc vim cauſativam impreſſivam, & immutativam non habeat unus Angelus in intellectum alterius; quia ſicut ſolius Dei, qui eſt cauſa ejus, eſt immutare per modum agentis Voluntatem, ita & intellectum. Inde eſt, quòd unus Angelus ſpeciem ſui in intellectum alterius imprimere non poteſt, qui ſolùm immutari poteſt, vel ab aliquo ſui, ſicut intellectus agens immutat noſtrum intellectum, & intellectus voluntatem; vel à ſuo proprio generante, & factore, qui eſt Deus.

XXXIV. Quod à poſteriori confirmatur. Si enim unus Angelus intrare poteſt intellectum alterius per ſpeciem ſui, eumque immutare, ac determinare, ad ſui cognitionem; cur non poterit intellectus unius Angeli intrare intellectum alterius, & voluntatem, & operando in illis cognoſcere ſecreta cordis ejus? Certè non eſt ratio, cur habeat vim immutandi intùs ipſum intellectum, & non habeat facultatem cognoſcendi illud, quod immutat, & in quod agit, videndo quid operetur. Cùm ergo hoc neget Scotus, neget quoque primum, neceſſe erit.

XXXV. Quæri poteſt, an ſaltem ſupernaturaliter, & de abſoluta Dei poten-

Digitized by Google

potentia fieri poſſit, ut Angelus per ſpecies à rebus acceptas intelligat?

Reſpondeo, me nullam in hoc videre implicantiam, nec ex Doctrina D. Thomæ hactenùs allatâ, quidquam erui, quod eam convincat, vel inſinuet; cùm tota fundetur in exigentia connaturali naturæ Angeli. Quamvis enim in Angelo non detur agens ſpiritualizans, & proportionans ſpecies à rebus materialibus productas; vel producens in Angelo vim aliquam ſimilem intellectui agenti; vel immediatè activè eas ita ſpiritualizando, ut poſſint angelico intellectui uniri, eique objectum repræſentare, ejuſque notitiam parere: nullam tamen video repugnantiam in hoc, quòd objecta ſpiritualia, & materialia quoque, Deo ſic volente, & ſupra naturam operante, poſſint ſpeciem ſui immittere in intellectum angelicum. Spiritualia quidem, non illabendo, ſed divinitùs per modum cauſæ principalis producendo ſpeciem ſui ſpiritualem, quæ ſupernaturaliter omne medium pertranſeat: materialia autem ſpeciem ſpiritualem producendo inſtrumentaliter, eo modo, quo Sacramenta producunt gratiam in Anima. Quomodocumque enim illæ ſpecies producerentur in intellectu Angeli, & eſſent formales ſimilitudines objectorum à quibus producerentur; per eas ſic acquiſitas intellectus Angeli formaretur ad ea intelligenda.

§. V.

Fundamenta contra præfatas aſſertiones.

XXXVI. Contra aſſertiones ſtatutas §. 2. objiciunt Scotiſtæ, & alii. Primò: ab auctoritate nam ad *Epheſ.* 3 v. 10. ubi Paulus dicit, quòd diſpenſatio Sacramenti Incarnationis à ſeculis abſconditi facta eſt: *ut innoteſcat Principatibus, & Poteſtatibus in Cœleſtibus per Eccleſiam multiformis Sapientia Dei:* ſuper quæ D. Hieronymus arguit, quòd *ſi Principatibus, & Poteſtatibus in Cœlis... ignota fuit multiplex Sapientia Dei, quæ nunc eis revelata eſt per Eccleſiam, quantò magis Patriarchis, & Prophetis ignota fuit? &c.* ergo Angeli ab Apoſtolis, & Eccleſia didicerunt Myſterium Incarnationis, ſaltem quoad aliquas circumſtantias, ſicut & veteres Patriarchæ; ergo ſcientiam, ac ſubinde ſpecies de illo, non ſecùs, ac Patriarchæ acceperunt.

Rursùs D. Auguſt. *lib.* 12. *de Trinit. c.* 7. ait, quòd *dum aliquid temporaliter, ac tranſitoriè geritur, ſimul inde afficiuntur ſenſus, vel carnales animalium, & hominum, vel etiam Cœleſtes Angelorum.*

Item *lib.* 2. *de Geneſ. ad litt. c.* 17. Dæmones aſſerit diuturnâ experientiâ aliqua diſcere, vel à bonis Angelis edoceri.

XXXVII. Reſpondetur ad textum Pauli cum D. Tho. Q. 8. de Verit. a. 9. ad 2. quòd *myſterium Incarnationis primò eſt ſcitum ab Angelis, quàm ab hominibus, unde & homines de ipſo per Angelos ſunt edocti, ut dicit Dionyſius c.* 4. *Cœleſtis Hierarchiæ. Ipſi enim Incarnationis myſterium mundo abſconditum à ſeculis cognoverunt, & per Angelorum Eccleſiam, quæ eſt in Cœleſtibus, Principibus, & Poteſtatibus hujus mundi prædictum myſterium innotuit, ut exponit Auguſtinus* 5. *de Geneſ. ad litt.* (c. 20.) *& quod ibi dicitur de Eccleſia, referendum eſt ab Eccleſiam Angelorum, ut Auguſtinus exponit* 5. *de Geneſ. ad litt.* (citato loco)

Ad id, quod additur ex Hieronymo, ſubdit S. Thomas. *Quamvis Hieronymus contrarium dicere videatur. Sed tamen verba ejus non ſunt hoc modo intelligenda, quod Angeli ab hominibus ſcientiam acquirant: ſed quia Apoſtolis prædicantibus, res jam completas, quæ fuerant priùs per Prophetas prædicta, Angeli pleniùs cognoverunt, ſicut pleniùs ſciunt præſentia, quàm futura.* Ita D. Tho. Pleniùs autem cognoſcunt Angeli præſentia, non per novarum ſpecierum acquiſitionem, ſed per clario-

riorem ſpeciei ab initio infuſæ repræſentationem; dùm quæ antea ſciebant, ſed non intuebantur, poſitâ præſentiâ tanquam conditione, incipiunt intuitivè cognoſcere.

XXXVIII. Ad primum Auguſt. teſtimonium dico, eum velle, ex novitate rerum, quæ temporaliter fiunt, mentes angelicas affici, non novas ſpecies acquirendo, ſed novas intellectiones; cognoſcendo ſcilicet, ut præſentes, quas antea ut præſentes non cognoſcebant, vel etiam de eis nullam habebant cognitionem. Hanc porrò eſſe mentem D. Auguſt. laudato loco, perſpicuum eſt. Ibi enim intendit ſtatuere differentiam inter cognitionem Dei, cui omnia ſunt ab æterno cognita, & creaturarum, quibus aliquid de novo ex rerum præſentiâ advenit; unde præmiſerat: *Nam Deus non ad tempus videt, nec aliquid novi fit in ejus viſione, atque ſcientiâ, cùm aliquid temporaliter, ac tranſitoriè geritur.*

XXXIX. Ad ſecundum Teſtim. ex eodem, reſpondeo cum D. Tho. 1. *p.* *q.* 89. *a.* 7. *ad* 2. S. Auguſtinum ibi loqui ex eorum ſententia, qui Angelos, & Dæmones putarunt eſſe corporeos; quamquam eorum ſententiam magis recitet, quàm aſſerendo teneat, ut ſuperiùs oſtendimus. In hac autem opinione ſe loqui oſtendit citato loco, dum rationem aſſignans, quarè Dæmones occultiora quædam dignoſcant, ait: *partim, quia ſubtilioris ſenſus acumine, partim, quia corporibus ſubtilioribus vigent.*

Dici etiam poteſt cum eodem S. Tho. 1. *p.* *q.* 54. *a.* 5. Quod *experientia Angelis attribui poteſt per ſimilitudinem cognitorum, & non per ſimilitudinem virtutis cognoſcitivæ. Eſt enim in nobis experientia, dùm ſingularia per ſenſus cognoſcimus* (ideòque ſpecies accipiendo) *Angeli autem ſingularia cognoſcunt, ſed non per ſenſum* (abſtrahendo, & accipiendo ſpecies) ſed nova objecta cognoſcendo in actu ſecundo, quæ antea in actu primò ſolùm cognoſcebant.

XL. Objiciunt ſecundò contra idem. Si ponatur, Angelum habuiſſe ab initio infuſas ſpecies omnium rerum, ſequetur, eum ab initio cognoviſſe omnia, quæ quocumque tempore eventura erant, & conſequenter etiam futura, & cogitationes cordium; cùm ad cognoſcendum nil aliud requiratur, quàm vis cognoſcitiva, & ſpecies objecti: ſed hoc eſſe falſum oſtendemus; ergo &c.

Confirmatur. Species innatæ æqualiter ſe habent ad præſentia, & futura: ſed ſcientia Angelorum non æqualiter ſe habet ad utraque, cùm ſciant præſentia, ignorent autem futura; ergo Angelorum ſcientia non eſt per ſpecies innatas.

XLI. Reſp. neg. ſequelam. Nam præter ſpeciem, ad actualem cognitionem requiritur, quòd repræſentatum per illam in rerum natura ſit. Licèt autem Angeli habeant ſpecies, quæ aptæ ſunt repræſentare omnia, quæ futura ſunt; nihil tamen futurorum contingentium eſt in rerum natura, quòd ſpeciebus illis aſſimiletur. Unde D. Tho. 1. *p.* *q.* 89. *a.* 7. *ad* 3. aſſignans diſcrimen inter diſtantia ſecundum locum, & ſecundùm tempus: *Futura* (inquit) *quæ diſtant ſecundùm tempus non ſunt entia in actu. Unde in ſe ipſis non ſunt cognoſcibilia: quia ſicut deficit aliquid ab entitate, ita deficit à cognoſcibilitate. Sed ea, quæ ſunt diſtantia ſecundùm locum, ſunt entia in actu, & ſecundùm ſe cognoſcibilia.*

XLII. Ad confirm. reſpondet D. Th. Q. 8. de Verit. a. 9. ad 3. *quod Angeli, quamvis futura non cognoſcant aliqua, quæ tamen dùm ſunt præſentia ſciunt; non tamen ſequitur ex hoc, quòd ſpecies aliquas à rebus accipiant, per quas cognoſcunt. Cùm enim cognitio fiat per aſſimilationem cognoſcentis ad cognitum, hoc modo contingit novam cognitionem de aliquo accipere, quo modo contingit de novo aliquid alicui aſſimilari. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo per motum ſuum, alio modo per motum alterius ad formam, quam ipſe jam habet. Et ſimiliter aliquis incipit de novo* cogna-

Digitized by Google

cognoſcere. Uno modo ex hoc, quòd cognoſcens de novo accipit formam cogniti, ſicut in nobis accidit. Alio modo per hoc, quòd cognitum de novo pervenit ad formam, quæ eſt in cognoſcente. Et hoc modo Angeli cognoſcunt præſentia, quæ priùs fuerunt futura; ut puta, ſi aliquid nondum erat homo, et non aſſimilatur intellectus angelicus per formam hominis, quam habet apud ſe. Sed cum hoc incipit eſſe homo, ſecundùm eandem formam incipit intellectus angelicus ſibi aſſimilare ſine aliqua mutatione factâ circa ipſum. Hæc valdè notanda docet D. Tho. Dum ergo Angelus de novo cognoſcit aliquid præſens, quod dum erat futurum non cognoſcebat, hoc non fit per motum Angeli ad cognitum, ſed per motum, & adventum cogniti ad ipſum.

XLIII. Ex quibus ſolvitur alia inſtantia fieri ſolita, quòd ſcilicet ſpecies Angelorum, ſi eſſent innatæ, deberent, vel quotidie mutari novarum rerum adventu; vel Angelus ſemper deciperetur in ſingularium cognitione.

Etenim mutarentur quidem ſpecies angelicæ, ſi novarum rerum adventus afferret novam aſſimilationem ſpeciei angelicæ ad eas; non verò ſi ſolum afferat novam aſſimilationem rei noviter advenientis ad formam: quòd magis explicat S Doct. ibi in reſponſ. ad 5. dicens: *Intellectus Angeli ſine hoc, quòd acquirat novas formas intelligibiles poteſt aliquid de novo intelligere dupliciter. Uno modo per hoc, quòd aliquid de novo aſſimilatur illis formis, ut jam dictum eſt. Alio modo per hoc quòd intellectus confortatur aliquo fortiori lumine ad plures cognitiones ex eiſdem formis eliciendas: ſicut ex eiſdem formis in phantaſia exiſtentibus ſuperveniente lumine prophetiæ aliqua cognitio accipitur, quæ accipi non poterat per lumen naturale intellectus agentis*,

XLIV. Tertiò objiciunt. Objectum ut in phantaſmate, etſi adhuc materiale, proportionem habet, ut intellectus agens ex eo formet ſpeciem intelligibilem; ergo hanc proportionem habebit objectum in ſe, quamvis materiale, reſpectu intellectus Angeli.

Confirm. Lumen intelligibile in Angelis eſt efficacius, quàm in anima humana: ſed per lumen intellectus agentis in nobis abſtrahuntur ſpecies à phantaſmatibus; ergo & multò magis intellectus Angeli poteſt formas alias à rebus ſenſibilibus abſtrahere.

XLV. Reſpondetur, admiſſo ant. neg. conſequ. Objectum enim ut in phantaſmate, eſt in ſtatu quaſi medio inter rem materialem in ſe, & formam intelligibilem; & ideò beneficio intellectus agentis depurari, & proportionari poteſt cum intellectu: quare objectum materiale in ſe, niſi medio ſenſu, & intellectu agente diſponatur, non habet, unde cum intellectu uniri poſſit. Cùm ergo in Angelis non ſint ſenſus, nec ſit intellectus agens, non eſt ullum medium, ut objectum materiale poſſit immittere ſpeciem ſui in angelicum intellectum. Audiatur D. Thom cujus eſt hæc doctrina Q. 8. de Verit. a. 9. *Res materiales, & intelligibiles ſunt omnino diverſorum generum. Ea enim quæ non communicant in materia, non communicant in genere, ut patet per Philoſ. in 5. Metaph. & in 10. Unde non poteſt eſſe, quòd res materiales immediatè patiantur ab intellectu, aut agant in ipſum. Et ideò in nobis providit naturæ conditor ſenſitivas potentias, in quibus formæ ſunt medio modo inter modum intelligibilem, & modum materialem. Conveniunt ſiquidem cum formis intelligibilibus, in quantùm ſunt formæ ſine materia, cum materialibus verò formis, in quantùm nondum ſunt à conditionibus materiæ denudatæ. Et ideò poteſt eſſe actio, & paſſio ſuo modo inter res materiales, & potentias ſenſitivas; & ſimiliter inter has, & inter intellectum. Unde ſi Angeli intellectus à rebus materialibus formas aliquas acciperet, oporteret habere Angelum potentias ſenſitivas, & ita habere corpus naturaliter ſibi unitum. Unde ejuſdem ſententia eſſe videtur, Angelos eſſe animalia, ut quidam*

dam Platonici poſuerunt, & eos à rebus materialibus formas accipere, quod auctoritati Sanctorum, & rectæ rationi repugnat.

Ad confirm. ſecundùm hanc doctrinam reſpondet S. Doct. ibidem ad 8. conc. præmiſſis negando conſ. Nam *non eſt proportio inter lumen intellectus angelici, & res ſenſibiles, ut per lumen prædictum efficiantur actu intelligibiles, ut ex prædictis patet.*

XLVI. Neque dicas cum Scoto: Objectum, etſi materiale, poſſe per modum concauſæ partialis minùs principalis concurrere ad impreſſionem ſpeciei in intellectu. Ut enim à pluribus concauſis producatur effectus, non requiritur, ut in qualibet earum eadem perfectio reperiatur, quæ eſt in effectu; ſed ſat eſt, ut totum aggregatum ejuſdem perfectionis ſit cum illo. Sic ſpecies ſola non eſt ejuſdem perfectionis cum intellectione; non enim eſt vitalis; & ſimiliter lumen gloriæ: quæ tamen ad intellectionem concurrunt, quia conjunctum ejuſdem perfectionis eſt.

Nam reſpondeo, neg. aſſumtum. Neque exempla in contrarium quidquam probant. Species enim dat intellectioni perfectionem, nempè ſpeciem, & lumen gloriæ eſt principium, quo intellectus vitaliter ſe exerceat circa objectum; ſpecies, inquam, per modum determinationis objecti; lumen verò gloriæ per modum virtutis potentiæ, non partialis, ſed totalis, ut *in Tract. de Viſione* diximus.

XLVII. Quartò objiciunt. Saltem res immateriales ſpeciem ſui intellectui Angelico ingerere poſſe; ſic: Non minoris efficaciæ eſt objectum intelligibile in actu, quàm ſit ſenſibile in actu intra propriam lineam: ſed ſenſibile in actu immediatè diffundit ſpeciem in ſenſum; ergo intelligibile in actu (qualia ſunt omnia immaterialia) immediatè immittit ſpeciem ſui in intellectum Angeli.

XLVIII. Reſpondeo, conc. præmiſſis, neg. conſ. & diſcrimen eſt. Nam objectum ſenſibile hoc poteſt, quia eſt objectum potentiæ, quæ ob ſui imperfectionem eſt in potentia, & proinde apta recipere ab objecto, formas, & ſpecies ſucceſſivè. At intelligibile actu eſt objectum proportionatum potentiæ, quæ naturaliter petit eſſe actuata formis, & ſpeciebus omnium intelligibilium; quare non habet virtutem diffundendi ſuam ſpeciem in prædictam potentiam: nulla enim datur virtus activa, cui non correſpondeat ſua potentia paſſiva. Adhuc tamen ſimpliciter majoris eſt efficaciæ, quàm ſenſibile in actu; quia, etto non per ſpeciem productam à ſe, influit in immaterialiorem, & perfectiorem ſui cognitionem.

XLIX. Quintò objiciunt contra idem. D. Thom. *q. de anima a.* 18. *ad* 13. & *a.* 20. *ad* 11. docet, quòd animæ ſeparatæ recipiunt ſpecies à Deo mediantibus Angelis; ergo ſimiliter mediante uno Angelo poteſt infundi ſpecies in alium, & ſic non accipere ſpecies immediatè à Deo.

Rursùs: in 2. *diſt.* 8. *qu.* 1. *a.* 5. *ad* 6. dicit, quòd *boni Angeli etiam directè in intellectum imprimere poſſunt, quia ſecundùm Auguſtinum*, operantur in intelligentias noſtras miris quibuſdam modis (*lib.* 1. *de Civitat. Dei cap.* 15.)

L. Variè huic reſpondetur à Noſtris. Primò D. Thomam 1. *p. q.* 89. per totam, & maximè *a.* 1. *ad* 3. & *art.* 3. ubi ait: *Anima ſeparata intelligit per ſpecies, quas recipit ex influentia divini luminis, ſicut & Angeli*, retractaſſe ſententiam. Secundò. Alii, & meliùs fortaſſe, dicunt, ſpecies animæ ſeparatæ infundi mediantibus Angelis, non effectivè, ſed exemplariter; quatenùs ad imitationem earum, quæ ſunt in Angelis, effectivè producuntur, & infunduntur à Deo. Tertiò. Dicunt alii, ſpecies infundi animæ ſeparatæ à Deo principaliter, mediantibus tamen Angelis, ut cauſis miniſterialibus. Quo explicatur differentia inter Animas ſeparatas, & Angelos: quòd hi

Digitized by Google

hi à Deo nullo mediante, nec ut inſtrumento; illæ verò à Deo mediantibus Angelis, ut inſtrumentis, ſpecies recipiant. Hæc reſponſio ex eo roboratur, quòd D. Thomas ibi eodem modo loquitur de ſpeciebus ſervientibus cognitioni naturali, ac ſupernaturali: certum autem eſt, Angelos ad ſpecies ſupernaturales infundendas concurrere non poſſe, niſi per modum inſtrumenti.

Alii tandem cum Joann. à S. Thoma reſpondent, S. Thomam non loqui de infuſione ſpecierum quoad ſubſtantiam, ſed quoad earum debitam diſpoſitionem, & ordinationem cauſatam per extrinſecam, & diſtinctam propoſitionem objecti clariori, & ſuperiori lumine illuſtrati; ſicut ſi à Magiſtro per extrinſecam objectorum propoſitionem ordinarentur ſpecies in mente diſcipuli jam exiſtentes.

Hæc expoſitio fundamentum habet in S. Doct. Nam 1. *p. q.* 80. *a.* 3. cùm doceat, animam ſeparatam per ſpecies infuſas non accipere *perfectam rerum cognitionem, ſed quaſi in communi, & confuſam*, Angelos autem perfectam, & diſtinctam: datur locus ut animæ ſeparatæ mediantibus Angelis ad cognitionem diſtinctam ſpeciebus imbuantur, non quidem de novo impreſſis, ſed noviter diſpoſitis, & ordinatis, confortando etiam lumen externâ illuminatione, doctrinâ, & magiſterio. Hæc probabilia ſunt.

LI. Cæterùm adhuc admiſſo, poſſe Angelos animam ſeparatam ſpeciebus, & formis imbuere, hoc tamen de Angelis concedendum non eſt. Anima enim infra naturam Angeli genere, & gradu eſt; inferiora autem mediis ſuperioribus regi, ac illuminari conſentaneum eſt. Angeli autem nullum gradu ſuperiorem habent, niſi Deum; quare ab ipſo ſolo immediatè ſpecies rerum poſſunt recipere, quia, ut ait D. Thom. mox citatus: *Omnia, quæ Deus fecit in propriis naturis, fecit in intelligentia angelica, ut dicit Auguſt. lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap.* 8.

§. VI.

An ſpecies Angelis infuſæ poſſint dici eorum proprietates?

LII. Suppono, fuiſſe connaturale Angelo, ut ab initio ſuæ conditionis omnium rerum ſpeciebus ornaretur; adeò ut illa ſucceſſivè acquirere, eſſet contra illius naturam. Quia tamen forma aliqua poteſt dici connaturalis ſubjecto quadrupliciter. Primò, quia fluit ab ejus eſſentia, ut proprietas, ſicut calor eſt connaturalis igni. Secundò, quia eſt illi debita. Tertiò, quia in inſtanti ejus productionis illi collata. Quartò, quia ſubjectum habet potentiam paſſivam naturalem ad illius receptionem. Prioris, & poſtremi modi connaturalitatis meminit S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 5. ad 2. dicens: *Dicitur aliquid naturale dupliciter. Uno modo quòd eſt à natura, ſicut à principio activo, ſicut calefacere eſt naturale igni. Alio modo ſecundùm principium paſſivum, quia ſcilicet eſt innata inclinatio ad recipiendam actionem à principio extrinſeco: ſicut motus Cœli dicitur naturalis propter aptitudinem naturalem Cœleſtis corporis ad talem motum.* Tota controverſia eſt, an ſpecies angelicæ ſint connaturales Angelo, quaſi proprietates ab ejus natura, ut à principio activo ortæ, eo modo, quo à natura ignis oritur calor. Etenim eſſe Angelo connaturales, quia ejus naturæ debitas, videtur certum apud Thomiſtas; cùm enim inter creaturas intellectuales ſit ſupremus, ſicut Cœlum inter corpora, connaturaliter exigit eſſe in actu primo ſtatim completus ad intelligendum. Eſſe quoque illi connaturales, quia ſimul cum natura in eodem inſtanti receptas (eo modo, quo, ſi Adam non peccaſſet, Juſtitia originalis diceretur connaturalis Poſteris, quia cum natura transfunderetur) pariter certum eſt. Nec minus exploratum eſſe debet, eas eſſe Angelo connaturales ob connaturalem apti-

Digitized by Google

aptitudinem, & paſſivam inclinationem ad eas à Deo recipiendas, ſicut Cœlum naturaliter inclinatur ad recipiendum motum à ſubſtantia motrice. Quod, inquam, inter Noſtrates controvertitur eſt, an ſpecies illæ ſint connaturales Angelo per modum proprietatis ab ejus natura, ut principio activo emanantis.

LIII. Dico. Probabiliorem mihi videri ſententiam negativam. Probo primò. Quod convenit Angelo ex influxu, & participatione divini luminis, non ei convenit, ut fluens activè ab ejus natura, & ex vi actionis creativæ: ſed D. Thomas 1. *p. q.* 89. *a.* 1. *ad* 3. ait, quòd *anima ſeparata non intelligit per ſpecies innatas, ſed per ſpecies ex influentia divini luminis participatas, quarum anima ſit particeps, ſicut & aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ.* Et art. 3. in corp. *anima ſeparata intelligit per ſpecies, quas recipit ex influentia divini luminis, ſicut & Angeli*; ergo &c.

LIV. Probo ſecundò. Si ſpecies omnium rerum naturalium fluerent ab eſſentia Angeli ut ejus proprietates, Angelus comprehendens ſuam eſſentiam per ſeipſam, in illa, & ex vi illius omnes res naturales cognoſceret: nam comprehendens eſſentiam, ex vi illius cognoſcit ejus proprietates clarè & diſtinctè; ergo ſi ſpecies eſſent ejus proprietates, ex vi comprehenſionis ſuæ eſſentiæ, clarè, & diſtinctè, ac quidditativè cognoſceret ſpecies omnium rerum repræſentativas; ergo etiam res per illas repræſentatas; & conſequenter Angelus per ſuam eſſentiam omnia cognoſceret, quod ſuperiùs negavimus; comprehendens enim cauſam adæquatam comprehendit, & effectum: ſed Angelus comprehendens ſuam eſſentiam comprehenderet cauſam adæquatam cognitionis omnium rerum, nempè potentiam intellectivam, & formas intelligibiles omnium; ergo &c.

LV. Confirmo hoc. In tantùm enim Angelus comprehendens eſſentiam ſuam non cognoſcit omnia, ad quæ ejus intellectus poteſt ſe extendere, *quia ipſa eſſentia Angeli non comprehendit in ſe omnia, cùm ſit eſſentia determinata ad genus, & ſpeciem. Hoc autem proprium eſt eſſentiæ divinæ, quæ infinita eſt, ut in ſe ſimpliciter omnia comprehendat perfectè*: (ut ait D. Thom. 1. *p. qu.* 55. *art.* 1.) atqui ſi ab eſſentia Angeli fluerent ut proprietates omnes rerum ſpecies, comprehenderet in ſe perfectè omnia, ad quæ poteſt intellectus ſe extendere, nempè potentiam intellectivam, & formas rerum omnium repræſentativas; ergo &c.

LVI. Nec juvat ad hujus rationis vim declinandam dicere, quòd ſpecies illæ non fluunt ab eſſentia Angeli, niſi in eſſe entitativo. Et rursùs: eſto contineantur in eſſentia Angeli, non continentur, niſi virtualiter.

LVII. Nam contra primum ſic arguo. Species illæ fluerent ab ejus eſſentia, ut illi repræſentarent objecta, & eſſent formæ, quibus Angelus poſſet omnia intelligere; ergo ab ea non fluerent præciſè, ut quædam entitates ſunt, ſed ut repræſentativæ ſunt, & ut principium quo cognitionis: ſicut enim intellectus eſt proprietas eſſentiæ Angeli, ut cognoſcitivus; ita & ſpecies eſſent proprietates ejus, ut per eas intellectus angelicus objecta per illas repræſentata cognoſceret.

LVIII. Contra ſecundum quoque. Nam nulla eſſentia continet ſuas proprietates, niſi virtualiter; ergo ex vi comprehenſionis eſſentiæ, vel non cognoſcuntur ullæ proprietates; vel cognitâ comprehenſivè eſſentiâ Angeli ab ipſo, debent ex vi hujus perfectè cognoſci omnes ejus ſpecies, ſi ſemel ſunt proprietates illius. Addo, quòd nec eſſentia divina continet creaturas niſi virtualiter, & tamen eâ comprehenſâ, omnes omnino creaturæ cognoſcuntur perfectè.

LIX. Ex his infertur, ejuſmodi ſpecies dici Angelo congenitas, & connaturales, quia ſunt cum ejus natura congenitæ, & in ea impreſſæ jux-

ta

tæ exigentiam, & inclinationem naturæ Angeli, eo proportionali modo, quo forma Cœli eſt ejus materiæ connaturalis, quin ſit ejus proprietas.

LX. Infertur etiam, quòd eſto ſpecies illæ debitæ ſint Angelo pro inſtanti ſuæ creationis; non ſequitur tamen, eas fuiſſe illi infuſas eadem actione, quâ creata fuit ſubſtantia Angeli, ſed diverſâ, & quidem eductivâ. Nam tunc ſolùm formæ debitæ pro inſtanti creationis rei poſſunt dici eâdem actione concreatæ, quando taliter comitantur illam naturam, ut eas determinatè petat, & non alias: ſecùs verò quando natura ex ſuis principiis intrinſecis indifferenter ſe habet, nec has potiùs petat, quàm alias. Cùm ergo natura Angeli, eſto modò ornata ſpeciebus rerum hujus Univerſi, has determinatè non petat; quia ſi Deus aliud Univerſum condidiſſet, natura Angeli eſſet eadem, & tamen aliæ ſpecies eſſent ei connaturales & debitæ; ergo ſignum eſt, ſpecies, quas modò habet, non eâdem actione, quâ natura Angeli creata fuit, ſed diverſâ ei datas eſſe.

LXI. Hæc doctrina aliam ſuggerit rationem pro noſtro aſſerto. Nam ſi ſpecies eſſent proprietates emanantes naturaliter à natura Angeli, deberent ei in quacumque ſuppoſitione, & ſtatu determinatè convenire; ſicut homini in quacumque ſuppoſitione conveniret riſibilitas, & in quacumque ſuppoſitione ignis calefaceret: ſed in ſuppoſitione, quòd Deus aliud Univerſum condidiſſet, aliæ rerum ſpecies naturæ Angeli connaturales fuiſſent; ergo vel natura hujus Angeli tunc diverſa ſpecie fuiſſet, utpotè connaturaliter petens diverſas ſpecie proprietates; vel ſpecies rerum, quæ modò naturæ Angeli ſunt connaturales, non ſunt cenſendæ ejus proprietates. Sed hoc ſatis.

DUBIUM V.

An Angeli per ſpecies univerſales intelligant, & eò magis univerſales, quò in natura ſunt ſuperiores?

§. I.

Quædam prænotantur.

I. Sicut univerſale dicitur multipliciter, ita ſpecies iſtæ multipliciter cogitari poſſunt eſſe univerſales. Primò in cauſando, quomodo eſſentia divina eſt ſpecies univerſalis, quâ, & in qua Deus omnia cognoſcit, quia rerum omnium eſt cauſa. Secundò in eſſendo, quomodo natura abſtracta à ſingularibus, ſi ad ea comparetur, dicitur eſſe univerſalis, quia concipitur eſſe in multis, & de multis prædicari. Tertiò in repræſentando, quia multa repræſentant, & hoc dupliciter contingere poteſt. Vel quia repręſentant ſub ratione communi tantùm, quæ eſt repræſentatio ſolùm confuſa ſingularium ſub ea contentorum; vel quia ita repræſentant rationem communem, ut etiam clarè, & diſtinctè repræſentent inferiora ſub ea contenta. Titulus ergo quæſtionis intelligendus eſt hoc ultimo modo.

II. Scotus negat, poſſibilem eſſe ſpeciem creatam clarè & diſtinctè repræſentativam plurium, quæ ſint diſparata, & ſive genere, ſive ſpecie, ſive numero diſtincta; vult enim, Angelum quæcumque intelligere per ſpecies proprias, & has ab objectis acceptas, ut *Dub. præced.* vidimus. Schola autem D. Thomæ eodem Angelico Magiſtro præeunte, ſive hâc 1. *p. q.* 55. *a.* 3. ſive in 2. *diſt.* 2. *q.* 2. *a.* 2. ſive 2. *Contrag. c.* 98. ſive *q.* 8. *de Verit. a.* 10. & alibi, docet, Angelos intelligere per ſpecies univerſales modo explicato, & eò univerſaliores, quò Angeli naturâ ſuperiores ſunt.

Digitized by Google

§. I I.

Reſolutio affirmativa.

III. DIco primò. Angeli intelligunt per ſpecies univerſales clarè & diſtinctè plura, ſive numero, ſive ſpecie, ſive etiam genere diſtincta intellectui angelico repræſentantes. Ita S. D. locis laudatis. Probo primò, ſpeciem univerſalem creatam clarè, & diſtinctè repręſentantem plura eſſe poſſibilem, quod negat Scotus; deinde probabo, eam in Angelo de facto dari.

Poſſibile eſt, quòd virtutes diverſæ inferiorum cauſarum uniantur in una virtute cauſæ ſuperioris; ſed ſpecies ſunt quædam virtutes, & principia, quæ complent virtutem intellectivam ad cognoſcendum; ergo poſſibile eſt, quòd ſpecies diverſæ potentiis inferioribus ſervientes, in potentia ſuperiori uniantur in una ſpecie clarè, & diſtinctè repræſentante ea, quæ per diverſas repræſentantur in potentia inferiori. Maj. explicatur exemplo ſenſuum. Nam exteriores ſenſus per diſtinctas ſpecies propria objecta cognoſcunt, quæ tamen omnia per unicam ſpeciem ſenſui communi perfectiùs repræſentantur; ideòque ſpecies diſtinctæ ſenſuum externorum in una ſpecie ſenſus communis uniri poſſunt = Rurſùs, ut oſtendit D. Tho. 1. p. q. 55. hoc a. 3. ad 3. *In homine eſt univerſalis prudentia, quantum ad omnes actus virtutum; & poteſt accipi, ut propria ratio, & ſimilitudo particularis prudentia qua eſt in leone ad actus magnanimitatis, & ejus qua eſt in vulpa ad actus cautelæ.* Denique poſſibilis eſt una anima, quæ præſtet in homine, quòd præſtat anima vegetativa in plantis, & ſenſitiva in brutis.

IV. Ulteriùs, poſſibilis eſt juxta Scotum ſpecies, quæ ſit repræſentativa clarè Dei, ut eſt in ſe, & adhuc ſit creata; ergo poſſibilis quoque erit ſpecies univerſalis repræſentans ea, quæ per plures ſpecies inferiores repræſentantur, etſi hæc infinita numero, aut etiam ſpecie ſint. Quia ſi poſſibilis eſt ſpecies repræſentans clarè Deum in ſe, qui eſt infinitus per eſſentiam, & adhuc eſſe intrinſecè finita, & infinita ſolùm repræſentativè, & extrinſecè; quæſo, cur non poterit eſſe ſpecies repræſentans plura, etiam ſi infinita numero, ſecundùm eſſentiam tamen finita, & adhuc manere intra limites finiti? Illa enim ſpecies ſecundùm Scotum, etſi repræſentans Deum infinitum, eſſet tamen intrinſecè, & in entitate finita, quia repræſentaret Deum ut cognoſcendum modo, & cognitione finitâ: ſed etiam illa ſpecies, etſi ſimul in actu primo repræſentaret plura, & etiam infinita, illa tamen repræſentaret ut cognoſcenda non ſimul, ſed ſucceſſivè, & cognitione finitâ; ergo &c.

V. Tertiò. Divina eſſentia ſimpliciſſima cùm ſit, repræſentat diſtinctè, & expreſsè omnes res creabiles per modum ſpeciei intelligibilis, & exemplaris; ergo nihil vetat, quòd aliqua ſpecies creata, pro ut eſt participatio divinæ eſſentiæ, participet hanc eminentiam, quòd, una cum ſit, repræſentet plures, ac diverſas quidditates. Scio Scotum reſpondere, hanc univerſalitatem in repræſentando participari non poſſe, quia ſecum traheret infinitatem. Sed in reſponſionibus ad argumenta, fiet ſatis.

VI. Nunc probo primò, ſpecies angelicas de facto eſſe univerſales in repręſentando, ſic. Species angelicæ non ſunt à rebus acceptæ, ſed immediatè à divina eſſentia exemplatæ, & derivatæ: ſed quamvis ſpecies ab objecto cauſatæ illam ſolam quidditatem, & naturam, à qua cauſatæ ſunt repræſentent, quia ex ipſo objecto, à quo imprimuntur, determinationem, & limitationem habent, ſicut figura in cera à ſigillo, à quo imprimitur, determinatur: illæ tamen, quæ immediatè exemplatæ, ac derivatæ ſunt à divina eſſentia ut causâ exemplari, poſſunt plures naturas repræſentare, ſicut ipſa

ipſa divina eſſentia, cujus ſunt effluxus, & participationes, plura, imò omnia, repræſentat; ergo &c. Major, præterquam quòd probata eſt *Dubio præcedente*, adhuc auctoritate D. Auguſtini roboratur. *Libro* quippe 2. *de Geneſ. ad litt. c.* 8. hæc habet: *Neque enim ſicut nos ad percipiendam ſapientiam proficiebant Angeli, ut inviſibilia Dei per ea quę facta ſunt intellecta conſpicerent, qui ex quo creati ſunt, ipſa Verbi æternitate, ſanctâ & piâ contemplatione perfruuntur, atque inde iſta deſpicientes ſecundùm id, quod intùs vident, vel rectè facta approbant, vel peccata improbant*; unde priùs dixerat Angelos cognoſcere ſecundùm creatam in illis ſapientiam, & res priùs in cognitione Angelorum, quàm in ſeipſis fuiſſe creatas.

VII. Explicatur. Species, quas intellectus ex aliis præconceptis efformat, puta ſpecies montis aurei, chimeræ &c. plures naturas repræſentant; quia non ex objectis, ut ſunt in ſe, imprimuntur, ſed ab intellectu, qui ea, quæ diſtincta ſunt, adunare poteſt, efformantur. Item figura impreſſa ceræ, aut chartæ ſæpè continet leonem, urſum, canem, hoſque repræſentat; quia in ſigillo à quo impreſſæ ſunt, adunantur. Et Imago domus expreſſa in charta ab artifice repræſentat ligna, lapides, & cætera ad conſtructionem domus neceſſaria; quia non accipit unitatem ab illis rebus, ut ſunt in ſeipſis, ſed ut ſunt in mente artificis, ex illis unam ideam domus faciendæ efformantis. Cùm ergo pariter ſpecies angelicæ non exprimantur, nec menſurentur à rebus, quas repræſentant, ut ſunt in ſeipſis diviſæ, ſed potiùs ut ſunt in eſſentia divina, tanquam earum ſpecie, & ideâ, cujus ſunt expreſſiones, & participationes, ſicut figura impreſſa in charta à ſigillo, vel ab Artifice: & eſſentia divina una exiſtens, clarè & diſtinctè repræſentare poſſit, quæ in ſeipſis diviſa ſunt; ita proportionaliter de ſpeciebus angelicis dici debet.

VIII. Probo ſecundò. Perfectiſſimis creaturis Univerſi convenire debet perfectiſſimus modus cognoſcendi, dummodo ille ſit poſſibilis creaturæ, nec ei repugnet: ſed modus intelligendi per ſpecies univerſales in repræſentando multò perfectior, & nobilior eſt modo cognoſcendi per ſpecies particulares, ſeu repræſentantes unam tantùm naturam; & aliunde modus iſte cognoſcendi nullam involvit repugnantiam, ut probatum eſt, & ſolvendo argumenta Scoti magis probabitur; ergo &c.

IX. Dico ſecundò. Angelus, quò ſuperior eſt in natura, eò per ſpecies, univerſaliores, ſeu plura repræſentantes intelligit. Prob. primò. Ex hoc aliqua in rebus ſunt ſuperiora, quòd uni primo, quod eſt Deus, ſunt ſimiliora, & propinquiora: ſed in Deo tota plenitudo intellectualis cognitionis continetur in uno, ſcilicet in eſſentia divina, per quam Deus omnia cognoſcit; ergo ex hoc aliqua in rebus ſunt ſuperiora, quòd magis de hac plenitudine participant, & plura cognoſcunt per unum: ſicut ab oppoſito, ex eo aliqua ſunt inferiora, quòd cognoſcunt per plura, quæ Deus cognoſcit per unum, & tantò per plura, quantò in intelligendo fuerint inferiora; ergo quò Angelus fuerit ſuperior, eò magis intelliget plura per unam ſpeciem: quò inferior, eò magis cognoſcet multa per plures. Sicut in nobis, qui fortioris ſunt intellectus, ex paucis multa capere poſſunt; qui verò debilioris ſunt, veritatem intelligibilem capere non poſſunt, niſi eis particulatim per ſingula explicetur. Ita iiſdem ferè terminis S. Thom. 1. *p. q.* 55. *a.* 3. *in corp.*

X. Nec juvat dicere cum Scoto, hanc majorem propinquitatem cum Deo non arguere, quòd ſuperiores Angeli plura cognoſcant per unum, inferiores autem per plura; ſed quòd illi limpidiùs, iſti minùs limpidè cognoſcant. Et hoc comprobat exemplum allatum; etenim homo fortioris inge-

Digitized by Google

ingenii non dicitur, quia multa per unam ſpeciem, ſed quia promtiùs, expeditiùs, & limpidiùs intelligat, quàm alter debilioris intellectus.

XI. Contra enim eſt. Nam ſuprema inter creaturas, qualis eſt Angelus debet Deo aſſimilari, & appropinquari quantùm poſſibile eſt: ſed Deus eſt in ſummo intellectualitatis, non ſolùm quia limpidiſſimè, & expeditiſſimè intelligit, ſed etiam quia omnia per unum intelligit, & hoc ſuo modo participabile eſt, ut probavimus; ergo ſuprema inter creaturas debet Deo aſſimilari, non ſolùm quia limpidiùs, ſed quia plura per pauciora intelligat, quàm inferior. Neque vim exempli allati à D. Tho. Scotus aſſecutus eſt. Non enim ſtat in hoc, quòd homo acutioris ingenii, vel per pauciores ſpecies intelligat, vel præcisè perfectiùs, quàm alter debilioris acuminis. Sed (quidquid ſit an homo acutioris ingenii per pauciores ſpecies cognoſcat, ſive non) in hoc, quòd ſicut homo acutioris ingenii, nedùm limpidiùs cognoſcit, ſed etiam ex uno principio plures deducit veritates, quas homo debilioris mentis non percipiet, niſi ſingulatim, ei proponantur, & explicentur; ita Angelus ſuperior, nedùm limpidiùs, ſed multa per unam ſpeciem cognoſcit.

XII. Contra ſecundò. Inter modum naturalem cognoſcendi ſuperioris, & inferioris Angeli ſtatui debet talis diverſitas, quæ ſundet diverſitatem ſpecificam inter illos; cùm enim naturæ intellectuales ſint, ex diverſo modo cognoſcendi, ſeu ex diverſitate formæ intelligibilis eorum eſſentialis diverſitas ſumi debet: aliquos enim Angelos, etſi non omnes, eſſentialiter ſpecie differre admittit Scotus: ſed ſi in nullo alio, quàm in modo magis, vel minùs clarè percipiendi objectum, ſtatuatur differentia luminis, & cognitionis naturalis Angelorum, non ſalvabitur diverſitas ſpecifica in cognoſcendo inter illos; ſicut nec ſalvatur inter intellectus duorum hominum, quamvis unus acutiùs, & perfectiùs intelligat, quàm alter; nec inter lumina, ut viſiones duorum Beatorum, quamvis unus alio perfectiùs, & clariùs videat Deum; ergo &c.

XIII. Alia, & præcedenti affinis eſt ratio, quam affert idem S. Doct. 2. *Contrag. c.* 98. Intellectus enim angelicus medius eſt inter divinum, & humanum, inferior illo, ſuperior iſto; ergo cùm medium debeat aliquid participare de utroque extremo, & eò magis, quò magis accedit ad illud, Angelus habebit aliquid de puritate, & actualitate intellectus divini, & aliquid de potentialitate, & compoſitione intellectus humani; ergo non intelliget omnia per unam ſpeciem, ſicut Deus, neque omnia per plures, & particulares ſpecies ſicut homo, ſed per ſpecies magis, vel minus univerſales, ſecundùm quòd magis, vel minùs accedit ad Deum, & magis, vel minùs recedit ab homine, ſeu ab anima humana.

XIV. Tertiam rationem affert S.Th. Q. 8. *de Verit. a.* 10. ſic. Quantò aliqua virtus eſt altior, & actualior, tantò magis eſt unita, & efficax ad operandum plura; quia actualitas & forma eſt principium unionis, potentia autem, & materia eſt principium multiplicationis; ergo virtus angelica, quantò erit actualior, & altior, tantò per pauciora erit efficax ad cognoſcendum plura. Ant. prob. S. Doct. *Ars Architectonica per unam formam artis dirigitur in omnibus, quæ ad artem ſuam ſpectant, in quibus tamen inferiores artifices, utpote cæmentarii, & cæſores lignorum per diverſa artefacta diriguntur.* Similiter *aliquis, qui eſt elevatioris intellectus ex paucis principiis penes ſe retentis habet in promptu procedere ad varias concluſiones, ad quas pervenire non poſſunt qui ſunt hebetioris ingenii, niſi per varias inductiones, & per principia particulariter coaptata concluſionibus.* Deinde perſequitur. *Unde cum in Deo ſit perfectiſſima virtus, &*

puri-

puritas actus, ipſe per unum, quod eſt eſſentia ſua, omnia operatur, & omnia cognoſcit efficaciſſimè. Ab ipſa autem effluunt rationes rerum intelligibilium in Angelis ... non quidem ad cauſandum res, ſed ad cognoſcendum. Unde quantò in Angelo fuerit plùs de actu, & minùs de potentia, tantò emanatio hujuſmodi rationum minùs in ipſo multiplicatur, & virtus ejus cognoſcitiva erit efficacior: & ſecundùm hoc ſuperiores Angeli cognoſcunt res per formas magis univerſales, quàm inferiores.

XV. Quartam rationem affert in 2. *diſt.* 3. *q.* 2. *a.* 2. Similem præcedentibus, hoc modo: *In omnibus ſcientiis, & artibus ſive ſpeculativis, ſive operativis, oportet, quòd illa quæ eſt altior, & ordinativa, aliarum, conſideret rationes magis univerſales; eo quòd principia ſunt parva quantitate, & maxima virtute, & ſimplicia ad plurima ſe extendunt*: ſed Angeli *Superiores per ſuam ſcientiam ordinant actus, & officia inferiorum, illuminantes eos, & perficientes, & purgantes*; ergo *oportet, quod ſcientia Superiorum ſit univerſalior & ſpecies univerſaliores.* Majorem explicat. Quia enim ſub civili ſcientia eſt militaris, & ſub militari equeſtris, ideò ſub conſideratione magis univerſali, nempe *boni hominis abſolutè* procedit, quàm militaris, quæ conſiderat hoc idem, ſed *ſecundùm quod terminatur ad res bellicas*: & idem de aliis. Et maximè apparet in metaphyſica, quæ utpotè ordinativa aliarum ſcientiarum ſpeculativarum, *conſiderat rationem entis abſolutè*, aliæ verò ſecundùm *determinationem aliquam.*

XVI. Suppoſito, quòd lumen ſit univerſalius in natura ſuperiori, probat etiam, ſpecies univerſaliores eſſe debere; quia lumen, ſeu intellectus quò ſuperior eſt, eò minùs habet de poſſibilitate: ſed quò minùs habet de poſſibilitate, ſeu de potentia, eo minor eſt compoſitio intelligentis, & intellecti; ergo pauciores ſunt in eò formæ intelligibiles: quia quantò minùs habet de potentia lumen intellectuale, minùs dividitur, & multiplicatur in eo; quare ſcientia Dei, quæ eſt actualiſſima, unâ ſimilitudine, quæ eſt eſſentia ſua, omnia cognoſcit; ergo quantò aliquis per pauciores formas intelligit, tantò ejus ſcientia eſt univerſalior, & tantò magis aſſimilatur ſummæ ſcientiæ divinæ. Sed audiendus eſt Scotus.

§. III.

Fundamenta Scoti.

XVII. PRimò objicit Fraſſen pro ſuo Magiſtro. Nulla res creata poteſt eſſe ratio cognoſcendi plura numero infinita: ſed ſpecies univerſalis, ſi daretur, eſſet ratio cognoſcendi plura numero infinita; ergo &c. Mi. prob. Cùm enim in unaquaque ſpecie ſint poſſibilia plura individua numero infinita, ſi detur ſpecies univerſalis omnium hominum diſtinctè repræſentativa, iſta vim habebit repræſentandi plura numero infinita. Major quoque prob. Implicat creatura aliqua, quæ ſit infinitæ perfectionis in ullo genere: ſed ſpecies repræſentativa infinitorum deberet habere infinitam perfectionem: nam ubi pluralitas numeralis perfectionem dicit, major pluralitas majorem dicit perfectionem, & infinita infinitam. Sicut ſi vis portandi duas libras ſit perfectior, quàm vis portandi unicam, & vis portandi ſex perfectior ſit, quàm vis portandi duas, vis portandi infinitas libras erit infinitæ perfectionis, & roboris in portando.

Confirmat. Ex eo, quòd eſſentia divina ſit repræſentativa omnium intelligibilium, colligimus, eam eſſe infinitam in repræſentando; ergo ſi aliqua ſpecies poſſit repræſentare infinita, reverà erit infinita in repræſentando.

XVIII. Reſpondeo ad maj. primò diſtinguendo eam. Ratio cognoſcendi plura numero infinita actu, tranſeat major; in potentia, nego maj. Species autem angelica repræſentaret

ret omnia, & infinita individua eo modo, quo ſunt ponenda actu, in hoc Univerſo; hæc enim eſt ejus ſphæra, & propria limitatio. In hoc autem Univerſo nunquam actu, & ſimul erunt infinita. Quòd verò ſint infinita in potentia, aut poſſint infinita ſibi ſuccedere, & illa omnia poſſit Angelus per eandem ſpeciem ſucceſſivè intelligere, non arguit infinitatem ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; ſicut eadem potentia intellectiva poteſt infinitas intellectiones ſucceſſivè habere, & idem Cœlum infinitas circulationes, & illuminationes, ſi motus ejus in æternum duraret. Et hoc modò diſtinctâ min. ad exemplum allatum dico, quòd eſto vis portandi actu infinitas libras ſimul eſſet infinita actu, non tamen vis portandi infinitas libras ſucceſſivè. Quare retorqueo argumentum. Species repræſentans plura actu finita, finita eſt: ſed ſpecies angelica repræſentat plura numero, & etiam ſpecie actu finita; repræſentat enim ea ſola, quæ ad naturalem ordinem Univerſi ſpectant, quæ certè & numero, & ſpecie finita ſunt; ergo &c. Verùm dato, poſſibilem eſſe ſpeciem repræſentatem infinitas naturas, etiam ſpecie diverſas.

XIX. Reſpondeo ſecundò, diſt. ma. Nulla &c. poteſt eſſe ratio cognoſcendi infinita, prout ſunt in potentia Dei, co. ma pro ut ſunt in potentia creaturæ, nego ma. Doctrina hæc eſt D. Thomæ 3. *p. q.* 10. *a.* 2. ubi negat, animam Chriſti poſſe cognoſcere omnia, quæ ſunt in ſola potentia divina; hoc enim eſſet comprehendere omnia, quæ poteſt Deus facere, & divinam virtutem, ac eſſentiam: concedit tamen, eam poſſe cognoſcere omnia, quæ ſunt in potentia creaturæ. Quare hac ratione *art.* 3. docet poſſe cognoſcere infinita. Poſtquam enim docuit, dupliciter aliquid poſſe dici ens, & cognoſcibile. Uno modo *ſimpliciter*, *quod ſcilicet eſt ens actu*. Alio modo *ſecundùm quid*, *quod ſcilicet eſt ens in potentia*, ſubdit; *Quantum igitur ad primum modum Anima Chriſti non ſcit infinita, quia non ſunt infinita in actu, etiamſi accipiantur omnia, quæcumque ſunt in actu ſecundùm quodcumque tempus; eò quòd ſtatus generationis, & corruptionis non durat in infinitum. Unde eſt certus numerus, non ſolùm eorum, quæ ſunt abſque generatione, & corruptione, ſed etiam generabilium, & corruptibilium. Quantum verò ad alium modum ſciendi Anima Chriſti in Verbo ſcit infinita. Scit enim omnia, ut dictum eſt, quæ ſunt in potentia creaturæ. Unde cùm in potentia creaturæ ſint infinita, per hunc modum ſcit infinita, quaſi quadam ſcientia ſimplicis intelligentiæ, non autem ſcientiâ viſionis.* Hæc D. Tho. Sicut ergo ſcientia Animæ Chriſti, quia exemplata à divina, una exiſtens, dùm cognoſcit ea, quæ quocumque tempore ſunt, ſcit actu finita; dùm verò cognoſcit, quæ in potentia ſunt creaturæ cognoſcit infinita, quin ipſa evadat infinita, ſed ſolùm ſuperior, & excedens quamcumque aliam ſcientiam: ita ſpecies angelica quia exemplata à divinis ideis una exiſtens poterit, vel poſſet omnia, quæ ad Univerſum pertinent, & omnia quæ, in potentia ſunt creaturæ repræſentare, quin ſit infinita, ſed ſolùm ſuperior, & excedens; quia eſto infinita eſſent objecta repræſentata, ea tamen ſub aliqua ratione determinata, & limitata repræſentaret.

XX. Quòd ſi dicas. Scientiam Animæ Chriſti, de qua loquitur D. Thomas, eſſe ſupernaturalem, ſpeciem verò angelicam eſſe naturalem: quamvis autem ſupernaturaliter fieri poſſit, ut aliquid creatum ſciat, vel repræſentet infinita, non tamen, quòd naturaliter id præſtet.

XXI. Reſpondeo primò, hanc inſtantiam evincere, ſpeciem repræſentantem infinita de facto, nec in Angelo dari, quod non negabo; non verò dari non poſſe ex quo finita ſit, ut intendebat arguens. Si enim repræſentare infinita eſſet contra rationem finiti,

finiti, nec ſupernaturaliter poſſet ei convenire.

Reſpondeo ſecundò, quòd eſto repræſentare infinita naturaliter convenire non poſſit ſpeciei, & naturæ inferiori; convenire tamen naturaliter poteſt ſpeciei, & naturæ ſuperiori, qualis eſt ſpecies, & natura angelica. Hoc enim ipſo, quòd aliquid ſuperioris ordinis eſt, licèt ſit finitum in ſe, æquivalet infinitis ordinis inferioris, nempè toti generi inferiori; quia omnia ſuperat in perfectione: ſicut & Rex æquivalet omnibus ſubditis, & ſuperat in dignitate, & Cœlum infinitis corruptibilibus ſibi inferioribus: & eàdem ratione unica repræſentatio ſpeciei ſuperioris, & ab ideis divinis exemplatæ excedere, & æquivalere poteſt pluribus, imò infinitis repræſentationibus particularibus, & ab objectis derivatis, & adhuc eſſe finita; quia omnes illas contineret ſub aliqua ratione determinatâ, & finitâ.

XXII. Secundò objicit. Per ſpeciem naturæ, puta humanæ, non poſſunt omnia ejus individua repræſentari, quin in ea contineantur, vel formaliter, vel eminenter: ſed in ea non continentur formaliter, quia nulla natura eſt formaliter omnia ſua individua; nec eminenter, quia cùm individua naturæ humanæ ſint infinita, ea eminenter continere cum omnibus ſuis characteribus, gradibus, differentiis argueret in illa virtutem perfectionis prorsùs infinitæ; ergo &c.

XXIII. Confirm. Species debet eſſe formalis ſimilitudo objecti repræſentati: ſed unica ſpecies non poteſt eſſe formalis ſimilitudo naturæ ſpecificæ, & omnium individuorum ejus: vel enim eſt ſimilitudo eorum, ut invicem diſtincta, & diſparata ſunt; & ſic erit formalis ſimilitudo, & repræſentativa plurium, ut plura ſunt, quod eſt impoſſibile: vel eſt formalis ſimilitudo, & repræſentativa eorum, ut in una natura ſpecifica conveniunt; & ſic erit repræſentativa, & formalis ſimilitudo eorum ſolùm ſub ratione communi, & confuſa; ergo &c.

XXIV. Reſpondeo, diſt. maj. per ſpeciem &c. acceptam ab ipſa natura humana non poſſunt &c. conc. maj. per ſpeciem derivatam à cauſa ſuperiori, nego maj. & conc. min. nego conſeq. Species ergo accepta à natura humana non poteſt repræſentare individua, niſi ut in ea continentur; cùmque in ea non contineantur actu, ſed ſolùm in potentia, & in confuſo, ideò non poteſt ea niſi in confuſo repræſentare. At ſpecies derivata, & exemplata ab idea in mente Dei exiſtente, qualem eſſe ſpeciem angelicam jam oſtendimus, repræſentat naturam humanam cum individuis clarè, & diſtinctè, quemadmodum in illa continentur, nimirùm, non naturam abſtractam, ſed naturam actu diffuſam, & diſtributam in individuis; ita ut ejus adæquata repræſentatio, & ſpecificativum ſit natura cum individuis, quo pacto in divina idea, cujus eſt participatio, continentur, & repræſentantur: cum hoc diſcrimine, quòd idea divina ea continet operativè, & repræſentativè, ſpecies verò angelica ſolùm repræſentativè. Et hoc indicavit S. Auguſt. *lib.* 2. *de Geneſ. ad litt. cap.* 8. Cùm ait, Deus res quas condidit, priùs in mente Angelorum creavit, ſcilicet repræſentativè, deinde in ſeipſis. Et D. Thom. hàc q. 55. a. 2. in corp. & ad 1. ex eodem S. Auguſt. *Sicut* (inquit) *ratio, quâ creatura conditur, priùs eſt in Verbo Dei, quàm ipſa creatura, quæ conditur; ſic & ejuſdem rationis cognitio priùs ſit in natura intellectuali, ac deinde eſt ipſa conditio creaturæ.*

XXV. Ad confirm. dico, quòd major eſt vera de ſpecie propria, & adæquatâ rei repræſentatæ, qualis eſt ſpecies accepta à re, secùs verò de ſpecie excedente, & derivatâ ab idea ſuperiori. Ita D. Tho. 1. p. q. 55. a. 3. ad 3. *Dicendum* (inquit) *quòd idem non poteſt eſſe plurium ratio adæquata: ſed ſi ſit excellens, poteſt idem accipi ut*

ut propria ratio, & ſimilitudo diverſorum: ſicut in homine eſt univerſalis prudentia quantum ad omnes actus virtutum: & poteſt accipi ut propria ratio, & ſimilitudo particularis prudentiæ, quæ eſt in leone ad actus magnanimitatis, & ejus, quæ eſt in vulpe, ad actus cautelæ. Et ſic de aliis. Similiter eſſentia divina accipitur propter ſui excellentiam, ut propria ratio ſingulorum, quæ ſunt in ea. Unde ſibi ſingula ſimilantur ſecundùm proprias rationes. Et eodem modo dicendum eſt de ratione univerſali, quæ eſt in mente Angeli, quòd per eam propter ejus excellentiam multa cognoſci poſſunt propriâ cognitione. Idem docet Q. 8. de Verit. a. 10. ad 3.

XXVI. Explicantur hæc aptiſſimo, ac ſuperiùs indicato exemplo Artifex priùs concipit ideam operis faciendi, ſicut Architectus domus faciendæ in lapidibus, & lignis. Ejus tamen quod mente concepit priuſquam in ſua materia exteriùs ponat, conſuevit exprimere imaginem repræſentativam in papyro, cera, aut ære, quam typum, ſeu modelum vocamus; & hæc non deſumit ſuam unitatem ex ipſa re fabricata, ut in ſe, ſed ex unitate, & modo, quo eſt in mente artificis. Et quia Architectus poteſt in ſua idea ſecundùm diverſas habitudines, formarè plures, vel pauciores artefacti concepti, & faciendi partes; poteſt etiam plura, vel pauciora unitim exprimere in typo: & ſicut poteſt in uno conjungere plures partes unius domus, ita plures domos pro una civitate, & plures civitates pro uno regno. Ita Deus priùs concipit omnium Ideam in Verbo, deinde in mentibus angelicis faciendorum typos & ſimilitudines plura, vel pauciora repræſentantes expreſſit, cum hoc tamen diſcrimine; quòd ſimilitudines ab artifice creato, quia in materia impreſſæ, non diſtinctè, & ut in ſe ſunt, ſed quaſi compendio repræſentantur: Deus autem, qui depingit intelligibiles intentiones in mente Angeli ex ſuis ideis, eas imprimit cum perfectiſſima repræſentatione, & cum ea adunatione, quam habent in ſuis divinis ideis, vel ſaltem ſimili, & exemplatâ ab eis.

XXVII. Hinc D. Thomas in 2. *diſt.* 3. *qu.* 2. *art.* 2. *ad* 1. triplex univerſale diſtinguit. Unum *in re*, & eſt natura ipſa in particularibus: aliud à re acceptum per abſtractionem, quod eſt *poſterius re*, & hoc modo formæ Angelorum non ſunt univerſales. *Eſt etiam* (inquit) *quoddam univerſale ad rem, quod eſt prius re ipſa, ſicut forma domus in mente ædificatoris. Et per hunc modum ſunt univerſales formæ rerum in mente angelica exiſtentes: non ita quòd ſint operativa, ſed quia ſunt operativis ſimiles, ſicut aliquis ſpeculativè ſcientiam operativam habet.* Si ergo ſpecies angelicæ priores ſunt ipſis rebus, ſuam unitatem non ſumunt à rebus, ſed ab idea eorum operativâ, cujus participatæ repræſentationes ſunt. Unde ibid. a. 3. ait: *formæ autem quæ ſunt in mente Angeli, ſunt ſimillimæ rationibus idealibus in mente divina exiſtentibus, ſicut deductæ immediatè exemplariter ab eis.* His benè penſatis, omnibus Scoti rationibus in contrarium fit ſatis, quæ omnes in hoc ſitæ ſunt; quòd Angelus intelligat per ſpecies à rebus acceptas, & rebus adæquatas; quòd ſi intelligeret per ſpecies univerſales, intelligeret particularià confuſè, & quòd intelligeret plura ut plura: quæ omnia evaneſcunt ſi conſideremus, ſpecies illas repræſentare plura, ut adunantur in ſuperiori, & altiori ratione, in qua diſtinctè, & ſecundùm omnes ſuas differentias res continentur, nempè in divina idea, cujus illa ſpecies, eſt immediata expreſſio.

§. IV.

Corollaria ex dictis.

XXVIII. Collige ex dictis primò, Angelos, quò naturâ ſuperiores, eò per univerſaliores ſpecies intelligere, & conſequenter per

Digitized by Google

per pauciores. Hæc eſt perpetua S. Th. doctrina citatis locis. Quò enim ſuperior naturâ eſt, eò magis accedit ad Deum, & elongatur ab homine; ergo eò magis participat de unitate, & eò magis recedit à pluralitate in modo intelligendi. Addo, quòd aliàs non ſalvaretur diſtinctio ſpecifica inter Angelos. Nam ſublatâ ab eis capacitate ad ſpecies magis, & minùs univerſales, perfectio in intelligendo unius Angeli ſupra alium, in hoc ſolo conſiſteret, quòd unus perfectiori, & clariori modo intelligeret, quàm alter, quod ad diverſitatem ſpecificam in cognoſcendo non ſufficit; cùm ſpecies Chriſti animæ oſtendant objectum cum majori claritate, quàm ſpecies animæ ſeparatæ; & tamen iſta ſpecie ab illa non diſtinguitur.

XXIX. Nec obeſt, quòd D. Thomas 1. *p. q.* 108. *a.* 1. in ſolos tres gradus diſtinguat majorem, vel minorem univerſalitatem cognoſcendi in Angelis; primum convenientem primæ Hierarchiæ, quæ rationes rerum percipit in cauſa ſummè univerſali, quæ eſt Deus: ſecundum convenientem mediæ Hierarchiæ, quæ rationes rerum percipit, ut dependent à cauſis univerſalibus creatis, quæ aliquomodo multiplicantur: & tertium convenientem infimæ Hierarchiæ, quæ eaſdem rationes conſiderat ut applicatas ſingulis rebus, ut à propriis cauſis dependent.

Nam ibi S. D. non conſiderat modum cognoſcendi Angelorum intrinſecum, & illi convenientem in ſe, & ex ſua natura, ſed modum competentem illis ab extrinſeco, & ſecundùm ordinem politicum, quo ab uno principe gubernantur, & diverſa ſubeunt miniſteria. Altius autem eſt miniſterium quo funguntur Angeli primæ Hierarchiæ eo, quo funguntur Angeli ſecundæ, & iſtud eo, quo funguntur Angeli infimæ.

XXX. Collige ſecundò, hanc doctrinam extendendam eſſe etiam ad ſpecies ſupernaturales; quia cùm ſupernaturalia, & gratuita, eſto non debeantur naturæ, aptè tamen ad naturam, & conditionem ejus ex Dei liberalitate conferantur: hinc eſt quòd ſuperioribus Angelis ſpecies univerſaliores conferat ad cognoſcenda myſteria gratiæ, quàm inferioribus. Hæ autem ſpecies, eſto inter ſe ſpecificè diſtinguantur, ſicut, & ſpecificè diſtinguuntur naturæ Angelorum, quibus accommodantur; non inferunt tamen ſcientiam infuſam, & cognitionem ſupernaturalem in Angelis ſpecie diſtingui: quia unitas ſcientiæ infuſæ ſumitur ex unitate gratiæ, & viſionis beatæ (cujus eſt participatio) & objecti adequati, quod idem eſt reſpectu omnium, quamvis pluribus, vel paucioribus ſpeciebus cognoſcatur.

XXXI. Collige tertiò, ex doctrina hucuſque data probabiliter ſequi, primum, & ſupremum omnium Angelorum, unicam habere ſpeciem univerſaliſſimam, per quam omnia cognoſcit, quæ ad ipſius ſtatum pertinent. Cùm enim omnes Angeli ſeipſos, & Deum per ſuam ſubſtantiam cognoſcant, ut diximus, ad hoc non egent aliqua ſpecie, quæ ab ipſorum ſubſtantia diſtinguatur; ſed ſolùm eâ indigent ad cognoſcenda alia à ſe, ac ſibi inferiora. Sic ergo ſupremus Angelus ſeipſum, ac Deum per ſuam ſubſtantiam cognoſcit, & unicam habet ſpeciem, quâ cognoſcit omnes Univerſi creaturas tam corporales, quàm ſpirituales, nempè omnes Angelos. Secundus Angelus duas habet ſpecies, unam, quâ cognoſcit Angelum ſupremum, & aliam, quâ cognoſcit omnes alios Angelos, cæteraſque creaturas Univerſi. Tertius, Angelus habet tres ſpecies, duas quibus cognoſcit duos Angelos ſibi ſuperiores, & aliam, quâ cognoſcit cætera omnia, & ſic de omnibus aliis dicendum eſt. Quod ſi Deus produceret Angelum ſuperiorem illo, qui modò eſt ſupremus, tunc cuilibet Angelo ſuperadderetur una ſpecies. Sicut enim ille, qui modò eſt primus, fieret ſecundus; ita haberet

Digitized by Google

duas ſpecies, unam quâ cognoſceret Angelum de novo ſupremum, & alteram, quâ cognoſceret cætera omnia: & quia ſecundus fieret tertius, haberet tres ſpecies, duas repræſentativas duorum Angelorum ſuperiorum, & tertiam repræſentativam omnium aliarum rerum; & idem de aliis proportione ſervatâ.

XXXII. Nec refert, quòd cùm multitudo Angelorum ſit propemodum infinita, Angelus infimus haberet multitudinem ſpecierum quaſi infinitam. Etenim, quamvis paucitas ſpecierum in Angelis dicat majorem perfectionem, pluralitas tamen earumdem, eſto dicat minorem perfectionem, imperfectionem tamen, maximè privativam, non dicit. Imò in hominibus majorem perfectionem dicit: quantò enim pluribus ſpeciebus acquiſitis ditatur homo, tantò perfectior eſt, quia tantò majorem de rebus notitiam habet.

XXXIII. Hæc inquam probabiliter dicta ſint. In iſtis enim aliquid ſic, vel ſic determinare, omnino incertum eſt; cùm nobis manifeſtata non ſit menſura, quâ ſingulos Angelos Deus menſus eſt. Fortaſſis enim etiam inter ipſas res corporeas aliquæ ſunt tantæ perfectionis, ut non poſſint ita facilè unâ cum aliis unica ſpecie penetrari, ſed ſpecies diſtinctas requirant.

XXXIV. Quæres, an omnia ea, quæ unicâ ſpecie repræſentantur, unico etiam actu adæquato poſſint ab Angelo cognoſci?

Reſpondeo affirmativè. Dummodò tamen in ipſis rebus adſint conditiones debitæ, & requiſitæ, ut res poſſit attingi ab Angelo, ſcilicet quòd non ſint intra cauſas, & ſint pars phyſica, & naturalis Univerſi, & non ſolum moralis, ut dicetur. Poteſt tamen Angelus pro ſua libertate uti illâ ſpecie ſolùm inadæquatè, nimirùm ad intelligendum aliquid per illam repræſentatum, & non omnia. Sed de hoc infra.

DUBIUM VI.

Varia circa modum cognitionis Angelorum.

§. I.

An ſemper ſint in actu ſecundo cognoſcendi?

I. Dico primò. Angelus ſemper, ac neceſſariò eſt in actu ſecundo cognoſcendi ſeipſum. Ita D. Tho. Q. 8. *de Verit. a.* 6. *ad* 7. dicens: *Intellectus Angeli non eſt in potentia reſpectu eſſentiæ ejus, ſed reſpectu ejus ſemper eſt in actu*. Et a. 14. ad 6. *Mens Angeli ſemper ſe actualiter intelligit; quod ideò contingit, quia mens Angeli intelligit ſe per eſſentiam ſuam, quâ ſemper informatur*. Quibus, & rationem præbet, & præoccupat inſtantiam. Rationem quidem. Si enim Angelus intelligit ſe per ſuam eſſentiam, ac ſemper habet eam ſibi intelligibiliter præſentem, manifeſtum eſt, eum in ſui cognitione ita ſemper occupari, ut ab ea diſtrahi non poſſit: ſicut ſi ſpecies alicujus objecti naturaliter afficeret pupillam oculi, non poſſet ab ejus viſione deſiſtere, quantumcumque aliquod aliud objectum excellens præſentaretur.

Inſtantiam quoque præoccupat. Non enim ſic neceſſitatur Angelus ad actualem ſui cognitionem neceſſitate objecti, quomodo neceſſitatur Beatus ad cognitionem & amorem Dei, in quo eſt omne verum, & omne bonum; ſed neceſſitate ſubjecti, & principii, inquantùm cognitio ſui eſt proprietas naturaliter dimanans ab ejus eſſentia, ad eum modum, quo motus cordis fluit, quaſi proprietas à natura animalis.

II. Ex hoc naſcitur altera ratio, quam idem S. D. tradit 2. *Contrag. cap.* 97. ſic: *Omnis ſubſtantia vivens habet aliquam operationem vitæ in actu ex ſua natura, quæ ineſt ei ſemper, licèt*

Digitized by Google

eèt alia quandoque inſint ei in potentia, ſicut animalia ſemper nutriuntur, licèt non ſemper ſentiant: ſed *ſubſtantia ſeparata ſunt ſubſtantia viventes... nec habent aliam operationem vita, niſi intelligere; oportet igitur, quòd ex ſua natura ſint intelligentes actu ſemper:* at quid aliud, niſi ſuam ſubſtantiam, quâ ſemper etiam intelligibiliter informantur?

III. Dico ſecundò. Angeli ſemper, ac neceſſariò cognoſcunt Deum, ut ſuæ naturæ Auctorem. Prob. Angelus ex dictis videt Deum per ſuum ſubſtantiam, ut ſpeculum, in quo imago Dei repræſentatur: ſed qui neceſſariò videt ſpeculum, neceſſariò videt imaginem repræſentatam in ſpeculo; ergo &c. Tum etiam, Angelus ſe videns, ſe comprehendit: ſed non poteſt ſe comprehendere, quin cognoſcat habitudinem, & dependentiam, quam habet à Deo, & proinde, quin Deus aliquomodo abſtractivè ab eo cognoſcatur; ergo &c.

IV. Dico tertiò. Angeli continuò intelligunt ea, quibus ſunt deſtinati. Sic Angeli motores Cœlorum eis continuò ſuæ mentis attentione applicantur, cùm ſuæ mentis conceptione eos moveant. Sic Angeli Cuſtodes ſuos clientes, & quæcumque eorum curæ commiſſa ſunt, numquam cogitatione dimittunt, nec quantumvis impios totaliter deſerunt. Sic Dæmones ſemper ſuos cruciatus, & deſtinationem ad ignem corporeum apprehendunt; torquentur enim continuâ cogitatione ſuæ pœnæ ac ſupplicii. E' contra verò Angeli beati ſemper ſunt in actu viſionis Dei, & eorum, quæ vident in Verbo; quia in hoc eorum beatitudo ſita eſt, à qua ceſſare non poſſunt. Unde Chriſtus Matth. 18. v. 10. *Angeli* (inquit) *eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt*. Ita quoque S. Thom. 1. *p. q.* 58. *art.* 1.

V. Dico quartò. Angeli reſpectu aliorum non ſemper ſunt in actu cognitionis, ſed quandoque in actu, quandoque in potentia. Ita S. Thomas 1. *p. q.* 58. *a.* 1. ubi obſervat, quòd *intellectus dupliciter eſt in potentia: uno modo, ſicut ante addiſcere, vel invenire, ſcilicet antequam habeat habitum ſcientiæ. Alio modo dicitur eſſe in potentia, ſicut cum jam habet habitum ſcientiæ ſed non conſiderat*. Et reſolvit. *Primo igitur modo intellectus Angelè nunquam eſt in potentia reſpectu eorum, ad quæ ejus cognitio naturalis ſe extendere poteſt. Sicut enim corpora ſuperiora, ſcilicet Cœleſtia, non habent potentiam ad eſſe, quæ non ſit completa per actum: ita Cœleſtes intellectus, ſcilicet Angeli, non habent aliquam intelligibilem potentiam, quæ non ſit completa per ſpecies intelligibiles connaturales eis. Sed quantum ad ea, quæ eis divinitùs revelantur, nihil prohibet, intellectum eorum eſſe in potentia; quia ſic etiam corpora Cœleſtia ſunt in potentia quandoque, ut illuminentur à Sole. Secundo verò modo intellectus Angeli poteſt eſſe in potentia ad ea, quæ cognoſcit naturali cognitione; non enim omnia, quæ naturali cognitione cognoſcit, ſemper actu conſiderat*. Idem docet *Qu.* 8. *de Veritate a.* 6. *ad* 7. ubi poſtquam dixit, quòd *intellectus Angeli non eſt in potentia reſpectu eſſentiæ ejus, ſed ſemper eſt in actu* (ut oſtendimus ſupra) ſubdit: *Reſpectu autem aliorum intelligibilium poteſt eſſe in potentia:* non eſſentiali, ſicut antequam addiſcat, ſed accidentali, *ſicut habens habitum, dum non conſiderat*.

§. II.

An Angeli ſimul multa cognoſcant?

VI. DIco. Nec Angelus, nec homo intelligit, aut poteſt intelligere plura, ut plura; benè tamen per modum unius. Ita D. Tho. *q.* 58. *citatâ a.* 2. *Qu.* 8. *de Verit. a.* 14. & alibi. Ut hoc aſſertum intelligatur, noto, quòd intelligere plura, ut plura, ſeu per modum plurium, eſt ea intelligere per diverſas ſpecies ejuſdem generis, & ordinis nullum haben-

bentes ordinem invicem, neque ad aliquid tertium; ideſt pro ut unaquæque refert ſimilitudinem ſui objecti præciſè, puta bovis, aut leonis abſque ullo ordine unius ad alterum, vel utriuſque ad aliquod tertium. Quòd ſi ſpecies repræſentent ſua objecta, ut ſunt extrema alicujus comparationis, vel differentiæ, vel propoſitionis; ſive ut aliter ordinantur, vel ambo ad tertium, vel unum ad alterum; non ſunt plura, ut plura, ſed plura per modum unius totalis repræſentati, & cogniti. Sic dum dicitur *bos non eſt leo*, Bos, & leo repræſentantur cum ordine invicem, & ad unam propoſitionem, quam conſtituunt. Et hinc D. Thomas 1. *p. q.* 85. *a.* 4. *ad* 3. dicit, *quòd partes poſſunt intelligi dupliciter. Uno modo ſub quadam confuſione, pro ut ſunt in toto, & ſic cognoſcuntur per unam formam totius, & ſic ſimul cognoſcuntur. Alio modo cognitione diſtinctâ, ſecundùm quòd qualibet cognoſcitur per ſuam ſpeciem, & ſic non ſimul intelliguntur.* Et ad 4. ait, *quòd quando intellectus intelligit differentiam, vel comparationem unius ad alterum, cognoſcit utrumque differentium, vel comparatorum, ſub ratione ipſius comparationis, vel differentia.* His notatis.

Prob. prima pars. Si Angelus plura per modum plurium ſimul intelligeret, vel unico actu ea cognoſceret, vel pluribus: ſed neutro modo &c. ergo &c. Min. prob. Non unico actu; quia, ut docet D. Th. hâc qu. 58. a. 2. *ſicut ad unitatem motus requiritur unitas termini: ita ad unitatem operationis requiritur unitas objecti:* ſed plura per modum plurium non habent rationem unius objecti, ſed plurium; ergo &c. Nec pluribus actibus: nam actus cognitionis eſt ultima actualitas, & ultimus terminus potentiæ fæcundatæ per ſpeciem; ſed idem non poteſt ſimul terminari pluribus terminis, ut pluribus, ſicut nec eadem pars lineæ ad diverſa puncta, nec idem corpus pluribus, ac diverſis figuris figurari; ergo &c. Hâc ratione utitur S. Thomas *Qu.* 8. *de Verit. a.* 14. ubi poſtquam dixit, in eodem intellectu poſſe eſse diverſas ſpecies *in potentia, ſeu in actu incompleto, & hoc eſt ſpecies eſſe in habitu, qui eſt medius inter potentiam, & operationem;* ſtatim ſubjungit: *Sed in actu perfecto plurium ſpecierum intellectus ſimul eſſe non poteſt. Ad hoc autem quòd actu intelligat, oportet, quòd ſit in actu perfecto illius ſpeciei, ſecundùm quam intelligit. Et ideò impoſſibile eſt, quòd ſimul, & ſemel ſecundùm diverſas formas actu intelligat.*

VII. Confirmatur. Si Angelus plura ſimul cognoſceret, vel ea cognoſceret, ut repræſentata per unicam ſpeciem; vel ut repræſentata per diverſas ſpecies. Si per unam ſpeciem; jam non cognoſcit plura, ut plura, ſed ut adunata in una ratione: ea verò cognoſcere ſimul per diverſas ſpecies foret eſſe in actu completo, & ultimo per diverſas formas, quod impoſſibile eſt; ergo Angelus nequit plura, ut plura ſimul intelligere. Unde D. Thom. Qu. 8. de Verit. a. 14. citato, concludit: *Omnia igitur diverſa, quæ diverſis formis intelligit, non poteſt ſimul intelligere; illa verò, quæ intelligit per eandem formam, ſimul intelligit.* Ex his

VIII. Probatur ſecunda pars. Cùm enim plura cognoſcuntur per eandem formam, eſto plura ſint materialiter, formaliter tamen, & in ratione objecti unum ſunt, quia omnium eadem forma eſt. Unde citato loco ad 6. ait S. Doct. *Si enim aliqua duo ità ſe habeant, ut unum ſit ratio intelligendi aliud, unum eorum erit quaſi formale, & aliud quaſi materiale; & ſic illa duo ſunt unum intelligibile, cum ex forma, & materia unum conſtituatur. Unde intellectus, quando intelligit aliquid per alterum, intelligit unum tantùm intelligibile, ſicut patet in viſu; lumen enim eſt, quo videtur color, unde ſe habet ad colorem quaſi formale, & ſic color, & lumen ſunt unum tantùm viſibile, & ſimul à viſu videntur.*

IX.

Digitized by Google

IX. Ex his infert S. Doct. ibi, quòd cùm eſſentia Angeli ſit *ei ratio cognoſcendi omne, quod cognoſcit, quamvis non perfectè, propter quod formis ſuperadditis indiget ... cùm intelligit ſe, & illa, non intelligit ſimul multa, niſi ut unum.*

X. Infert ſecundò, *ibi in corp.* & hâc *qu. 58. a. 2.* quòd *quæcumque per unam ſpeciem intelligibilem cognoſci poſſunt, cognoſcuntur ut unum intelligibile, & ideò ſimul intelliguntur.* Unde omnia, quæ Angelus intelligit per unam Dei eſſentiam, ſimul ut unum intelligibile cognoſcit; ea verò, quæ intelligit per formas innatas, quæ ſunt multæ, non ſimul intelligit, ſi diverſis formis intelligat. Quia verò, ut *Dub. præcedente* ſtatutum eſt, Angelus multa intelligit per eandem formam, ad minus omnia ſingularia ejuſdem ſpeciei; & ſuperior, multò plura una ſpecie intelligit, quàm inferior: omnia hæc, quæ una ſpecie cognoſcuntur, ad cognitionem Angeli comparantur, ut unum intelligibile. Unumquodque enim fit intelligibile in actu per formam intelligibilem; unde quæ uniuntur in eadem forma intelligibili, in eſſe intelligibili unum ſunt.

XI. Hinc dùm ſenſus ſive externus, ſive internus uno actu percipit plura objecta, ut dum ſenſus viſus uno intuitu videt hominem, equum, arborem, & in eadem re plures colores; dùm auditus ſimul percipit diverſos ſonos, ut ſonum vocis, & cytharæ, bombardæ, & campanæ; cùm ſenſus internus omnia objecta ſenſuum externorum uno actu conjungit: tales ſenſus non percipiunt plura ut plura; quia hæc omnia cùm ſenſum moveant per unam ſpeciem, & per eam cognoſcantur, ſe habent per modum unius ſenſibilis adæquati. Propterea D. Th. Quodlibet. 7. a. 2. ad 1. ſimili argumento reſpondens: *ſimiliter* (inquit) *dicendum eſt de potentia ſenſitiva, ideſt, quòd non poteſt plura ſimul ſentire, ſed ex conſequenti, in quantùm plura accipiuntur ut unum; ſicut plura ſenſibilia uniuntur in una differentia, & plura ſenſibilia, quæ ſunt partes uniuntur in uno toto.* Quamvis differentiam inter ſenſum, & intellectum ibi aſſignet S. Doct. dicens: *ſenſus communis, quamvis ſit una potentia ſecundùm eſſentiam, tamen aliquomodo multiplicatur ſecundùm eſſe, in quantùm conjungitur diverſis ſenſibus propriis, ſicut unum centrum conjungitur pluribus lineis; unde immutationes omnium ſenſibilium ſimul terminantur ad ſenſum communem; ſicut motus, qui eſſet per omnes lineas, poſſet ſimul terminari ad centrum: ſed intellectus non multiplicatur modo prædicto in plures potentias, & ideò non eſt ſimile.*

XII. Tandem, ne quis putet, intellectum Angeli dùm plura per modum unius cognoſcit, ea cognoſcere non diſtinctè, ſed ſolùm confusè; & utatur exemplo D. Tho. ſuperiùs allato de partibus continui, quæ dùm cognoſcuntur, ut ſunt unum in toto, ſolùm confusè cognoſcuntur: obſervandam cenſeo differentiam inter ſpecies intellectus noſtri, & angelici. Nam ſpecies noſtræ limitatę ſunt, quia à rebus acceptæ; & ideò ſpecies totius repræſentans partes, ut ſunt unum in toto, eas non ita clarè repræſentat, ſed confusè: at ſpecies angelicæ, quia à divinis idæis, in queis omnia diſtinctè continentur, ſunt exemplatæ, clarè, & diſtinctè omnia repræſentant, totum & partes, ſpeciem & individua, genus & ſpecies; & ideò pariunt omnium, quæ repræſentant, diſtinctam, & propriam cognitionem ex parte rei cognitæ. Quibus ea, quæ objici poſſunt, præoccupantur.

§. III.

An Angeli intelligant diſcurrendo?

XIII. Affirmant Scotiſtæ cum Scoto; negant verò cum ſuo Angelico Magiſtro Thomiſtæ. Suarez verò

verò dicit, Angelum circa naturalia, quæ poteſt evidenter cognoſcere, non uti diſcurſu. benè tamen circa ſupernaturalia, & circa ea etiam naturalia, quæ non poteſt evidenter cognoſcere, qualia ſunt futura contingentia, & ſecreta cordium.

XIV. Pro intelligentia adverto cum D. Thoma hîc 1. *p. q.* 14. *a.* 7. in cognitione duplicem poſſe contingere diſcurſum: unum ſecundum ſucceſſionem tantùm; alterum etiam ſecundum cauſalitatem. Prior dicit tantùm ſucceſſionem actuum abſque illatione, ut quando intelligimus hoc, deinde hoc; ſeu, ut ait D. Thomas, *cùm poſtquam intelligimus aliquid in actu, convertimus nos ad intelligendum aliud.* Poſterior non ſolùm ſucceſſionem, ſed etiam cauſalitatem inter actus importat, ità ut prior cauſet, & inferat poſteriorem; *ſicut cùm per principia cognita pervenimus in cognitionem concluſionum.* Priorem diſcurſum de facto reperiri in Angelis exploratum eſt. Cùm enim non unico actu, ſicut Deus, intelligant omnia, conſequens eſt, ut ad rerum cognitionem ſucceſſione actuum indigeant. De poſteriori ergo, qui propriè nomine *diſcurſus* venit, procedet quæſtio.

XV. Ad verum autem, & proprium diſcurſum duæ neceſſariò requiruntur conditiones: una, diſtinctio actuum, & quidem realis, ſi diſcurſus ſit formalis. Altera, quòd ſit illatio, & vera cauſalitas inter actus, ut prior realiter inferat, & cauſet poſteriorem; ſeu ut unum priùs cognitum (prioritate ſive durationis, ſive naturæ) pariat, & inferat cognitionem poſterioris. Quare ad verum & formalem diſcurſum non ſufficit, ut unum ex parte objecti ſit ratio cognoſcendi aliud: eſſentia enim divina, tàm Deo, quàm Beatis eſt ratio cognoſcendi omnia; & tamen in Deo nullus eſt diſcurſus, nec Beati in viſione beata diſcurrunt. Requirit igitur diſcurſus duos actus ex parte ſubjecti, quorum uno cognoſcatur cauſa, altero verò ex priori illato, quo ex cauſa cognita procedatur ad cognitionem effectus. Propterea valdè differunt hæc tria, nempe *videre aliquid in alio, videre poſt alium, & videre ex alio.* Deus enim omnia videt in ſeipſo, non tamen poſt aliud viſum, aut ex alio viſo. Angeli vident unum poſt aliud, non tamen unum ex alio, ut dicemus. Homines verò vident unum poſt aliud, & inſuper vident unum ex alio. His ergo præmiſſis.

XVI. Dico. In Angelis nec datur, nec dari poteſt diſcurſus formalis. Ita D. Thomas hîc *q.* 58 *a.* 3. cujus ratione probo ſic. Angeli illum gradum tenent in ſubſtantiis ſpiritualibus, quem corpora Cœleſtia in ſubſtantiis corporeis, & propterea *Cœleſtes mentes* dicuntur à D. Dionyſio (*de divin. Nom. c.* 7. *& cap.* 12. *Cœleſt. Hierarch.*) Sed ubi corpora terrena per mutationem, & motum adipiſcuntur ſuam perfectionem, corpora tamen Cœleſtia ſtatim ex ipſa ſua natura ſuam ultimam perfectionem habent; ergo ubi inferiores intellectus, ſcilicet hominum, per quendam motum, & diſcurſum intellectualis operationis perfectionem in cognitione veritatis adipiſcuntur, dùm ex uno cognito ad aliud cognoſcendum procedunt; ſuperiores tamen intellectus, quales ſunt angelici, ſtatim in illis, quæ primò naturaliter cognoſcunt, inſpiciunt omnia quæcumque in eis cognoſci poſſunt. Et ideò *intellectuales* dicuntur, anima vero humana *rationalis;* quia iſta ratiocinatione, & diſcurſu ex uno ad aliud procedit; illi verò ſtatim naturaliter apprehendunt: quare habitus primorum principiorum *intellectus* nuncupatur. Quod docet etiam q. 8. de Verit. a. 15. ſic dicens: *Sicut nos ſine diſcurſu principia cognoſcimus ſimplici intuitu, ita & Angeli omnia quæ cognoſcunt: unde & intellectuales dicuntur, & habitus principiorum in nobis dicitur intellectus.*

XVII. Dices primò. Ex hoc ſequi, quòd Angelus neceſſariò non debeat uti

uti diſcurſu, ſicut nos: non tamen, quòd eo uti non poſſit ex ſua libertate; & maximè ſi velit uti ſuâ ſpecie non adæquatè, ſed ſolùm inadæquatè, prout ſcilicet repræſentat principium, & non concluſionem. Ita Molina.

XVII. Sed contra. Nequit Angelus pro ſua libertate immutare modum naturalem ſuæ cognitionis, hic enim non ſubditur ſuæ voluntati: ſed cognoſcere ſtatim in principio concluſionem, eſt modus connaturalis Angelo ratione ſuæ naturalis perfectionis, quâ excedit modum cognoſcendi hominis; ergo non poteſt &c.

Confirmatur. Nequit Angelus ſuâ libertate uſurpare id, quod proprium eſt hominis: ſed ratiocinari, & diſcurrere eſt proprietas hominis, ſicut eſſe rationale, & diſcurſivum eſt hominis eſſentia; ergo &c.

XVIII. Nec obeſt, quod additur. Nam eſto Angelus poſſit uti ſuâ ſpecie non ſecundùm adæquatam repræſentationem, ſed ſolum inadæquatam, intuendo ſcilicet ſolum principium, & non concluſionem; dum tamen alio actu cognoſceret concluſionem, non diſcurreret vero diſcurſu ſecundùm cauſalitatem: quia ille alius actus, quo cognoſceret concluſionem, eſſet diſparatus, & non ortus ex actu, quo cognovit principium, ſed eſſet actus cognoſcens concluſionem non in ſeipſa, ſed in principio; unde cognoſceret unum poſt aliud, non unum ex alio, quod ad rationem diſcurſus veri ſecundum cauſalitatem requiritur. Unde D. Tho. 1. 2. q. 89. a. 4. *Oportet* (inquit) *quod quandocumque* (Angelus) *conſiderat concluſiones, conſideret eas prout ſunt in principiis*.

XIX. Dices ſecundò cum Suarez, rationem D. Thomæ concludere ad ſummum, quòd Angelus non poſſit diſcurrere circa naturalia, non autem, quòd non poſſit diſcurrere circa ſupernaturalia; circa quæ non habet lumen perfectum, ſicut circa naturalia, ſed ſolam potentiam obedientialem.

XX. Sed contra. Nam gratia, & ſupernaturalia dona non deſtruunt, ſed infunduntur ſecundùm modum connaturalem, nec deprimunt modum operandi naturæ ſuperioris ad modum operandi naturæ inferioris, ſed potiùs illum elevant, ac perficiunt; ergo cùm modus connaturalis Angeli, ut elevatur ſupra hominem, ſit cognoſcere abſque diſcurſu, nonminùs, ac cognoſcere per ſpecies univerſales; ſicut hâc ratione ſuperiùs diximus, Angelo etiam circa ſupernaturalia infundi ſpecies univerſales; ita etiam dicimus modò circa eadem illi infundi lumen, quo poſſit etiam circa ſupernaturalia abſque diſcurſu procedere: & ſicut lumine naturæ cognoſcit unico, & indiviſibili actu Petrum eſſe hominem, & eſſe riſibilem; ita unico intuitu lumine ſupernaturali in hoc principio: *Chriſtus eſt homo*, videt hanc concluſionem, quæ in eo neceſſariò continetur: *Chriſtus eſt riſibilis*.

XXI. Addo, quòd lumen ſupernaturale de ſe non eſt diſcurſivum, ſed ſolùm ex conditione ſubjecti, quando ſcilicet ſubjectum de ſua natura eſt diſcurſivum. Quare D. Thom. 2. 2. *q. 9. a. 1. ad 1.* docet quòd ſcientia, quæ inter dona recenſetur, non eſt de ſe diſcurſiva, ſicut nec ſcientia divina, concludens: *Et ideò divina ſcientia non eſt diſcurſiva, vel ratiocinativa, ſed abſoluta, & ſimplex, cui ſimilis eſt ſcientia, quæ ponitur donum Spiritus Sancti, cùm ſit quædam participata ſimilitudo ipſius*. Cùm ergo Angelus, qui eſt ſubjectum luminis ſupernaturalis, non ſit ex natura ſua diſcurſivus, non utitur lumine diſcurſivo modo, ſed abſoluto, & ſimplici ut in ſe eſt.

XXII. Argues primò. In cognitione, quâ Angelus ex cognitione ſui cognoſcit Deum, intervenit diſcurſus, nempè duplex actus; unus, quo ſeipſum cognoſcit intuitivè; alter, quo ex tali actu procedit ad cognoſcendum Deum abſtractivè: eadem enim cognitio nequit eſſe abſtractiva, & intuitiva.

Confirm. Cùm Dæmones viſis Chriſti miraculis conjiciebant, ipſum eſſe Deum, & Filium Dei; vel dum ex aliquibus ſignis, aut indiciis venantur, aut explorant ſecreta cordium, aut futura contingentia, ibi ſunt duo actus; unus certus, & evidens, ſcilicet viſio miraculorum Chriſti, aut ſigni exterioris; alter incertus, & obſcurus ex primo cauſatus, nempè ſuſpicio de divinitate, aut de tali cogitatione mente conceptâ, vel futuritione tali: unus enim, & idem actus nequit eſſe clarus, & obſcurus, certus, & incertus; ergo ibi intervenit diſcurſus, quo ex illis viſis diſcurrunt ad ea, quæ ex illis poſſunt inferri.

XXIII. Reſpondeo, negando aſſumptum. Angelus enim videt, ſeu cognoſcit Deum, non ex ſeipſo, ſed in ſeipſo, ut in ſpeculo repræſentante ipſum, quemadmodum ſupra dictum eſt. Sicut ergo oculus corporalis eodem actu, quo videt ſpeculum, abſque diſcurſu videt repræſentatum in ſpeculo; ita oculus intellectualis Angeli eodem actu, quo ſeipſum videt, cognoſcit etiam Deum in ſe abſtractivè repræſentatum. Neque eſt novum, quòd una eademque cognitio reſpectu diverſorum intuitiva ſit, & abſtractiva. Conſtat enim, viſionem beatam, cùm unica numero ſit in quolibet Beato, eſſe intuitivam Dei, & creaturarum in eo exiſtentium, & abſtractivam creaturarum poſſibilium. Differentiæ enim intuitivi, & abſtractivi ſunt accidentales, & extraneæ reſpectu cognitionis.

XXIV. Ad confirm. nego pariter quod aſſumitur. Non enim Dæmones ex viſis miraculis, aut aliis ſignis procedunt ad cognoſcenda, quæ, vel ſuſpicione, vel conjecturâ ex illis poſſunt inferri; ſed in iis ipſis viſis cognoſcunt connexionem probabilem, & conjecturalem cum aliis, quæ non vident. Neque repugnat, eandem cognitionem reſpectu unius eſſe claram, & certam, reſpectu verò alterius eſſe obſcuram, & incertam: hoc enim in nobis quoque ſæpè contingit, qui, dùm aliquod principium naturale evidenter cognoſcimus, ſimul in eo quaſdam concluſiones in cônfuſo tantum, & opinativè detegimus: *Quid autem mirum* (ait S. Auguſt. lib. de divin. Dæmon. cap. 5.) *ſi quemadmodum ille* (Medicus) *in corporis humani, vel perturbata, vel modificata temperie, ſeu bonas, ſeu malas futuras prævidet valetudines; ſic Dæmon in aeris affectione, atque ordinatione ſibi notâ, nobis ignotâ, futuras prævidet tempeſtates? Aliquando & hominum diſpoſitiones non ſolùm voce prolatas, verùm etiam cogitatione conceptas, cùm ſigna quadam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiſcunt; atque hinc etiam multa futura prænunciant, aliis videlicet mira, qui iſta diſpoſita non noverunt.* Hæc autem à Dæmone dignoſci abſque diſcurſu oſtendit S. Thomas *Qu.* 8. *de Verit. a.* 15. *ad* 4. dicens: *Cordis abſcondita in motibus corporis intuentur Angeli, ſicut cauſa videntur in ſimilitudinibus ſuorum effectuum abſque omni diſcurſu. Nec propter hoc, quòd illos motus de novo percipiunt aliqua collatione indigent; ſtatim enim ut res ſenſibiles fiunt, ſimiles ſunt Angelorum formis, & ſic ab Angelis cognoſcuntur, & ſic ſine diſcurſu ſenſibilia de novo facta cognoſcunt.* Idem docet ibi *ad* 6. & 7. ubi ait: *quod experimentalis cognitio in Dæmonibus non fit per collationem, ſed ſecundùm quòd vident effectus in cauſis, vel cauſas in effectibus.* Idem docet 1. *p. q.* 58. *a.* 2. *ad* 3.

XXV. Argues ſecundò. In Angelo diſtincta eſt volitio, quâ vult finem ab ea, quâ eligit, & vult media, & iſta cauſatur ex illa; ergo pariter in eo diſtincta erit cognitio, quâ cognoſcit principium ab ea, quâ cognoſcit concluſionem, & iſta cauſabitur ex illa.

Reſpondet D. Thom. 1. *p. q.* 60. *a.* 2. diſcrimen eſſe inter intellectum & voluntatem, quòd *cognitio intellectus fit ſecundùm quod res cognitæ ſunt in cognoſcente. Eſt autem ex imperfectione*

intel-

intellectualis natura in homine, quòd non ſtatim ejus intellectus naturaliter habet omnia intelligibilia, ſed quædam, à quibus in alia quodammodo movetur. Sed actus appetitivæ virtutis eſt è converſo, ſecundùm ordinem appetentis ad res. Quarum quædam ſunt ſecundùm ſe bona, & ideò ſecundùm ſe appetibilia. Quædam verò habent rationem bonitatis ex ordine ad aliud, & ſunt appetibilia propter aliud. Unde non eſt ex imperfectione appetentis, quòd aliquid appetat naturaliter, ut finem, & aliquid per electionem, ut ordinatur in finem. Quia igitur natura intellectualis in Angelis perfecta eſt, invenitur in eis ſola cognitio naturalis, non autem ratiocinativa; ſed invenitur in eis dilectio & naturalis, & electiva.

XXVI. Argues tertiò. *Eubulia*, ſeu virtus benè conſiliativa in Angelis ponitur: Sed hæc dicit inquiſitionem, & diſcurſum. Inſuper, in eo ponitur admiratio circa ſupernaturalia. Nomine enim Angelorum dicitur Iſaiæ 63. v. 1. *Quis eſt iſte qui venit de Edom?* Et Cant. 3. v. 6. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi?* admiratio autem accidit, cùm ex cognitione effectus ducimur in cognitionem cauſæ ignotæ, quod diſcurſum involvit. Tertiò. In Angelis datur ſcientia; hæc autem propriè ſumta, cùm ex cognitione principiorum cauſetur, diſcurſum petit. Quartò. Quidquid poteſt virtus inferior, poteſt virtus ſuperior: ſed intellectus humanus poteſt ſyllogizare, & in effectibus cauſas cognoſcere, ſecundùm quæ diſcurſus attenditur; ergo & intellectus Angeli.

XXVII. Reſpondeo ad ſingula. Ad primum, nego min. In Deo enim datur *Eubulia*, ſeu conſilium abſque inquiſitione, & diſcurſu. Eubulia ergo tunc ſolùm per inquiſitionem procedit, quando eſt in ſubjecto, quod non ſtatim pervenit ad certitudinem judicii. Cùm ergo in Angelis, ſicut in Deo, ſtatim adſit certitudo judicii, ideò in eis eſt *Eubulia*, & conſilium ſecundùm actum ei eſſentialem, qui eſt judicium certum de agendis. Vide D. Th. 1. p. q. 22. art. 1. ad. 1. & qu. 59. a. 3. ad 1. dicentem: *In Angelis eſt electio, non tamen cum inquiſitiva deliberatione conſilii, ſed per ſubitam acceptionem veritatis.*

XXVIII. Ad ſecundum dico, quòd admiratio in Angelis ſolùm indicat, aliquid poſſe eis accidere, cujus cauſam ignorent; non tamen, quòd per diſcurſum ad eam quærendam procedant, ſed quod expectent à Deo illuminari: unde D. Thom. Q. 8. de Verit. a. 15. ad 2. *Angelis* (inquit) *non eſt ignotum aliquid eorum, ad quæ poſſunt per naturalem cognitionem pervenire; ſed aliqua ignorant, quæ naturalem cognitionem excedunt: & in horum cognitionem ex ſeipſis venire non poſſunt conferendo, ſed ſolùm ex revelatione divina.*

XXIX. Ad tertium, nego min. aliàs in Deo propriè ſcientia non eſſet: *Scientia ergo, quæ in nobis invenitur, habet aliquid perfectionis, & aliquid imperfectionis. Ad perfectionem ejus pertinet certitudo ipſius, quia quod ſcitur, certitudinaliter cognoſcitur. Sed ad imperfectionem pertinet diſcurſus intellectus à principiis ad concluſiones, quarum eſt ſcientia. Hic enim diſcurſus non contingit, niſi ſecundùm quòd intellectus cognoſcens principia, cognoſcit in potentia tantùm concluſiones. Si enim actu cognoſceret, non eſſet ibi diſcurſus, cùm motus non ſit, niſi exitus de potentia ad actum.* Ita D. Thom. *Q. 2. de Verit. a. 1. ad* 4. Cùm ergo Angeli in principiis actu videant concluſiones, in eis eſt ſcientia ſine diſcurſu. Non tamen ex hoc ſequitur, ut putant Scotiſtæ, Angelum poſſe cognoſcere infinita actu, ſed ſolùm in potentia, non quaſi addiſcens ex principiis, ſed ut actu non conſiderans in eis omnia, quæ in eis conſiderari poſſent.

XXX. Ad quartum, reſpondet S. Th. hàc q. 58. a. 13. ad 2. *Quòd Angeli ſyllogizare poſſunt, tanquam ſyllogiſmum cognoſcentes; & in cauſis effectus vident,*

Ee 2 *& in*

& in effectibus cauſas: non tamen ita, quòd cognitionem veritatis ignota acquirant ſyllogizando ex cauſis in cauſata, & ex cauſatis in cauſas.

XXXI. Argues quartò. Etſi Angeli diſcurrerent, adhuc ſtaret diſcrimen eſſentiale inter eos, & animam rationalem in ratione intellectivi; ſicut etſi omnes Angeli non diſcurrant, adhuc ſtat differentia ſpecifica inter illos, ſecundùm nos, in ratione intellectivi.

XXXII. Hæc inſtantia, quam proponit Fraſſen, naſcitur ex non intelligentia rationis D. Thomæ. Non enim D. Thomas denegat Angelis diſcurſum, ex eo præcisè, quia eſſentialiter ſpecie differant ab anima rationali; ſed quia ab ea differunt, ſicut natura poſita in gradu ſuperiori intellectualitatis, eo modo, quo corpora cœleſtia differunt, & excedunt hæc corpora ſublunaria, & inferiora. Ex quo infert, quòd ſicut corpora Cœleſtia non per motum, & ſucceſſivè ſuam naturalem perfectionem acquirunt, ſed eam ſtatim à ſua conditione perfectè habuerunt: ita Angeli, qui inter naturas intellectuales excedunt in gradu intellectuali homines, non per motum, & diſcurſum acquirunt ſuam intellectualem perfectionem, ſicut homines; ſed ſtatim in principio naturaliter cognito, omnia quæ in eo cognoſci poſſunt, in eo intelligant. Si verò Angeli, ſicut homines diſcurrerent, quidquid ſit, an ſubſiſteret inter Angelos, & homines diſtinctio ſpecifica eo modo, quo hæc ſubſiſtit inter omnes Angelos, quamvis omnes intelligant ſine diſcurſu, non ſubſiſteret tamen diverſitas in gradu intellectualitatis; ſed Angelus & homo eſſent in eodem gradu, ſicut omnes Angeli invicem. Quare in forma, diſt. ant. diſtinctio eſſentialis ſpecifica, tranſeat ant. eſſentialis in gradu intellectualis, nego ant.

§. IV.

An Angelus intelligat componendo, vel dividendo?

XXXIII. Dico. Angelus non componendo, aut dividendo, ſed ſimplici apprehenſione intelligit. Ita D. Tho. cit. *q.* 58. *a.* 4. cujus hæc eſt ratio. Angelus non intelligit ratiocinando, aut diſcurrendo, ut dictum eſt; ergo nec componendo, aut dividendo. Conſ. prob. Ideò Angelus non intelligit diſcurrendo, quia in principio naturaliter cognito ſtatim cognoſcit omnia, quæ in eo continentur, & omnium concluſionum, quæ ex eo deduci poſſunt, veritatem; ſed etiam cognito ſubjecto cognoſcit in eo quidquid ei poteſt attribui, vel ab eo removeri; ergo &c. *ſicut ergo ſi intellectus noſter ſtatim in ipſo principio* (verba ſunt S. Thomæ, ibi) *videret concluſionis veritatem, nunquam intelligeret diſcurrendo vel ratiocinando: ſimiliter ſi intellectus ſtatim in apprehenſione quidditatis ſubjecti, haberet notitiam de omnibus, quæ poſſunt attribui ſubjecto, vel removeri ab eo, nunquam intelligeret componendo & dividendo, ſed ſolùm apprehendendo, quod quid eſt. Sic igitur patet. quòd ex eodem provenit, quòd intellectus noſter intelligit diſcurrendo, & componendo, & dividendo: ex hoc ſcilicet, quòd non ſtatim in prima apprehenſione alicujus primi apprehenſi poteſt inſpicere quidquid in eo virtute continetur. Quod contingit ex debilitate luminis intellectualis in nobis. Unde cùm in Angelo ſit lumen intellectuale perfectum, cùm ſit ſpeculum purum, & clariſſimum ... relinquitur, quòd Angelus, ſicut non intelligit ratiocinando, ita non intelligit componendo, & dividendo.* Ita S. Doct.

Qui tamen addit: *nihilominus tamen compoſitionem, & diviſionem enunciationum intelligit, ſicut & ratiocinationem ſyllogiſmorum; Intelligit enim com-*

poſita

poſita ſimpliciter, & mobilia immobiliter, & materialia immaterialiter.

XXXIV. Dices primò pro Scoto contrarium opinante. Ubi eſt multitudo intellectorum, ibi eſt multitudo intellectuum: ſed in intellectu Angeli eſt multitudo intellectorum, cùm per diverſas ſpecies diverſa intelligat, & non omnia ſimul; ergo in intellectu Angeli eſt compoſitio, & diviſio.

Diſtingvo maj. Multitudo intellectorum, quorum unum attribuitur alteri, ibi eſt &c. co. ma. aliter, nego ma. & ſimiliter diſtinctâ min. nego conſ. reſponſio eſt D. Tho. hìc ad 1. dicentis: *non qualiſcumque multitudo intellectorum compoſitionem cauſat, ſed multitudo illorum intellectorum, quorum unum attribuitur alteri, vel removetur ab eo. Angelus autem intelligendo quidditatem alicujus rei ſimul intelligit quidquid ei attribui poteſt, vel removeri ab ea. Unde intelligendo quodquid eſt, intelligit quidquid nos intelligere poſſumus componendo, & dividendo, per unum ſuum ſimplex intellectum.* Hinc omnis cognitio Angeli eſt judicativa: ſi enim attingat ſubjectum, in eo, & per ſpeciem ejus attingit prædicatum; ſi attingat prædicatum, attingit in eo ſubjectum, etiamſi attingat illa ſeorſim. Si verò ea attingat, ut coadunata in propoſitione; ſi hæc ſit naturalis, ut iſta *Petrus eſt doctus*, per ſe primò attingit ſubjectum, & per ſpeciem ejus prædicatum. Et ſi predicatum ſit ſupernaturale, ut in iſta *Petrus eſt prædeſtinatus*, in prædicato cognoſcit ſubjectum. quia ab illo unicè ſpecificatur.

XXXV. Dices ſecundò. Plus diſtat affirmatio à negatione, quàm duæ quidditates oppoſitæ: ſed aliquas naturas diſtantes Angelus cognoſcit per diverſas ſpecies, & actus; ergo ſimiliter affirmabit, & negabit diverſis actibus; ergo componendo, & dividendo.

Reſpondeo cum D. Thoma citato ad 2. diſt. maj. Plus diſtat quantum ad rationem exiſtendi, co. maj. quantum ad rationem cognoſcendi, nego maj. Igitur (inquit S. Doct.) *diverſæ quidditates rerum minus differunt quantùm ad rationem exiſtendi, quàm affirmatio, & negatio: tamen quantum ad rationem cognoſcendi affirmatio, & negatio magis conveniunt; quia ſtatim per hoc, quod cognoſcitur veritas affirmationis, cognoſcitur falſitas negationis oppoſitæ.*

XXXVI. Dices tertiò. Locutio externa eſt ſignum internæ compoſitionis, & diviſionis in mente: ſed Angeli hominibus loquentes affirmativas, & negativas enunciationes exteriùs protulerunt; ergo &c.

Reſpondet D Thom. laudatus ad 3. Quod *hoc, quòd Angeli loquuntur enunciationes affirmativas, & negativas, manifeſtat, quòd Angeli cognoſcunt compoſitionem, & diviſionem; non autem quòd cognoſcant componendo, & dividendo, ſed ſimpliciter cognoſcendo quod quid eſt.*

§. V.

In intellectu Angeli nequit eſſe per ſe falſitas.

XXXVII. Colligo primò ex dictis, in intellectu angelico non poſſe per ſe loquendo reperiri falſitatem, ſed ſolùm per accidens. Prima pars probatur. Nam Angelus ex dictis non intelligit componendo, aut dividendo, ſed ſimpliciter apprehendendo quidditatem rei: *Intellectus autem circa quod quid eſt ſemper verus eſt, ſicut & ſenſus circa proprium objectum*, ut ait D. Thom. hìc *qu.* 58. *a.* 5.

XXXVIII. Secunda verò pars (quæ de malis Angelis procedit) intelligenda eſt reſpectu rerum ſupernaturalium, vel naturalium, ut tamen ſubſunt ordinationi divinæ. Cùm enim Angeli tam boni, quàm mali videant, quando volunt, omnium rerum naturalium naturas, & proprietates, ac etiam ea quæ naturaliter, ſeu neceſſariò ex illis eveniunt; reſpectu rerum naturalium non falluntur. nec

deci-

Digitized by Google

decipiuntur. Sed quia non vident quid Deus ſupra, aut præter curſum naturalem in iis, vel de iis facere velit; ideò mali decipi poſſunt quantùm ad ea, quæ ſupernaturaliter poſſunt evenire: ſicut ſi conſiderantes hominem cæcum, vel mortuum, judicent, eum non eſſe aliquando viſurum, aut reſurrecturum; vel cùm videntes hominem Chriſtum judicabant, eum non eſſe Deum.

Boni verò Angeli, ne quidem quoad ſupernaturalia falluntur. Ratio diverſitatis eſt: quia boni Angeli per omnia ſe divinæ ſapientiæ ſubmittunt; ideòque de rebus ſupernaturalibus, quandiù non habent certas revelationes, non judicant ita eſſe, vel non eſſe abſolutè; ſed ex ſignis probabilibus tantùm judicant hoc eſſe probabile, & poſſe ita evenire. Similiterque de rebus naturalibus, ſecundùm quòd ſubſunt divinæ ordinationi (per quam circa illas varia mutatio poteſt accidere) non proferunt abſolutum judicium. Unde fit, quòd licèt in naturalibus cauſis videant peſtem, aut ſiccitatem, non tamen abſolutè judicent, eam eventuram; quia ſciunt, vel Sanctorum orationibus, vel etiam ſine illis poſſe, Deo ſic diſponente, aliter fieri. At Dæmones, quoniam ex pravitate ſuæ voluntatis à divina ſapientia recedunt, eamque nolunt attendere, ſæpè ſecundùm conjecturas, aut argumenta probabilia, vel curſum rerum naturalium abſolutè judicare volentes, falluntur. *Angeli igitur boni* (inquit S. Thom. a. 5. laudato) *habentes rectam voluntatem, per cognitionem quidditatis rei, non judicant de his, quæ ſupernaturaliter ad rem pertinent, niſi ſalvâ ordinatione divinâ. Unde in eis non poteſt eſſe falſitas, aut error. Dæmones verò per voluntatem perverſam ſubducentes intellectum à divina ſapientia, abſolutè interdum de rebus judicant ſecundùm naturalem conditionem. Et de his quæ naturaliter ad rem pertinent, non decipiuntur. Sed decipi poſſunt quantum ad ea, quæ ſupernaturalia ſunt: ſicut ſi conſiderans hominem mortuum, judicet, eum non reſurrecturum; & ſi videns hominem Chriſtum, judicet, eum non eſſe Deum.*

XXXIX. Aliter tamen, docet ibi S. Doctor, contingere poteſt deceptio in Dæmonibus, quàm contingit in nobis. In nobis enim ea falſitas contingit, in quantùm componendo, dividendo, aut etiam demonſtrando, falsò componimus, dividimus, aut demonſtramus; definitionem unius attribuendo alteri, aut partes definitionis incohærenter copulando, aut de quopiam negando id, quod verè ei competit. In Dæmonibus autem oritur ex eo, quòd abſque compoſitione, vel diviſione propriè dictâ apprehendunt in quidditate connexionem cum quibuſdam aliis rebus, judicantes eam eſſe talium rerum principium, quarum tamen (Deo ſic diſponente) non erunt; vel è contra apprehendunt rei quidditatem non eſſe connexam cum aliquo eventu, cum quo tamen divinâ ordinatione connectitur.

§. VI.

De cognitione Matutina, & Veſpertina.

XL. Colligo ſecundò, cognitionem angelicam benè dividi in Matutinam, & Veſpertinam. Ita S. Thomas hìc 1. *p. q.* 58. *a.* 6. & *Q.* 8. *de Verit. a.* 16. 17. & alibi. Primus, qui cognitionem, Angelicam ita diſtinxit, fuit S. Auguſtinus. Ut enim ſuam exponeret opinionem (de qua ſuperiùs egimus) nempè ſex dies, quibus mundus creatus eſt, non fuiſſe dies naturales importantes ſucceſſionem temporis, ſed dies intelligibiles dicentes ordinem, quo res creatæ angelicæ cognitioni fuerunt præſentatæ; & ut in hiſce diebus mane, & veſpera poſſit intelligi, per *Mane* cognitionem Angelicam, quâ res cognitæ fuerunt in Verbo intellexit, & hanc vocavit Matutinam; per *Veſperam* verò angelicam cognitionem, quâ res in propriis natu-

naturis cognitæ fuerunt, intellexit; & hanc Veſpertinam nuncupavit. Tùm quia poſteriorem, cùm ſupponat ab Angelis res fuiſſe priùs cognitas in Verbo, quàm in propriis naturis. Tùm quia minùs claram, ſicut minus clara eſt lux veſpertina, quàm matutina: clariori enim luce res ab Angelis fuerunt cognitæ, dum eas noverunt in Verbo, quàm dum eas per ſpecies ſibi congenitas in propriis naturis cognoverunt, ut docet idem S. Auguſt. *l. 11. de Civit. Dei c. 7. & 29.*

XLI. Horum veſperam, & mane hoc modo explicat lib. 4. de Geneſ. ad litt. c. 22. Angelus ſtatim creatus cognovit ſe non eſſe Deum, & hæc fuit veſpera primæ diei. Deinde retulit ſeipſum ad laudem Creatoris, quo donatus fuit cognitione rerum in Verbo; & hæc fuit mane, quo clauſus fuit primus dies, & inchoatus ſecundus. Deinde rès in ſuis naturis cognovit, & ſic facta eſt veſpera ſecundi diei, & ſimiliter de dierum ſubſequentium veſpere, & mane. Audiatur propterea S. Doct. citato loco. *Si* [inquit] *lux illa, quæ primitùs creata eſt, non corporalis, ſed ſpiritalis eſt, ſicut poſt tenebras facta eſt. ubi intelligitur à ſua quadam informitate ad Creatorem converſa, atque formata; ita & poſt veſperam fiat mane, cum poſt cognitionem ſuæ propriæ naturæ, quâ non eſt quod Deus, refert ſe ad laudandam lucem, quod ipſe Deus eſt, cujus contemplatione formatur. Et quia cæteræ creaturæ quæ infra ipſam ſunt, ſine cognitione ejus non ſunt; propterea nimirum idem dies ubique repetitur, ut ejus repetitione fiant tot dies, quotiens diſtinguuntur rerum genera creatarum, perfectione ſenarii numeri terminandâ: ut veſpera primi diei ſit etiam ſui cognitio, non ſe eſſe quod Deus eſt; mane autem poſt hanc veſperam, quo concluditur dies unus, & inchoatur ſecundus, converſio ſit ejus, quâ id, quod creata eſt, ad laudem referat Creatoris, & percipiat de Verbo Dei cognitionem creaturæ, quæ poſt ipſam ſit, hoc eſt Firmamenti, quod in ejus cognitione ſit priùs, cum dicitur:* & ſic eſt factum; *deinde in natura ipſius Firmamenti, quod conditur, cùm addetur etiam poſtea, jam dicto:* & ſic eſt factum, & fecit Deus Firmamentum. *Deinde ſit veſpera illius lucis, cùm ipſum Firmamentum, non in Verbo Dei, ſicut ante, ſed in ipſa ejus natura cognoſcit: quæ cognitio, quoniam minor eſt, rectè veſpera nomine ſignificatur. Poſt quam ſit mane, quo concluditur ſecundùs dies, & incipit tertius &c.* Ita ſuam opinionem exponit S. Auguſtinus, quam expoſitionem ſequitur S. Thomas Q. 8. *de Verit. a. 16. ad 6. & 8.* Verùm etiam non admiſsâ S. Auguſtini opinione de diebus intelligibilibus in conditione mundi, adhuc in Angelis locum habere poteſt cognitio matutinâ, quâ res in Verbo cognoſcunt, & veſpertina, quâ eaſdem in ſeipſis per ſpecies innatas percipiunt. Cùm illa, utpote clarior, comparetur mane, iſta, utpote minus clara, comparari poſſit veſperæ. Non datur tamen in Agelis cognitio meridiana. quia cùm omnis cognitio creata habeat tenebras admixtas ex parte cognoſcentis, *nulla cognitio intellectus angelici poteſt dici meridiana, ſed ſola cognitio quâ Deus cognoſcit omnia in ſeipſo.* Ita D. Tho. Q. 8. *de Verit. a. 17 ad 4.*

XLII. Ex hactenus dictis eruitur, cognitionem matutinam locum habuiſſe tantùm in Angelis bonis, in eis ſcilicet, qui ſeipſos ad Deum referentes, beatitudine donati, res in Verbo viderunt; non verò in Angelis malis, qui poſt cognitionem ſui, in ſeipſis, quaſi ſeipſis fruentes, & in ſe finem ponentes, permanſerunt, & in noctem à veſpera tranſierunt, nunquam ad mane perventuri. Si tamen cognitionis matutinæ nomine quis vocaret eam cognitionem naturalem, quâ naturaliter cognoverunt Verbum per ejus ſimilitudinem in ſua natura, ut in ſpeculo relucentem, de qua D. Tho. 1. *p. q. 62. a. 1. ad 3.* Sic matutina cognitio omnibus Angelis poſſet attribui.

XLIII.

XLIII. Supereſt quærendum, an cognitio matutina, & veſpertina duæ cognitiones ſint eſſentialiter diſtinctæ, an verò una, eademque cognitio cum diverſo reſpectu?

Reſpondeo magis cohærenter ad mentem D. Auguſtini, ut obſervat S. Thomas hìc *q.* 58. *a.* 7. & Q. 8. *de Verit. a.* 15. eſſe eſſentialiter diverſas. Nam cognitio matutina propriè dicta attingit res in Verbo, ut in medio eas cognoſcendi; veſpertina verò eaſdem attingit, ut in ſuis naturis, & extra Verbum per ſpecies innatas: ſed cognitiones, quæ procedunt per diverſa media, eſſentialiter diſtinguuntur; ergo &c. Quare D. Thomas *q.* 58. *a.* 7. citato. *Si verò* (inquit) *cognitio veſpertina dicatur, ſecundùm quòd Angeli cognoſcunt eſſe rerum, quod habent in propria natura per formas innatas, ſic alia eſt cognitio veſpertina, & matutina. Et ita videtur intelligere Auguſtinus, cùm unam ponat imperfectam reſpectu alterius.*

XLIV. Nec tamen quòd cognitio veſpertina ſit imperfecta impedit, quin poſſit ſimul eſſe in eodem ſubjecto cum matutina.

Nam, ut reſpondet D. Thom. a. 7. citato ad 3. *Veniente perfecto evacuatur imperfectum, quod ſcilicet ei opponitur: ſicut fides, quæ eſt eorum, quæ non videntur, evacuatur, viſione veniente. Sed imperfectio veſpertinæ cognitionis non opponitur perfectioni matutinæ. Quòd enim cognoſcatur aliquid in ſeipſo, non eſt oppoſitum ei, quòd cognoſcatur in ſua cauſa. Nec iterum, quòd aliquid cognoſcatur per duo media, quorum unum eſt perfectius, & aliud imperfectius, aliquid repugnans habet. Sicut ad eandem concluſionem habere poſſumus medium demonſtrativum, & dialecticum. Et ſimiliter eadem res poteſt ſciri ab Angelo per Verbum increatum, & per ſpeciem creatam.*

XLV. Nec demum quis putet, quòd ſi Angelus ab initio cognovit res per Verbum, ab initio fuerit beatus.

Etenim, ut docet D. Thom. Qu. 8. *de Verit. art.* 16. *ad* 8. & ſuperiùs ex Auguſt. tetigimus: *Angelus in principio ſuæ creationis non fuit beatus, nec per eſſentiam Verbum vidit; unde nec cognitionem matutinam habuit, ſed primò habuit veſpertinam, & ex veſpertina profecit in matutinam. Unde ſignanter primus dies mane non dicitur habuiſſe, ſed primò veſpere, quod veſpere tranſivit in mane; quia lux illa ſpiritualis, quæ primo die facta dicitur, ſcilicet ſubſtantia angelica, ſtatim facta, ſeipſam cognovit, quòd fuit cognitionis veſpertinæ, & hanc cognitionem retulit ad laudem Verbi, in quo facta eſt ei cognitio matutina. Et propter hoc dicitur Geneſ.* 1. factum eſt veſpere, & mane &c. Vel dicatur, quod cognitio matutina, quam Angelus habuit, dum adhuc eſſet in via, fuit in Verbo non viſo in ſe, ſed cognito abſtractivè: unde fuit matutina æquivoce, ut dicetur.

QUÆSTIO V.

De objecto cognitionis Angelicæ.

Objectum cognitionis angelicæ, quod hìc aſſumimus ut præſentis quæſtionis materiam, eſt omne illud, quod poteſt Angelus cognoſcere. Hoc autem, vel eſt ſpirituale, de quo agit D. Thom. 1. *p. q.* 56. vel materiale, de quo *q.* 57 Angelum cognoſcere ſeipſum per ſuam ſubſtantiam, & per eandem Deum, ſicut alios Angelos, ac res materiales per ſpecies ſuperadditas, non quidem à rebus acceptas, ſed naturæ angelicæ ab initio congenitas, abundè quæſtione præcedente demonſtravimus, ut ea hìc repetere ſupervacaneum eſſet. Solùm ergo inveſtigabimus, an unus Angelus alterum comprehendat; an cognoſcat futura contingentia; & an etiam ſecreta cordis alterius, & myſteria gratiæ luminæ ſibi naturali ſcrutetur.

DU-

Digitized by Google

DUBIUM I.

An inferior Angelus comprehendat ſuperiorem.

§. I.

Sententia affirmativa proponitur.

QUotupliciter dici poſſit aliquid comprehendi, & quid ſit rigoroſè aliquid comprehendere, dictum eſt ſupra *tom. 2. Tract. de Viſione qu. 5. dub. 1. §. 1. & §. 3.* Quare ad ibi dicta Candidatum remitto.

I. Hìc certum ſuppono contra Vazquem, ſuperiores Angelos comprehendere verâ comprehenſione inferiores. Prob. Nam comprehendere objectum eſt illud cognoſcere, quantum ejus cognoſcibilitas petit cognoſci, itaut cognoſcibilitas paſſiva non excedat vim cognoſcentis, ſed ab ea adæquetur; ſicut ad hoc, ut vinum comprehendatur à dolio, ſufficit, & requiritur, ut tanta ſit dolii capacitas, quantum petit quantitas vini: ſed vis cognoſcitiva ſuperioris adæquat, imò excedit cognoſcibilitatem Angeli inferioris, ſicut illum excedit in immaterialitate; ergo illum &c. Controverſia reſtringitur ad Angelum inferiorem reſpectu ſuperioris; an hic ab illo naturaliter comprehendatur, vel comprehendi poſſit.

II. In hoc diſſident diſcipuli D. Th. affirmantibus quibuſdam, aliis negantibus. Affirmant Bannez, Salmanticenſes, Contenſon, & alii. Negant Sylvius, Bancel. Utraque probabiliter in Schola D. Thomæ ſuſtineri poteſt, cùm utraque probabiles ex ejus doctrina afferat rationes.

III. Sententia affirmans adducit D. Thom. tùm 2. *Contrag. cap.* 98. dicentem: *Intellectus Angeli habet virtutem comprehendendi omnes ſpecies, & differentias entis*. Tùm 1. p. q. 55. *à Potentia itellectiva in ſubſtantiis ſpiritualibus ſuperioribus, ideſt Angelis, naturaliter completa eſt per ſpecies intelligibiles connaturales... ad omnia intelligenda, quæ naturaliter cognoſcere poſſunt*. Tùm 1. p. q. 109. a. 3. ad 2. ubi docet, Angelum inferiorem de iis tantùm à ſuperiore illuminari, quæ ordinem naturalem excedunt. Signum eſt ergo, D. Thomam velle, Angelum inferiorem cognoſcere ut objectum ſibi proportionatum omnia, quæ in Angelo ſuperiori continentur, ſive formaliter, ſive virtualiter, & inde illum comprehendere.

IV. Ex his formatur prima ratio. Ut aliquid comprehenſivè cognoſcatur, ſufficit, ut omnia cognoſcantur, quæ in eo, ſive formaliter, ſive virtualiter, aut eminenter continentur: hâc enim ratione ſuperiùs oſtendimus, quòd ſi intellectus creatus cognoſceret omnia, quæ in Deo tàm formaliter, quàm virtualiter ſunt, Deum comprehenderet: ſed Angelus inferior cognoſcit omnia, quæ in Angelo ſuperiori naturaliter, tàm formaliter, quàm virtualiter ſunt; ergo &c. Min. prob. Tùm quia omnia ſunt objectum proportionatum virtuti intellectus cujuſvis Angeli. Tùm quia Angeli inferiores comprehendunt ſpecies repræſentativas ſuperiorum ſibi congenitas; ergo & comprehendunt ipſos Angelos ſuperiores: cùm enim ſpecies ſit ipſummet objectum in eſſe intelligibili, qui comprehendit ſpeciem objecti, ipſum objectum comprehendit. Non enim datur ſpecies quidditativa, quæ non ſit comprehenſiva objecti: quâ ratione ſi daretur ſpecies quidditativa Dei in ſe, eſſet quoque comprehenſiva; & qui eam comprehenderet, comprehenderet Deum.

V. Secunda ratio eſt. Ideò Angelus inferior ſuperiorem naturaliter non comprehenderet, quia eſſet inferioris intellectualitatis ad intelligibilitatem Angeli ſuperioris: ſed non obſtat; ergo &c. Min. prob. Eſto Angelus inferior ſit inæqualis intellectualitatis in ſpecie; eſt tamen æqualis cum eo-

dem in gradu naturæ intellectualis, & immaterialis completæ; ſed hoc ſufficit, ut poſſit illum comprehendere. Sic enim viſio beata quamvis imperfectior gratiâ, hanc tamen comprehendit. Et ſecundùm plures ſcientia infuſa animæ Chriſti comprehendit lumen gloriæ, & viſionem beatam omnium hominum, & Angelorum, quamvis in ſe ſit imperfectior; quia in eodem ordine ſupernaturali convenit cum illis; ergo &c.

§. II.

Sententia negans.

VI. Dico. Opinio negans, Angelum inferiorem propriâ, & nativâ virtute ſuperiorem comprehendere, videtur probabilior. Prob. primò, quia D. Thom. 2. *Contrag. c.* 98. ex quo ſubſtantiæ ſeparatæ ſuperiores, & inferiores ſint in diverſis gradibus conſtitutæ, concludit, ſic: *Cognoſcit igitur ſubſtantia ſeparata inferior ſuperiorem ſecundùm modum ſubſtantiæ cognoſcentis, non ſecundùm modum ſubſtantiæ cognitæ, ſed inferiori modo.* Ex quibus ſic diſcurro. Ut Angelus inferior comprehenderet ſuperiorem, oporteret, quòd modus cognoſcentis adæquaretur modo rei cognitæ, ſeu quòd tantum eum cognoſceret, quantum petit cognoſci: ſed modus Angeli inferioris cognoſcentis non adæquatur modo Angeli ſuperioris cogniti, nec illum tantum cognoſcit, quantum petit cognoſci; ergo &c. Min. prob. Angelus inferior ex Divo Thoma cognoſcit ſuperiorem ſecundùm modum ſuæ ſubſtantiæ cognoſcentis, non ſecundùm modum ſubſtantiæ Angeli ſuperioris cogniti: ſed modus Angeli inferioris cognoſcentis eſt inferior, nec adæquans modum ſubſtantiæ Angeli ſuperioris cogniti, nec illum tantum cognoſcit, quantum petit cognoſci, quia petit cognoſci cognitione adæquante, qualis eſt cognitio propria ipſius Angeli ſuperioris; ergo &c. Et certè cognitio naturalis Angeli inferioris non poteſt excedere ſubſtantiam, cujus eſt cognitio. Si ergo ejus ſubſtantia inferior eſt in actualitate, nec adæquans ſubſtantiam Angeli ſuperioris, quomodo cognitio Angeli inferioris eam adæquabit?

VII. Dicunt: quòd eſto Angelus inferior non adæquet ſuperiorem in ſpecie, illum tamen adæquat in gradu elevationis ſupra materiam, & immaterialitatis; cùm enim, in hoc omnes Angeli conveniant, ſat eſt, ut invicem ſe comprehendant, quamvis in modo eam habendi, ſive in ſpecie differant.

VIII. Contra eſt. Ut Angelus inferior comprehendat ſuperiorem, oportet, ut ejus cognitio adæquet totam ſuperioris intelligibilitatem: ſed ſi ſit illi inferior in immaterialitate ſpecifica, non adæquabit totam Angeli ſuperioris intelligibilitatem; nam iſta ſecundùm ſpeciem illam excedet, ſicut illam excedit natura, cujus eſt proprietas; imò illam excedet non ſolùm in eſſe entitativo, ut dicunt hujus opinionis Patroni, ſed etiam in eſſe intelligibili: intelligibilitas enim, ſicut & intellectualitas ſequuntur actualitatem naturæ, & cum ea proportionantur; ergo ſi natura Angeli inferioris tantæ actualitatis non eſt per acceſſum ad actum purum, quantæ eſt natura ſuperioris; nec tantæ actualitatis, & intellectualitatis erit, aut etiam intelligibilitatis, quantæ iſta.

IX. Confirmo. Illa intelligibilitas formalis Angeli ſuperioris, cui dicunt adæquari cognitionem Angeli inferioris, vel manifeſtat totam entitatem Angeli ſuperioris, eamque adæquat; vel non? ſi non; ergo neque eſt propria intelligibilitas Angeli ſuperioris, neque ſufficit ad ejus comprehenſionem, quia eam non totam, ſed ex parte ſolùm manifeſtat. Si verò eam adæquat; ergo non erit æqualis, nec adæquabitur ab intellectualitate, & intelligibilitate Angeli inferioris; quia hæc etiam comprehenſivè cogni-

cognita, & adæquatè, ſemper inferior eſt, nec poteſt totam intelligibilitatem ſuperioris concludere: ſicut nec vas minoris capacitatis comprehendere aquam adæquantem vas majoris capacitatis.

X. Secundò prob. Ut Angelus inferior comprehenderet ſuperiorem, deberet etiam comprehendere ſpecies ejus intelligibiles: ſed Angelus inferior non comprehendit ſpecies intelligibiles Angeli ſuperioris; ergo &c. Min. prob. Tùm ex D. Thoma Q. 16. *de Malo a.* 8. dicente: *ſpecies intelligibiles ſuperioris intellectus ſunt univerſaliores; & ideò non poſſunt comprehendi per ſpecies intelligibiles inferioris intellectus:* ſed ſpecies intellectus Angeli ſuperioris ſunt univerſaliores, quàm ſpecies intellectus inferioris, ut probatum eſt; ergo &c. Deinde: ſi poſſet eas comprehendere Angelus inferior, vel id poſſet unicâ ſpecie, & unico actu; & ſic ſpecies Angeli ſuperioris non eſſent univerſaliores, ſed æquè univerſales cum ſpeciebus Angeli inferioris, contra ſuperiùs ſtatuta: vel id poſſet pluribus ſpeciebus, & actibus cognoſcendo id, quod a ſuperiori unicâ ſpecie, & actu repræſentatur, & cognoſcitur: ſed hoc eſſet cognoſcere totum Angelum ſuperiorem ſigillatim, & ſucceſſivè, non ſimul, & proindè non comprehendere; ſicut nec vas diceretur comprehendere liquorem, ſi tantùm ſucceſſivè, & per partes, & non ſimul poſſet totum continere.

Major verò probatur. Tum quia (ut multi ex Adverſariis dicunt) ſpecies illæ ſunt proprietates radicaliter fluentes ab eſſentia Angeli ſuperioris. Tùm quia ſpecies illæ ſunt entia naturalia, Angelus autem, ſecundum Contrarios, comprehendere debet omne ens naturale. Tum quia ſpecies illæ, etſi non ſint proprietates, ſunt tamen Angelo connaturaliter debitæ; ergo ſi Angelus inferior comprehenderet ſubſtantiam ſuperioris, cùm deberet cognoſcere etiam quidquid ei eſt naturaliter debitum, ſpecies quoque ejus comprehendere deberet, nedùm ut poſſibiles, ſed ut de facto illi convenientes: ſicut ſi comprehendatur Cœlum, etiam motus ejus debet cognoſci, licèt ab extrinſeco motore ei adveniat, quia ad ejus naturalem perfectionem pertinet; qui comprehenderet potentiam materiæ, etiam animam rationalem cognoſcere deberet, eſto ſibi infundatur ab extra; & qui comprehenderet potentiam obedientialem, etiam ſupernaturalia dona, quorum eſt capax, cognoſceret quamvis hæc ab agente ſupernaturali in ea fiant. Videatur Jo. à S. Thoma *q.* 56. *diſp.* 22. *art.* 1.

XI. An verò accedente illuminatione Angeli ſuperioris poſſit inferior Angelus ipſum comprehendere; affirmat Jo. à S. Thoma laudatus, imperfectâ tamen comprehenſione, & ex parte rei cognitæ, itaut, ſtante tali illuminatione nihil Angeli ſuperioris lateat inferiorem, non tamen perfectâ; quia modus cognoſcendi Angeli inferioris nunquam adæquatur modo cognoſcendi ſuperioris. Docet enim D. Thomas 1. *p. q.* 106. *a.* 4. quòd ſuperiores Angeli illuminant inferiores; itaut eaſdem res, quas cognoſcunt ſuperiores, & inferiores cognoſcant, licèt ſuperiores eminentiùs: *Sicut unam, & eandem rem pleniùs intelligit Magiſter, quàm diſcipulus, qui ab eo addiſcit.* Hæc probabilia ſunt.

§. III.

Reſpondetur rationibus pro ſententia affirmativa ſuperiùs adductis.

XII. Etſi probabilem judicaverimus opinionem affirmantem, Angelum inferiorem comprehendere ſuperiorem; tamen quia negativam probabiliorem judicavimus, ideò rationibus pro affirmativa adductis reſpondendum eſt.

Ad primum ergo teſtimonium D. Th. ex 2. *Contrag. cap.* 98. allatum; dico primò. Nimis probare, ſi exponatur de comprehenſione rigoroſa. Seque-

Digitized by Google

tur enim, Angelum comprehendere etiam ſupernaturalia, imò Deum ipſum; cùm totum ens complectatur etiam ſupernaturalia, & Deum ipſum. Sequetur etiam, quòd Angelus inferior comprehendat ſpeciem Angeli ſuperioris, nam iſta ens eſt & quidem naturale; quod quidem D. Thomas negat, nec Adverſarii audent fateri. Unde

XIII. Dico ſecundò, quòd ſicut ipſa verba D. Thomæ reſtringunt ad ſolum ens naturale, nec etiam ad omne; ita nos reſtringere poſſumus ad ſolum ens naturale ſibi inferius; quia ſecundum D. Thom. *q. 16. de malo* citatum, per ſpecies inferiores non comprehenduntur ſpecies univerſaliores ſuperioris intellectus.

Verior tamen reſponſio eſt, D. Thomam locis citatis comprehenſionem non ſumere ſtrictè pro cognitione adæquante, & circumſcribente rem cognitam, ſed pro cognitione aſſecutiva, & apprehenſiva quidditativè rei. Intentum enim Sancti Doctoris ibi eſt oſtendere, Angelum cùm ſuo intellectu ambiat totum ens, & omnes differentias entis comprehendere, ideſt complecti, & ſeſe extendere etiam ad ſubſtantias materiales.

XIV. Ad ſecundùm teſtimonium dico, S. Thomam ſolùm velle, Angelum inferiorem de rebus naturalibus non illuminari à ſuperiori nunc, & per traditionem luminis; non verò non fuiſſe illuminatum ab initio conditionis, & confortatione luminis. Oppoſitum enim docet 1. *p. q.* 106. *a.* 1. *ad* 2. ubi ait: *Unus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ; ſed confortando lumen naturale ipſius, & manifeſtando eis veritatem de his, quæ pertinent ad ſtatum naturæ, gratiæ, & gloriæ.* Et in 2. diſt. 9. q. 1. art. 7. ad 4. *Si Angeli* (inquit) *haberent naturalia tantùm, adhuc lumen unius excederet lumen alterius; & ita poſſet eſſe aliqua illuminatio, & perfectio, ſed non completè.*

XV. Ad primam rationem, do, Angelum inferiorem cognoſcere omnia, quæ ſunt in Superiori, ſed juxta modum inferioris, & conſequenter cum aliqua confuſione, potentialitate, & inadæquatione ad Angelum ſuperiorem, & proinde non verà comprehenſione, quæ requirit adæquationem cognoſcentis ad modum rei cognitę. Et ſi autem comprehendat ſpeciem ſibi congenitam, quam habet de Angelo ſuperiori, adhuc tamen eum non comprehendit; quia, ut docet D. Thom. *q.* 16. *de malo* ſupra citatâ, per ſpecies intelligibiles inferioris intellectus, non poſſunt comprehendi ſpecies intellectus ſuperioris, quia univerſaliores, & modo elevatiori repræſentantes. Neque eſſet ſimile de cognitione attingente omnia, quæ in Deo ſunt, ſive formaliter, ſive virtualiter, aut de ſpecie repræſentativa Dei in ſe; quia, ut probatum eſt in Tractatu de Viſione Dei, tàm cognitio illa, quàm ſpecies, ſi darentur, eſſent infinitæ ſicut, Deus; ideòque ei adæquarentur, non ſolum ex parte rei cognitæ, & repræſentatæ, ſed etiam ex modo cognoſcendi, & repræſentandi: non enim ſtat, cognitionem, & ſpeciem eſſe ſimpliciter infinitas in genere repræſentativo, & intelligibili, & eſſe in genere entitativo finitas, & creatas; benè autem ſtat, cognitionem, & ſpeciem angelicam repræſentare rem ſuperiorem, & eam quoad omnia attingere, & adhuc modo inferiori, & eam non adæquante.

XVI. Ad ſecundam dico, convenientiam in gradu, ſi ſtet inæqualitas in ſpecie, non ſufficere ad cognitionem adæquatam tàm ex parte cogniti, quàm cognoſcentis, & proinde nec ad veram comprehenſionem. Neque eſt ſimile de viſione beata, & de ſcientia infuſa animæ Chriſti: nam hæ, licèt in ſua ſpecie inferiores ſint formaliter, radicaliter tamen ratione gratiæ habitualis, in qua radicantur æqualitatem habent, nedùm in ordine, ſed in ſpecie. At cognitio, & ſpecies Angeli inferioris, utpotè proportionatæ naturæ

turæ ipſius, quæ in ſpecie inferiori eſt, inadæquatæ ſunt Angelo ſuperiori tàm formaliter, quàm radicaliter; ideòque nequeunt parere veram Angeli ſuperioris comprehenſionem. Ponderet iſta æquus Lector, & cuicumque ex præfatis opinionibus ſe ſe addixerit, probabiliter in via D. Thomæ loquetur.

DUBIUM II.

An Angelus naturaliter cognoſcere poſſit futura contingentia, ſeu libera?

§. I.

Futurorum varia genera.

I. Futura, teſte D. Thom. 1. p. *q.* 57. *a.* 3. & *Q.* 8. *de Verit. a.* 12. & alibi, cognoſci poſſunt, vel in ſeipſis, & ut cognoſcenti præſentia; vel in ſuis cauſis. Quia verò hoc modo unumquodque cognoſcitur in aliquo, quo in eo eſt, & aliqua ſunt, quæ habent eſſe determinatum in ſuis cauſis, ut craſtinus ortus Solis; ideò hæc à cognoſcente cauſam, ut determinatè futura certò cognoſcuntur. Et de his non eſt quæſtio.

Alia verò ſunt, quæ eſto in ſuis cauſis non ſint determinata, ut aliter evenire non poſſint, tamen eorum cauſæ magis ſe habent ad unum, quàm ad alterum; unde licèt non ſemper, plerumque tamen ex ſuis cauſis proveniunt: & iſta eſto per certitudinem cognoſci non poſſint, cognoſci tamen poſſunt per conjecturam; ſicut Medicus præcognoſcit ſanitatem infirmi: *Et iſte modus* (inquit S. Thomas loco ex 1. p. citato) *cognoſcendi futura adeſt Angelis, & tantò magis quàm nobis, quantò magis rerum cauſas, & univerſaliùs, & perfectiùs cognoſcunt: ſicut Medici, qui acutiùs vident cauſas, meliùs de futuro ſtatu ægritudinis prognoſticantur.*

II. *Quidam autem effectus* (loquitur S. Doct. Q. 8. de Verit. a. 12. citato) *futuri ſunt, quorum cauſa indifferenter ſe habent ad utrumque; hæc autem vocantur contingentia ad utrumlibet, ut ſunt illa præcipuè quæ pendent ex libero arbitrio. Sed quia ex cauſa ad utrumlibet, cùm ſit quaſi in potentia, non progreditur aliquis effectus, niſi per aliquam cauſam determinetur magis ad unum, quàm ad aliud... ideò hujuſmodi effectus, in cauſis quidem ad utrumlibet nullo modo cognoſci poſſunt per ſe acceptis; ſed ſi adjungantur cauſa illæ, quæ cauſas ad utrumlibet inclinant magis ad unum, quàm ad aliud, poteſt aliqua certitudo conjecturalis de effectibus prædictis haberi; ſicut de his, quæ ex libero arbitrio dependent, aliqua futura conjicimus ex conſuetudinibus, & complexionibus hominum.* Subdit tamen S. Doct. *quod hujuſmodi effectus, qualeſcumque ſint eorum cauſæ proximæ, tamen in cauſa prima omnes ſunt determinati, quæ ſuâ præſentiâ omnia intuetur, & ſuâ providentiâ omnibus modum imponit.* Hinc deducitur, quòd Angeli Sancti, qui divinam eſſentiam intuentur, in ea certò cognoſcunt futura contingentia etiam libera plus, minuſque, ſecundùm quòd plus, minùs eis revelantur. Unde patet, cognitione ſupernaturali Angelos futura contingentia cognoſcere poſſe; ſicut Chriſtus media ſcientia ſupernaturali infuſâ, & plures Sancti, & Prophetæ media revelatione, ſeu dono prophetiæ plura futura noverunt.

III. Loquendo autem de cauſis naturalibus, notat S. Doct. ibi, quòd aliquis effectus dici poteſt contingens comparatè ad unam cauſam tantùm, qui tamen rélatè ad collectionem plurium neceſſarius eſt: *Aliquid* (inquit) *eſt contingens reſpectu cauſæ unius, quod reſpectu concurſus plurium cauſarum eſt neceſſarium.* Unde infert, quòd Angeli, cùm omnes cauſas naturales cognoſcant, *quædam, quæ contingentia videntur, aliquibus cauſis eorum penſatis, Angeli ut neceſſaria cognoſcunt, dùm omnes cauſas ipſorum cognoſcunt.*

IV.

Digitized by Google

IV. In ſeipſis verò futura per eam ſolam cognitionem cognoſci poſſunt, quæ ea attingit, ut ſunt in æternitate præſentia: *& ſic* (ait D. Th. citatus ex 1. p. q. 57. a. 3.) *ſolius Dei eſt futura cognoſcere, non ſolùm quæ ex neceſſitate proveniunt, vel ut in pluribus, ſed etiam caſualia, & fortuita; quia Deus videt omnia in ſua æternitate, quæ cùm ſit ſimplex, toti tempori adeſt, & ipſum concludit.*

V. Præſens ergo procedit quæſtio de cognitione futurorum in ſuis cauſis, & quidem proximis;& de futuris quę contingenter evenient, non ſolum relatè ad unam cauſam, ſed relatè ad omnes cauſas proximas; quia omnes indifferentes ſunt ad illorum eventum: an Angelus vi ſua naturali ejuſmodi futura præſcire queat præſcientiâ nedùm conjecturali, ſed certa.

§. II.

Reſolutio negans.

VI. Dico. Angelus ſuâ naturali perſpicacitate certò prænoſſe nequit futura omnino libera, & contingentia. Aſſertio hæc, vel de fide eſt, vel valdè fidei proxima. Nam Scripturis conſtat, vim futura prænoſcendi eſſe characterem proprium divinitatis. Iſaiæ 41. v. 23. *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos*, & c. 46. v. 9. & 10. *Recordamini* (inquit Deus) *prioris ſeculi, quoniam ego ſum Deus, & non eſt ultra Deus, nec eſt ſimilis mei: annuncians ab exordio noviſſimum, & ab initio quę necdum facta ſunt.* Et Daniel c. 2. poſtquam ait, nec Magos, nec Ariolos, nec Aruſpices poſſe indicare, quid futurorum portenderet ſomnium à Rege Babylonico viſum, ſubjicit v. 28. *ſed eſt Deus in Cœlo revelans myſteria, qui indicavit tibi Rex Nabuchodonoſor, quę ventura ſunt in noviſſimis temporibus.*

VII. Hinc Chryſoſtomus homil. 18. in Joan. *prædicatio* (inquit) *futurorum immortalis Dei dumtaxat opus eſt: quod ſi quando Dæmones aliquid prædixerunt, ſtultum, & incautum vulgus deceperunt; eorum namque vaticinia paſſim falſa deprehenduntur.*

D. Hieronymus in c. 2. Danielis nuper laudatum, inducit Danielem ſic dicentem Regi: *fruſtra igitur ab hominibus quæris in terra, quod Deus ſolus novit in Cœlo.*

Et S. Auguſtinus *lib. 15. de Civit. Dei c. 25.* docet, Deum non ſicut homines facti ſui pænitere, *cujus* eſt de omnibus *omnino rebus tam fixa ſententia, quàm certa præſcientia, & lib. 9.* c.22. docet, Dæmones in ſuis prædictionibus ſæpè falli, bonos verò Angelos nunquam; quia illi ex temporalibus, & mutabilibus diſpoſitionibus mutabilia conjectant; iſti verò in æternis atque incommutabilibus Dei legibus, quæ ſunt mutabilia prævident.

VIII. Ex his ergo omnibus formatur ratio. Certa futurorum contingentium cognitio haberi non poteſt, niſi, aut videantur in ſeipſis, aut cognoſcantur in cauſa jam determinatâ: ſed Angeli, ſive mali, ſive boni, per naturalem cognitionem non poſſunt futura contingentia videre in ſeipſis, quia hoc proprium ſolius Dei eſt, qui ea videt in æternitate ſibi præſentia; neque in cauſa eorum determinatâ, quia cauſa contingens, & libera, ſuaptè naturâ indifferens eſt ad utrumlibet; nec ex ea ſibi relictâ potiùs poteſt prędici unum quàm oppoſitum,quia in indifferenti ut tali, non magis unum, quàm aliud determinatè continetur: cauſam autem ſuperiorem cauſas liberas, & contingentes determinantem, naturali vi penetrare non poſſunt; ergo &c. Unde concludit S. Tho. Q. 8. de Verit. a. 12. *ſi autem divinam providentiam comprehenderent* (ut Angelis bonis Deum videntibus contingit) *omnes futuros eventus certitudinaliter ſcirent: ſed quia quidam perfectiùs aliis divinam providentiam intuentur, quamvis nullus eorum perfectè comprehendat; ideò*

Digitized by Google

ideò quidam in Verbo plura futura etiam de contingetibus ad utrumlibet ſciunt.

§. III.

Contraria ſolvuntur.

IX. PRimò objicitur. Angelus ab initio habuit ſpecies repræſentativas omnium, quæ quocumque tempore quomodolibet futura ſunt; ut enim ſupra diximus, non cognoſcit per ſpecies ſucceſſivè à rebus acceptas, ſed ſimul à Deo infuſas, & quaſi innatas, & univerſales: ſed Angelus poteſt certò cognoſcere omnia, quæ actu illi repræſentantur per ſpecies, quæ cùm ſint univerſales æqualiter ſe habent ad præteritum, & futurum; ergo &c.

X. Confirmatur primò. Præſens, & præteritum ſunt differentiæ temporis: ſed intellectus Angelicus eſt ſupra omne tempus, cum menſuretur ævo; ergo &c.

XI. Confirmatur ſecundò. Si Angelus non cognoſcit futura contingentia dùm ſunt futura, cognoſcit autem ea dùm fiunt præſentia; ergo reducitur de potentia in actum: ſed non eſt intelligibile à quo reducatur; non ab objecto, quia jam ſui ſpeciem habet; nil autem aliud eſt, quod inter creata angelicum intellectum movere poſſit de potentia ad actum; ergo &c.

XII. Confirmatur tertiò. Futurum antequam exiſtat in re, jam exiſtit intelligibiliter in ſpecie angelica; ergo Angelus cognoſcens perfectè ſuam ſpeciem, cognoſcit futurum intelligibiliter præcontentum in ea.

XIII. Reſpondetur ad argumentum, diſt. maj. actu repræſententativas per modum quidditatis poſſibilis, co. maj. quoad exercitium exiſtendi in tempore determinato, nego maj. Species ergo angelica ab initio actu repræſentat entitatem futuri, ejus quoque exiſtentiam, ac durationem, ſed per modum cujuſdam quiditatis præcontentæ in virtute ſuæ cauſæ; non quoad exercitium exiſtendi, quod habiturum eſt in hoc potiùs tempore, quàm in alio: unde ſolùm infertur, quòd res futura, antequam ſit, cognoſcatur ab Angelo, ut poſſibilis, & in actu ſignato, non ut determinatè extitura. *Licèt* enim (ait D. Tho. 1. p. q. 57. a. 3. ad 3.) *ſpecies quæ ſunt in intellectu Angeli quantum eſt de ſe, æqualiter ſe habeant ad præſentia, præterita, & futura: tamen præſentia, præterita, & futura non æqualiter ſe habent ad rationes* (al. ad ſpecies) *quia ea, quæ præſentia ſunt, habent naturam, per quam aſſimilantur ſpeciebus, quæ ſunt in mente Angeli, & ſic per eam cognoſci poſſunt: ſed quæ futura ſunt, nondum habent naturam, per quam illis aſſimilentur.* Unde *per eas cognoſci non poſſunt.* Eodem modo reſpondet Q. 8. *de Verit. a. 12. ad 1.*

Quare, dùm futura fiunt præſentia, & ſic incipiunt repræſentari per ſpeciem angelicam, hoc non contingit, quia repræſentationi ipſius ſpeciei aliquid de novo accedat; ſed quia de novo accedit aliquid rei repræſentatæ, nempè exiſtentia, tanquam conditio requiſita, ut ſpeciei angelicæ actu aſſimiletur: eo modo, quo relatio paternitatis, quæ ſecundo filio nondùm nato, ad eum non terminabatur; eo nato, abſque ſui mutatione ad eum incipit terminari.

XIV. Ad primam confirm. diſt. min. ſupra omne tempus, quo menſurantur corporales motus, conc. min. ſupra omne tempus, ideſt ſupra omnem ſucceſſionem operationum intellectualium, nego min. Reſponſio eſt D. Th. 1. p. q. 57. a. 3. ad 2. dicentis. *Licèt intellectus Angeli ſit ſupra tempus, quo menſurantur corporales motus; eſt tamen in intellectu Angeli tempus ſecundùm ſucceſſionem intelligibilium conceptionum ... & ita cùm ſit ſucceſſio in intellectu Angeli, non omnia, quæ aguntur per totum tempus ſunt ei præſentia. Non ex hoc* (ait Q. 8. de Verit. a. 12. ad 8.) *quod ipſe aliter ſe habeat ad ea, ſed ex hoc quòd illa aliter ſe habent ad eum*

eum. Quia nimirùm ad hoc Univerſum pertinere incipiunt, ad quod antea non pertinebant.

Hinc diſcas, quare Angeli cognitio pertingat ad ea, quæ ſunt diſtantia ſecundùm locum, non autem ad ea, quæ ſunt diſtantia ſecundùm tempus. Nam, ut ait D. Thom. citatus 1. p. q. 57. a. 3. ad 4. *Diſtantia ſecundùm locum ſunt in rerum natura, & participant aliquam ſpeciem, cujus ſimilitudo eſt in Angelo, quod non eſt verum de futuris*. Eadem etiam ratione quamvis Angelus non accipiat ſpecies à rebus, ſicut nos, ſed habeat ſpecies à Deo acceptas, adhuc non poteſt futura contingentia cognoſcere; quia hoc non contingit defectu ſimilitudinis in Angelo, ſed defectu ſimilitudinis futurorum ad ſimilitudines in Angelo exiſtentes.

XV. Ad ſecundam confirmat, nego conſequentiam. Ut enim ait D. Tho. *Qu.* 16. *de Malo a.* 7. *ad* 13. agens de Dæmonibus: *hoc, quod Dæmon non cognoſcit id, quod eſt futurum, non provenit ex eo, quòd intellectus ſuus ſit in potentia: ſed eò quòd ſingulare futurum nondum participat formam ſpeciei, cujus ſimilitudo actu praexiſtit in intellectu Dæmonis*. Ad id verò, quod additur, reſpondeo cùm eodem S. Doctore Qu. 8. de Verit. a. 12. ad 4. *Quod duplex eſt potentia: una naturalis, quæ poteſt per agens naturale in actum reduci; & talis potentia eſt in Angelis totaliter completa per formas innatas ... Eſt autem alia potentia obedientiæ, ſecundùm quam in creatura fieri poteſt, quidquid in ea fieri voluerit Creator ... Talis autem potentia intellectus angelici non eſt totaliter completa per formas innatas;* & ſecundùm hanc eſt à Deo complebilis, ſi ei voluerit futura revelare. In quo apparet differentia inter noſtrum, & angelicum intellectum; quòd noſter nullam habet potentiam naturalem ad futura cognoſcenda; angelicus autem habet, eſto non totaliter completam quoad exercitium per formas innatas.

XVI. Ad tertiam confirm. dico; quòd futura antequam exiſtant exiſtunt quidem intentionaliter in ſpecie angelica (in qua etiam exiſtit eorum exiſtentia) at per modum ſimplicis quidditatis, in actu ſignato, non ut exercitè in tempore determinato extitura; cùm nondum exercitè participent formam ſpeciei, cujus ſimilitudo actu præexiſtit in intellectu angelico, ut cum D. Thom. dicebamus.

XVII. Sed inſtabis. Angelus ſcit evidenter, ſe non habere ſpecies naturales niſi earum rerum, quæ aliquando erunt; ergo ſi cognoſcit Antichriſtum ſecundùm eſſe intentionale, cognoſcit certò, quòd Antichriſtus, qui nunc habet tantùm eſſe intentionale, habebit aliquando eſſe verum, & reale extra cauſas; & formabit hoc judicium: *Antichriſtus erit*.

XVIII. Reſpondeo, neg. maj. Angelus enim ſcit evidenter, ſe habere ſpecies omnium puta individuorum contentorum in aliqua ſpecie, etiam poſſibilium. Quare ex quo in ſpecie, quam habet de natura humana, cognoſcat etiam Antichriſtum, non ſequitur, quòd cognoſcat, eum eſſe determinatè futurum, ſed eum eſſe poſſibilem, niſi aliundè ejus futuritio ei reveletur.

XIX. Secundò objicitur. Dæmones multa futura contingentia libera, vel per ſe, vel per Magos, & Aruſpices prænunciarunt, ut Regnorum mutationes, bellorum exitus; quæ, ut prænunciata ſunt, evenerunt: ſed in Dæmonibus nullum lumen ſupernaturale invenitur, ſed ſola ſcientia naturalis; ergo per hanc cognoſcunt &c.

XX. De Reſponſis, & Oraculis Dæmonum locuti ſumus *tom.* 2. *Tract. de Deo q.* 2. *de Idololatria. Dub.* 3. §. 3. *à num.* 34. Specialiter verò de cognitione futurorum agit D. Thom. Q. 16. *de Malo art.* 7.

Reſpondeo ergo cum eodem ibi ad 2. quòd *Dæmones de futuris quandoque vera prænuntiant, & quandoque falſa. Vera autem prænuntiant priùs cognoſcentes*

Digitized by Google

tes ea, aut ex revelatione bonorum ſpirituum à Deo derivatâ; aut in cauſis extrinſecis, quarum virtutem cognoſcunt; aut in proprio propoſito, puta cùm prænuntiant ea, quæ ipſi ſunt facturi. Falſa autem prænunciant; quandoque quidem, volentes hominem fallere, quia ut dicitur Joann. 8. Diabolus eſt mendax, & Pater eius mendacium. *Quandoque verò eò quod & ipſi falluntur, utpotè cùm divinitùs prohibentur facere, quod proponebant: vel cùm divinâ virtute aliquid contingit præter curſum naturalium cauſarum, ut Auguſtinus dicit in lib. de Divinat. Dæmonum*. Ita D. Th. Vide S. Auguſtinum loco citato c. 6.

XXI. Porrò, rationem, quare Dæmones in ſuis prædictionibus ſæpè fallantur, boni verò Angeli non, ſuperiùs indicavimus ex S. Auguſt. *lib.* 9. *de Civit. Dei c.* 22. Angeli enim non falluntur, quia futurorum principales, & immobiles cauſas in Verbo Dei conſpiciunt; Dæmones autem non æternas temporum cauſas in Dei ſapientia contemplantur, ſed ex quibuſdam ſignis nobis occultis, ipſis tamen majore experientiâ notis, futura conjiciunt; quæ cum fallibilia ſint, certam cognitionem parere nequeunt, ſed fallibilem Unde Dæmones ſæpè falluntur; boni verò Angeli nunquam.

XXII. Videndus quoque eſt S. Thomas 3. *Contrag. c.* 154. ubi exponens modum, quo Dæmones omnibus ſignis veræ fidei abutuntur, ut ejus argumentum debilitent; *ita etiam* (inquit) *abutuntur prophetica prænuntiatione: non quidem verè prophetando, ſed prænunciando aliqua ſecundùm ordinem cauſarum homini occultarum, ut videantur futura præcognoſcere in ſeipſis: & licèt ex cauſis naturalibus effectus contingentes proveniant, prædicti tamen ſpiritus ſubtilitate intellectus ſui magis poſſunt cognoſcere, quàm homines: quia cognoſcunt, quando, & qualiter effectus naturalium cauſarum impediri poſſunt; & ideò in prænunciando futura mirabiliores, & veraciores apparent, quàm homines, quantumvis ſcientes*. Cùm autem inter cauſas à cognitione noſtra remotas, ſupremæ ſint vires Cœleſtium corporum, & has maximè cognoſcant, ſubdit: *poſſunt prædicti ſpiritus multò magis, quàm aliquis Aſtrologus prænunciare ventos, & tempeſtates futuras, corruptiones aeris &c. Et licèt Cœleſtia corpora ſuper partem intellectivam animæ directè non poſſint imprimere; plurimi tamen ſequuntur impetus paſſionum, & inclinationes corporales, in quas efficaciam habere cœleſtia corpora manifeſtum eſt ... & inde eſt, quod etiam de actibus hominum multa prædicere poſſunt, licèt quandoque & ipſi in prænunciando deficiant propter arbitrii libertatem*.

XXIII. Hoc benè norunt callidi deceptores: & ideò prænuntiationes ſuas verbis ambiguis, & æquivocis involvere conſueverunt; ut qualiſcumque fuerit eventus, verum prædixiſſe videantur. Unde Tertullianus Apologetico c. 22. ait: *In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, ſciunt Cræſi, ſciunt Pyrrhi*. Cræſus enim Apollinem conſulens, num Perſas victurus eſſet, audivit ſic reſpondentem:

Intrepidus ſi Cræſus Halym tranſmiſerit amnem,
Imperium perdet magnum, regnumque ſuperbum.

Ubi Cræſus illo vocabulo ambiguo *perdet* deceptus, putans, ſe Perſarum Regnum occupaturum, amiſit Regnum Lydiæ proprium. Pyrrhus autem hoc ejuſdem Apollinis reſponſo deceptus:

Ajo te Æacida Romanos vincere poſſe.

Exiſtimavit, ſe victurum Romanos, cùm à Romanis vincendus erat. De his loquitur Euſebius *lib.* 5. *Præparat. Evang. c.* 10. & D. *Auguſt. de Civit. Dei l.* 3. *c.* 17. & *l.* 4. *c.* 11. & D. Hieronymus in *c.* 41. *Iſaiæ* Hæc ad eruditionem dicta ſint.

XXIV. Tertiò objicitur D. Auguſt. dicens lib. 12. *de Gen. ad litt. c.* 13. Animam à ſenſibus alienatam futura prævidere.

Reſpondeo primò, D. Auguſtinum ibi

in aliorum opinione loqui, non ſua; ait enim: *Nonnulli quidem volunt, animam humanam habere vim quandam divinationis in ſeipſa.*

Reſpondeo ſecundò, animam alienatam à ſenſibus contingere poſſe, ut aliquod futurum prædicat, vel impreſſione cauſarum ſuperiorum ſpiritualium, vel corporalium. Si ſpiritualium: vel bonorum Angelorum, vel Dæmonum. Si ex impreſſione bonorum Angelorum, vera ſemper prædicit; ſi verò ex impreſſione Dæmonum, quandoque vera, quandoque falſa. Si verò ex impreſſione corporum ſuperiorum, nempè Cœleſtium, prædicere poteſt illa futura, quorum corpora Cœleſtia ſunt cauſæ; non tamen certò, quia ab aliis cauſis ignotis impediri poſſunt, & multò magis à Deo. Videatur D. Thom. 1. *p. q.* 86. *a.* 4. *ad* 2.

XXV. Quartò objicitur. Angelus per vires ſuæ naturæ omnem veritatem naturalem cognoſcit: ſed hæc eſt veritas naturalis: *hoc eſt futurum, vel non futurum*; ergo vi hujus disjunctivæ & contradictionis naturaliter cognoſcet, quidnam ſit determinatè futurum, vel non futurum.

Reſpondeo, neg. conſ. Ut enim de Scientia Dei dictum eſt, ex vi disjunctivæ, ſeu contradictionis, non ſequitur cognoſci, quid determinatè futurum ſit, quid non futurum; ſed unum ex illis, quodcumque illud ſit, ita eſſe ſicut enunciatur: ad veritatem enim disjunctivæ non requiritur, quòd ex partibus eam componentibus una ſit determinatè vera, altera falſa; ſed quòd nequeant eſſe ambæ veræ, vel ambæ falſæ, & ſolùm quòd una exiſtente verâ, alia ſit falſa. Veritas ergo determinata unius ex partibus componentibus disjunctivam de futuro oritur ex determinatione cauſarum, præſertim Primæ. Quare ut Angelus certò cognoſceret, aliquid contingens potiùs eſſe futurum, quàm non futurum, oporteret, ut cognoſceret cauſas eſſe determinatas ad dandum ei eſſe; quod naturæ viribus non poſſe ſaltem certò, jam oſtenſum eſt. Addo, quòd cùm veritas disjunctivæ ſit neceſſaria, & cognoſcatur nedùm ab Angelo, ſed & ab homine, ſi ex veritate disjunctivæ inferretur veritas unius futuri determinatè, illud eſſet futurum, non contingenter, ſed neceſſariò; & ut tale cognoſceretur, nedùm ab Angelo, ſed ab homine etiam rudiori, ſicut ab eo veritas disjunctivæ cognoſcitur.

XXVI. Ex dictis oritur motivum dubitandi, an Angelus cognoſcat naturaliter præterita ſaltem omnia. Dico omnia, quia non eſt dubium, quin Angeli, ea, quæ aliquando viderunt præſentia, poſtea cognoſcant, & recordentur, dùm ſunt præterita. Nec pariter dubium eſt, quin naturaliter cognoſcere poſſint ea præterita, quæ ex veſtigio ſuæ exiſtentiæ ab ipſis relicto, conſtare poteſt eſſe præterita. Quæſtio igitur procedit, an Angeli cognoſcant præterita libera, quorum non perceperunt præſentiam, & quæ nullum, ſui reliquere veſtigium.

XXVII. Reſpondeo negativè cum communi Theologorum contra Vazquez. Ratio autem eſt: quia præterita priùs non cognita, & quæ ſui veſtigium non reliquerunt, ita ſe habent reſpectu intellectus angelici, ac ſi nunquam fuiſſent; ergo eodem modo de illis cogitandum eſt, ac de futuris contingentibus, dùm futura ſunt: unde ſicut hæc negavimus, certò ab Angelo naturaliter cognoſci, ita & illa. Si enim Angelus ea non cognovit antequam eſſent, nec cognovit dùm eſſent, quomodo cognoſcet poſtquam eſſe deſierunt? Hinc Vazquez ipſe hac veritate convictus Diſp. 3. c. 12. n 68. (ut refert Gonerus) aſſerit, quòd non poteſt unus Angelus præteritam alterius Angeli cogitationem cognoſcere per memoriam, niſi priùs eam præſentem cognoverit.

DU-

DUBIUM III.

An Angelus naturaliter cognoſcere queat ſecreta cordis alterius, ſive hominis, ſive Angeli?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. SEcretum cordis eſt actus liber voluntatis creatæ purè internus, & nullo modo, ſive per locutionem, ſive per aliquod ſignum exterius manifeſtatus; licèt minus principaliter veniant etiam cogitationes mentis, & actus ſenſitivi appetitus, ut tamen pendent à libera applicatione voluntatis. Si enim loquamur de actibus intellectus, & etiam voluntatis, qui neceſſarii ſunt, ut cognitio, & amor, quo unus Angelus cognoſcit, & amat ſeipſum, & Deum auctorem naturalem; ſic ab alio Angelo naturaliter cognoſcuntur: ſimiliter loquendo de actibus liberis non dubitamus, quin ab uno Angelo cognoſci poſſint; ſi Angelus, cujus ſunt actus, illos ei manifeſtet, ſive per locutionem, ſive per aliquod ſignum exterius cum actu interno infallibiliter connexum. Vel ſi Deus eos illi revelet, vel mediâ ſcientiâ infuſâ ſupernaturali, quo pacto cordium ſecreta cognoſcebantur à Chriſto. Quare dubium procedit de ſecretis cordis merè internis, nullo modo manifeſtatis; & de cognitione naturali, ſeclusâ quâcumque divinâ revelatione.

II. Sententia negativa communis eſt inter Theologos cum D. Thoma 1. *p. qu.* 57. *a.* 4 *Qu.* 8. *de Verit. art.* 13. & *Qu.* 16. *de Malo a.* 8. Attamen ab iſtorum choro de more reſilit Durandus *in* 2. *diſt.* 8. *qu.* 5. docens, Angelos poſſe naturaliter cognoſcere cogitationes, & affectus liberos mentis præſentes, non tamen futuros. Durando ex parte adhærent Henricus, & Hervæus, exiſtimantes, Angelos poſſe naturaliter cognoſcere cogitationes cordium quantùm ad ſubſtantiam, eſto non quoad modum, & ordinem ad tale objectum, & talem finem in particulari.

III. Dico. Angelus ſuâ naturali virtute nequit certò cognoſcere ſecreta cordis, ſeu cogitationes liberas alterius, ſive Angeli, ſive hominis; niſi ipſi, vel à Deo revelentur, vel ab ipſo cogitante manifeſtentur. Dixi *certò*: nam ut ait D. Thomas Qu. 16. de Malo art. 8. *ſicut Auguſtinus dicit lib.* 12. *de Gen. ad litt. & in lib. de Divinat. Dæmonum cap.* 5. *compertum eſt certis indiciis, quòd Dæmones cogitationes hominum aliqualiter cognoſcunt: quas quidem contingit dupliciter cognoſcere. Uno modo ſecundùm quòd videntur in ſeipſis, ſicut aliquis homo proprias cogitationes cognoſcit. Alio modo per aliqua corporalia ſigna, quod maximè manifeſtum eſt, cùm ex interioribus cogitationibus homo ducitur in aliquam paſſionem. Quæ ſi fuerit vehemens, etiam in exteriori apparentia habet aliquod indicium, per quod poteſt à groſſioribus deprehendi; ſicut timentes palleſcunt, verecundati autem eruboſcunt, ut Philoſophus dicit in* 4. *Ethic. Sed etiamſi ſit levior paſſio deprehendi poteſt à ſubtilibus Medicis per cordis immutationem, quæ ex pulſu percipitur. Hujuſmodi autem exteriora, & interiora ſigna corporalia, multò magis Dæmon cognoſcere poteſt, quàm quicumque homo. Et ideò certum eſt quòd Dæmones aliquas cogitationes hominum cognoſcere poſſunt ſecundùm modum prædictum. Unde Auguſtinus dicit in lib. de Divinat. Dæmonum* (cap. 5. citato) *quod* aliquando *Dæmones* hominum diſpoſitiones non ſolùm voce prolatas, verùm etiam cogitatione conceptas, cùm ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpore, totâ facilitate perdiſcunt.

IV. *Utrum autem per hunc modum poſſint eas videre in ſeipſis, Auguſtinus ſub dubio relinquit in lib.* 2. *Retract. c.*30.

dicens: Pervenire iſta ad notitiam Dæmonum, per nonnulla experimenta compertum eſt; ſed utrum ſigna quædam dentur ex corpore cogitantium, illis ſenſibilia, nos autem latentia; an aliâ vi eas ſpirituali cognoſcant, aut difficillimè poteſt ab hominibus, aut omnino non poteſt inveniri. Ita apud D. Tho. S. Auguſt. qui hanc quæſtionem ceu ſolutu difficillimam in medio videtur relinquere.

V. Attamen ſententiam noſtram negantem videtur Scriptura apertè exprimere. Tùm 2. Paralip. 6. v. 30. ubi Salomon fundens ad Deum preces: *Redde* (inquit) *unicuique ſecundùm vias ſuas, quas noſti eum habere in corde ſuo* [*tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum*] Tùm Jerem. 17. v. 9. & 10. *Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.* Super quæ D. Hieronymus: *Hinc diſcimus* (inquit) *quòd nullus ſcit cogitationes hominum, niſi ſolus Deus.* Quapropter *Danielis* 2. Nabuchodonoſori poſtulanti ab Ariolis, Magis, & Maleficis, & Chaldæis ut ſibi indicarent quid ei in ſomniis occurriſſet, reſponderunt v. 10. 11. *Non eſt homo ſuper terram, qui ſermonem tuum Rex poſſit implere: ſed neque Regum quiſquam magnus, & potens verbum hujuſmodi ſciſcitatur ab omni Ariolo, & Mago, & Chaldæo... Nec reperietur quiſquam, qui indicet illum in conſpectu Regis, exceptis Diis.* Cùm ergo Scriptura proprium ſolius Dei dicat, non ſolùm futura prænoſſe, ut ſupra vidimus; ſed etiam videre cogitationes cordis; loquitur de cogitationibus cordis nedum futuris, ut vult Durandus, ſed etiam præſentibus.

VI. Confirmo hoc. Quia de Chriſto dicitur Matth. 9. v. 4. *Cum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum*; Et Joann. 2. v. 25. *Opus ei non erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine, ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine*; arguunt ex hoc omnes, Chriſtum purum hominem non eſſe, ſed Deum. Unde Hieronymus in cap. 17. Ieremiæ: *Si autem* (inquit) *de Salvatore dicitur*: Videns autem cogitationes eorum Jeſus: *nulluſque poteſt videre cogitationes eorum, niſi ſolus Deus; ergo Chriſtus Deus eſt, qui ſcrutatur corda, & probat renes.* Cogitationes autem, quas in corde hominum Chriſtus videbat, non erant futuræ, ſed præſentes, ut ex contextu Evangelii apparet; ergo &c.

VII. Ratio autem D. Thomæ, tùm hâc *q.* 57. *a.* 4. tum aliis locis laudatis, eſt hæc. Actus liberi creati prorſùs interni, & occulti, ſicut in produci, ita & in cognoſci, tantùm ſubduntur Deo, & ſuppoſito illos elicienti; ergo nulla alia creatura eos naturaliter certò valet cognoſcere. Ant. prob. tùm ex Apoſtolo 1. Cor. 2. v. 11. *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* Tùm etiam: actus liberi dùm intra intellectum, & voluntatem ſunt, ei ſoli ſubduntur quoad produci, & cognoſci, qui habet dominium ſupra illos: ſed ſolus Deus, & homo, qui illos elicit, dominium habent ſupra illos, ut illos eliciat, vel non, ut illos manifeſtet, vel alteri celet; ergo &c. Cùm enim perfectum Dominium ſit jus rem ſuam ſibi retinendi, & ſolùm alteri tradendi, ſi placuerit; non ſtaret in voluntate plenum, perfectumque dominium ſuorum actuum, ſi ipsâ invitâ eſſet naturaliter aliis creaturis conſpicua ejus electio, ac deliberatio; nec eſſet ampliùs juris privati, ſed quaſi publici.

VIII. Roboratur ex iis, quæ docet D. Tho. *Qu.* 8. *de Verit. art.* 13. Angelus naturaliter ſolum cognoſcit ea, quæ pertinent ad ordinem Univerſi, vel cum eo connexionem habent: ſed actus interni liberi non pertinent ad ordinem Univerſi, nec cum eo connexionem habent; ergo &c. Maj. videtur certa: aliquis enim limes cognitioni naturali Angeli aſſignari debet, ne dicamus, eum cogno-

gno-

gnoſcere futura, imò & poſſibilia: hic autem limes Angeli, qui eſt inter Univerſi creaturas ſublimior, non melior eſſe poteſt, quàm totius Univerſi latitudo. Minor quoq; prob. Quæ pertinent ad Univerſi ordinem connexionem habent cum cauſa naturali, & præcipuè cum cauſis ſuperioribus, à quibus ordinavit Deus, ut cauſæ inferiores regerentur; ſed actus interni, & liberi nullam connexionem habent cum cauſis naturalibus Univerſi; voluntas enim in ſuis actibus liberis à ſolo Deo, & à ſuppoſito illos eliciente dependet; ergo &c. *Motus voluntatis alterius* (inquit D. Tho. citato loco) *non poteſt Angelo notus eſſe naturali cognitione: quia Angelus naturaliter cognoſcit per formas ſibi inditas, quæ ſunt ſimilitudines rerum in natura exiſtentium. Motus autem voluntatis non habet dependentiam, nec connexionem ad aliquam cauſam naturalem, ſed ſolùm ad cauſam divinam, quæ in voluntate ſola imprimere poteſt. Unde motus voluntatis, & cordis cogitatio non poteſt cognoſci in aliquibus ſimilitudinibus rerum naturalium, ſed ſolùm in eſſentia divina, quæ in voluntatem imprimit.*

§. II.

Proponuntur, & ſolvuntur contraria.

IX. Scotus, qui aſſerit cogitationes cordis eſſe Angelo occultas, non ex natura, ſed quia Deus denegat, præſertim Angelis malis, concurſum ſuum ad eas cognoſcendas, arguit primò ſic. Intellectus cujuſvis Angeli habet naturaliter quidquid requiritur, ut poſſit cognoſcere ſecreta cordis alterius: habet enim ſpeciem ea repræſentantem, cujus ſignum eſt, quia ſi ad eum dirigantur, novâ ſpecie non indiget: habet etiam virtutem ad ea cognoſcenda, ſunt enim ordinis naturalis, & conſequenter inter objecta ejus naturali virtuti proportionata.

X. Confirmatur. Cogitationes cordis ſunt objectum proportionatum reſpectu eas elicientis; ergo etiam reſpectu alterius Angeli eas non elicientis: quidquid enim intra ſphæram objecti proportionati unius Angeli continetur, intra ſphæram alterius claudi debet.

Urgetur. Angelus ſaltem ſuperior comprehendit ſubſtantiam, voluntatem, & habitus naturales Angeli inferioris; ergo cognoſcit omnes actus illius: nam qui comprehendit principium, cognoſcit quoque omnes actus, qui in illo ſunt; multò ergo magis actus, qui ſunt in homine.

XI. Reſpondeo, hoc argumentum inſtari poſſe contra Scotum. Nam Angelus habet quidquid requiritur ad cognoſcenda futura contingentia: habet enim ſpeciem eorum repræſentativam, habet virtutem cognoſcitivam eorum, ſunt objectum ei proportionatum; & tamen ea certò cognoſcere nequit, ut vidimus.

Diſtinguo igitur antecedens: habet in actu primo proximo, & expedito, nego ant. in actu primo remoto, & non expedito, conc. ant. Ut enim ſpecies ſit proximè expedita ad repræſentandum, debet res repræſentata ei aſſimilari, & virtuti cognoſcitivæ actu præſentari: ut autem res incipiant aſſimilari ſpeciei angelicæ, & virtuti ejus cognoſcitivæ fieri actu præſentes, debent pertinere ad ordinem naturalem Univerſi. Porrò cùm cogitationes cordis, quamdiù manent intra cogitantem, ſpectent quidem ad ordinem moralem, & liberum, non autem ad naturalem; cum nulla enim cauſa naturali connexionem habent, ſed cum ſolo cogitante, qui eas intra ſe tenet, nec manifeſtat: ideò nec ſpecies angelica poteſt eas actu repræſentare, nec virtus angelica eas actu attingere. Quòd ſi Angelus cogitans, eas ad illum dirigat, ſtatim ſpecies incipiet abſque nova ſui mutatione repræſentare in actu ſecundo; ſicut incipit repræſentare, quod futurum erat, ſi fiat actu exiſtens, ut Dubio præcedente dictum

Digitized by Google

dictum eſt. Quare dùm unus Angelus alteri tantùm loquitur, neſcit alius tertius, an, & quid loquatur, ſed ſolus ille, cui loquitur, quin infundat ei novam ſpeciem, vel ſpeciei ejus aliquid addatur; ſed quia ad eum dirigit ſuum conceptum, quâ directione incipit pertinere ad ipſum; ſicut pertineret ad tertium, ſi ad eum dirigeretur.

XII. Ad confirm. co. antec. nego conſequ. Ideò enim cogitatio cordis eſt objectum proportionatum Angelo cogitanti, quia eſt ſua, ab eo liberè exiens, & ad eum pertinens; quod non currit de alio Angelo. Eſt quidem intra ſphæram objecti proportionati ejus, quaſi materialiter, quia non eſt ens ſupernaturale; non eſt tamen intra ſphæram objecti proportionati ejus formaliter, & proximè; quia ad ipſum non pertinet, niſi à cogitante ad ipſum dirigatur, ſicut nec futura, niſi exiſtant.

XIII. Ad id, quod urgetur, diſt. conſ omnes actu indeterminatè, & in habitu, conc conſequ. determinatè, & in actu, nego conſ. Reſponſio eſt. D. Tho. tùm hàc Q. 57. *a.* 4. *ad* 2. ubi dicit, quòd eſto unus Angelus videat ſpecies alterius, non tamen videt, quomodo alius eiſdem *actu utatur conſiderando*. Tùm Q. 8. de Verit. a. 13. ad 3. ubi hæc habet: *non omnia actu cogitamus, quorum ſpecies apud nos habemus, cùm quandoque ſpecies ſint in nobis in habitu tantùm. Unde ex hoc, quòd ſpecies noſtri intellectus videntur ab Angelo, non ſequitur, quòd cogitatio cognoſcatur*. Et ad 8. ait: *quamvis & notitia habitualis cognoſcatur ab Angelo, non tamen ſequitur, quod cognitio actualis; quia ex una habituali notitia multa conſiderationes actuales progrediuntur.*

Neque hoc derogat comprehenſioni. Ad hanc enim ſolùm requiritur, quòd cognoſcat totum, quod ſibi eſt cognoſcibile, & petit per eam cognoſci; quod de cogitationibus liberis, ſicut & de futuris, & ente ſupernaturali non verificatur.

XIV. Secundò arguitur. Ideò actus liberi unius Angeli non poſſent ab altero cognoſci, quia à Deo ſolo dependent, & Angelo eos producente: ſed hæc ratio non valet; nam Cœli, anima rationalis, & Angeli ipſi à ſolo Deo producuntur, & conſervantur, & tamen ab Angelo cognoſcuntur. Tùm etiam actus externi liberi à ſola hominis voluntate pendent; qui tamen etiam cognoſcuntur ab Angelo. Imò & actus ipſi neceſſarii intellectus, & voluntatis à ſolo Deo, & Angelo eos eliciente pendent; & tamen ab altero Angelo cognoſcuntur.

XV. Reſpondeo. Majorem non eſſe univerſaliter veram, niſi addatur, quia à ſolo Deo, & Angelo pendent, non tanquam naturales effectus, ſed tanquam motus, & diſpoſitiones liberæ ſubditæ ſoli voluntati Dei moventis, & voluntati motæ. Ita ſe explicat D. Tho. Q. 16. de Malo a. 8. dicens: *id quod cadit ſub ordine ſuperioris cauſa, non poteſt cognoſcere inferior cauſa, ſed ſolùm ſuperior cauſa movens, & illa qua movetur. Sicut ſi aliquis civis eſt ſub Præpoſito tanquam ſub inferiori cauſa, & ſub Rege tanquam ſub ſuprema: non poterit Præpoſitus cognoſcere circa civem, ſi quid immediatè Rex circa ipſum ordinaverit, ſed hoc ſciet ſolùm Rex, & civis, qui movetur ſecundùm ordinem Regis. Unde cùm voluntas interiùs non poſſit ab alio, niſi à Deo moveri, cujus ordini immediatè ſubeſt, motus voluntatis, & per conſequens voluntaria cogitationis, non poteſt cognoſci neque à Dæmone, neque à quocumque alio, niſi ab ipſo Deo, & ab homine volente, atque cogitante.*

Hinc exempla de Cœlis, de Anima rationali, de Angelis quò ad ſubſtantiam ſumtis, non ſunt ad rem. Nam hæc ſunt naturæ pertinentes ad naturalem Univerſi perfectionem, non diſpoſitiones liberæ, & ſecretę, quibus movetur cauſa inferior à ſuprema, à qua ſolà moveri poteſt, quales ſunt cogitationes cordis.

Quod verò additur de actibus externis libe-

liberis, dico, quòd, vel ſunt ordinati ad manifeſtandas internas liberas animi conceptiones, ut ſunt voces, & alia ſigna; & ſic per eos cognoſci poſſunt actus interni. Vel ſunt indifferentes ad exprimendum hunc potius, quàm alium animi motum: & ſic cognoſcuntur quidem quoad ſubſtantiam: ſed ex iis certò conjici nequit, quod latet in corde, niſi ad ſummum in generali. Ita D. Tho. Q. 8. *de Verit. a.* 13. ubi poſtquam reſolvit, Angelos non poſſe cognoſcere directè cogitationes cordis alterius, niſi in Verbo, addit: *ſed per accidens poſſunt cognoſcere cogitationem cordis quandoque; & hoc dupliciter. Uno modo, in quantùm ex cogitatione actuali reſultat aliquis motus in corpore, dùm aliquis gaudio, vel triſtitiâ afficitur ex his, quæ cogitat, & ſic cor quodammodo movetur; per hunc enim modum etiam Medici quandoque poſſunt paſſionem cordis cognoſcere. Alio modo inquantùm ex actuali cogitatione aliquis meretur vel demeretur, & ſic mutatur quodammodo ſtatus agentis, vel cogitantis in bonum, vel in malum; & hanc diſpoſitionem mutationum Angeli cognoſcunt: ſed tamen ex hoc non cognoſcitur cogitatio, niſi in generali. Ex multis enim, & diverſis cogitationibus, eodem modo aliquis meretur, vel demeretur, gaudet, vel triſtatur.* Hæc D. Th. valde notanda.

XVI. Quoad actus verò neceſſarios, dico, hos ideò eſſe cognoſcibiles naturaliter ab Angelo, quia ſunt cum eo neceſſariò connexi, eique debiti quaſi proprietates illius, nec eorum eſt dominus. Unde ſi unus Angelus naturaliter cognoſcit alium cum ſuis potentiis, etiam hoſce actus cum illis connexos cognoſcet. Hâc eadem ratione docet S. Th. hâc q. 57. a. 4. ad 3. *quod appetitus brutalis non eſt dominus ſui actus, ſed ſequitur impreſſionem alterius cauſæ corporalis, vel ſpiritualis. Quia igitur Angeli cognoſcunt res corporales, & diſpoſitiones earum, poſſunt per hæc cognoſcere quod eſt in appetitu, & apprehenſione phantaſtica brutorum, & etiam hominum ... Non tamen oportet, quòd Angeli cognoſcant motum appetitus ſenſitivi, & apprehenſionem phantaſticam hominis ſecundùm quòd moventur à voluntate, & ratione.* Et multò minus, *quid ſit in cogitatione, vel voluntate quia intellectus, & voluntas non ſubjacent appetitui ſenſitivo, & phantaſia, ſed poteſt eis diverſimodè uti.*

XVII. Tertiò afferuntur PP. auctoritates. Primò D. Gregorii *l.* 18. *Moral. c.* 27. modò 48. ubi Civitatem Beatorum comparans vitro mundo, de reſurgentibus in beatitudine, ait: *Et quoniam ipſa eorum claritas viciſſim ſibi in alterius cordibus patet, & cùm uniuſcujuſque vultus attenditur, ſimul, & conſcientia penetratur:* addens: *Nunc autem corda noſtra, quamdiù in hâc vita ſumus, quia ab altero in alterum videri non poſſunt, non intra vitrea, ſed intra lutea vaſcula concluduntur:* ſed reſurgentes erunt ſimiles Angelis *Matth.* 22. ergo ſi reſurgentes, corda alterius penetrabunt, eò magis Angeli.

Secunda eſt D. Auguſtini *lib.* 1. *contra Academicos cap.* 6. referentis de quodam Albicerio, qui à quodam interrogatus, ut ſibi diceret, quid ſecum tacitus cogitaret, *Vergilii verſum eum cogitare reſpondit; cùmque ille obſtupefactus negare non poſſet, perrexit quærere, quinam verſus eſſet:* Tunc Albicerius, quamvis Grammatici ſcholam vix tranſiens vidiſſet, verſum canere non dubitavit. Cum ergo Albicerius non aliâ ope, quàm Dæmonis id præſtare potuerit, dicendum videtur, Dæmones noſſe cordis ſecreta.

Tertia eſt ejuſdem S. Auguſt. *lib.* 18. *de Civit. Dei c.* 18. Narrantis, quendam Philoſophum cuidam de quæſtione Platonica dubitanti inſomnem apparuiſſe, eique quæſtionem ſolviſſe. Et tandem *lib. de Divinat. Dæmon c.* 6. *l.* 12. *de Gen. ad litt. cap.* 17. & *l.* 2. *Retract. c.* 30. Cogitationes hominum internas Dæmones ſæpiùs enunciaſſe aſſeverat.

XVIII.

XVIII. Ad hæc reſpondeo. Ad primam ex D. Greg. dico, eum non velle, Beatos poſt Reſurrectionem abſolutè ſecreta cordium occulta nativâ virtute penetraturos; ſed ſolùm, quòd ab eis auferetur groſſities corporis, quæ eſt unum ex impedimentis, ne interna animi penetremus. Nam *cogitatio unius hominis non cognoſcitur ab alio propter duplex impedimentum, ſcilicet propter groſſitiem corporis; & propter voluntatem claudentem ſua ſecreta. Primum, autem obſtaculum tolletur in Reſurrectione, nec eſt in Angelis: ſed ſecundum impedimentum manebit poſt Reſurrectionem, & eſt modò in Angelis.* Ita S. Thomas *hîc q. 57. a. 4. ad 1.* qui addit: *Et tamen qualitatem mentis quantum ad quantitatem gratiæ, & gloriæ repræſentabit claritas corporis; & ſic unus mentem alterius videre poterit.* Nimirum quantâ gratiâ, & gloriâ ſit exornatus; non verò, quid animo volvat, niſi ei reveletur. Vide quoque S. Tho. Q. 16. *de Malo a. 8. ad 1.*

Ad ſecundam ex S. Auguſt. dico, ex aliquo ſigno, vel ex ſpecie in phantaſia reſidente, potuiſſe Dæmonem conjicere verſum, quem alter animo volvebat, & Albicerio ſuggerere, quamvis iſte eum non didiciſſet; eo modo, quo Energumeni inſtinctu Dæmonis multa dicunt, quæ nunquam didicerunt.

Ad tertiam ex eodem reſpondet S.Th. Q. 16. *de Malo a. 8. ad 12.* Ex illo facto non poſſe haberi, *quòd Dæmon ſciat aliqua eſſe in memoria hominis. Potuit enim eſſe, quòd Dæmon ſatisfecit dubitanti ſecundùm illa, quæ ipſe ſciebat, non ex eo quòd ſciret Philoſophum illa cognoſcere. Vel poterat hoc ſcire per aliqua exteriora ſigna. Vel potuit hoc fieri per aliquem Angelum bonum.* Addo factum, ut à S. Auguſtino narratum, non eſſe ad rem. Philoſophus enim ille rogatus priùs fuerat, ut illam quæſtionem ſolveret, & recuſaverat: quid ergo mirum ſi poſtea ope Dæmonis, eidem, qui ipſum interrogaverat, apparuerit, & quæſtionem ſoluerit? Hìc certè de cognitione ſecretorum cordis nihil eſt.

Ad alia, ex eodem S. Doctore, reſpondeo, Dæmones, ex aliquibus ſignis corporalibus ſæpè internum animum arguere. Ut enim ait D. Thom. Q. 16. de Malo a. 8. ad 14. *idem ſignum corporale in generali poteſt reſpondere multis effectibus: ſed tamen in ſpeciali ſunt aliqua differentia, quas Dæmon poteſt meliùs percipere quàm homo.* Ut inde tamen formet cognitionem conjecturalem, non certam. Si enim certò ſciret, hominem non tentaret. Ita S. Auguſt. laudato loco 12. de Gen. ad litt. c. 17. dicens: *Certiſſimis tamen indiciis apud nos conſtitit, enunciatas à Dæmonibus cogitationes hominum, qui tamen ſi virtutum internam ſpeciem poſſent in hominibus cernere, non tentarent; ſicut illam in Job nobilem, ac mirabilem patientiam, procul dubio, ſi poſſet Diabolus cernere, nollet à tentato utique ſuperari.*

Nec refert, quòd Dæmon meliùs cognoſcit animam hominis, quàm ipſe homo. Nam, ut ait D. Tho. *Qu. 16 de Malo a. 8. ad 7.* Dæmon meliùs quidem cognoſcit de anima quid eſt, non tamen quid in anima eſt: & *hoc modo homo cognoſcit animam percipiendo, ipſam eſſe ex actibus ſuis, quos experitur, & ad hunc modum cognoſcendi pertinet illa cognitio, quâ cognoſcimus nos aliquid cogitare. Quæ autem ſit natura cogitationis humanæ, meliùs cognoſcit Dæmon, quàm homo.*

DUBIUM IV.

An Angeli naturaliter cognoſcant Myſteria gratiæ?

§. I.

Reſolutio Dubii.

I. Dico. Angeli cognitione naturali Myſteria gratiæ cognoſcere nequeunt; cognitione tamen, quâ beati ſunt, ea cognoſcunt, non

non quidem omnia, nec æqualiter omnes; ſed ſecundum quòd Deus voluerit eis revelare. Ita S. Thomas hâc p. p. q. 57. a. 5. Habet duas partes.

II. Probatur prima pars à D. Thoma ſic. Id, quod pendet à ſola voluntate, ut ad ordinem Univerſi non pertineat, non poteſt certò, & naturaliter ab Angelo cognoſci: quâ ratione ſuperiùs dicebamus, non poſſe Angelum naturaliter cognoſcere in altero ſecreta cordis illius, eò quòd unicè pendent à voluntate illius, nec ullam connexionem habent cum naturali ordine Univerſi: ſed myſteria gratiæ unicè pendent à voluntate divina, nec cum ordine Univerſi ullam connexionem habent; ergo ea non poteſt Angelus naturaliter cognoſcere. Ita (ait S. Thomas) *Argumentatur Apoſtolus 1. Cor. 2. Quæ ſunt hominis nemo novit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt: ita & quæ ſunt Dei, nemo novit, niſi ſpiritus Dei.*

III. Confirmatur. Actus internus liber voluntatis, etſi exiſtat, à nulla creatura naturaliter cognoſci poteſt, niſi ei, vel in ſe, vel in effectu manifeſtetur: ſed myſteria, ſeu diſpoſitiones liberæ voluntatis Divinæ, etſi exiſtant, naturaliter non manifeſtantur menti angelicæ, nec in ſe, neque in ſuis effectibus, quia omnes, utpote ordinis altioris, nempè ſupernaturalis, excedunt vim naturalem mentis angelicæ; ergo &c. Hûc revocari poſſunt rationes, quibus probavimus Myſterium Trinitatis ratione naturali cognoſci non poſſe, ſicut nec Myſterium Incarnationis, ut, ſi Deus dederit, ſuo loco oſtendemus.

IV. Secunda verò pars ab eodem S. Doctore probatur ex Apoſtolo 1 Cor. 2. v. 10. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum ſuum.* Et ex ratione præfata deducitur. Nam ſicut actus internos liberos hominis cognoſcit is, cui homo voluerit revelare; ita ea, quæ Dei ſunt, is cognoſcet, cui ſpiritus Dei revelaverit: ſed Angelis Deum videntibus manifeſtat Deus in Verbo myſteria gratiæ; ergo Angeli &c. *Ita tamen* (inquit S. Thomas) *quòd ſuperiores Angeli perſpicaciùs divinam ſapientiam contemplantes, plura myſteria, & altiora in ipſa Dei viſione cognoſcunt, quæ inferioribus manifeſtant, eos illuminando. Et horum etiam myſteriorum quædam à principio ſuæ creationis cognoverunt* (ſcilicet in Verbo, & per viſionem beatificam) *quædam verò poſtmodum* (nempè extra Verbum) *ſecundùm quòd eorum officiis congruit edocendis.* Porrò cùm Angeli non fuerint à primo inſtanti ſuæ creationis beati, ly *ab initio* non eſt ſumendum rigorosè, ſed latè: ſic, ut ab inſtanti creationis habuerint notitiam Myſteriorum gratiæ per fidem, ut ſtatim dicemus; cùm verò fuerunt beati, per viſionem Verbi; & ſucceſſivè extra Verbum aliquorum etiam notitiam adepti fuerint.

V. Superſedeo à referendis argumentis, quæ contra primam partem afferri ſolent, quia hæc proponentur, & ſolventur in Tractatu de Incarnatione. Pro nunc noverit Candidatus meus, quòd Angelus ſive etiam Dæmon, videns Chriſti humanitatem, non proindè videbat, aut videt naturaliter Incarnationis Myſterium, ſeu humanitatem illam à ſubſiſtentia Verbi perſonari. Nam etſi non videret in humanitate Chriſti ſubſiſtentiam creatam, poterat exiſtimare, eam à Deo ſibi occultari; vel humanitatem illam ſubſiſtere, aut ſolâ divinâ virtute eam ſuſtentante; vel alio modo ſibi ignoto: non verò inferre naturaliter poterat hanc concluſionem; ergo humanitas Chriſti ſubſiſtit ſubſiſtentiâ Divini Verbi; quia ad hanc veritatem cognoſcendam vis naturalis aſſurgere nequit.

An verò Angeli naturaliter videant Myſterium Euchariſtiæ, ſeu Corpus Chriſti ſecundùm modum, quo eſt ſub Sacramento: Reſpondeo negativè; quia modus ille penitùs ſupernaturalis eſt. Vident tamen illum Angeli beati per viſionem divinæ Eſſentiæ; Dæmones verò

verò credunt, non quidem fidè divinâ, quæ ſit donum Dei, hanc enim ab eis excludit D. Thom. 2. 2. *q.* 5. *a.* 2. ſed quia per evidentiam ſignorum convicti, quodammodo coguntur ad aſſentiendum veritati, quam non vident, pro ut dicitur Jacobi 2. v. 19. *Dæmones credunt, & contremiſcunt.* Ita D. Thomas 3. *p. qu.* 76. *a.* 7. & 2. 2. *q.* 5. *a.* 2. *ad.* 1. 2. & 3.

§. II.

Quorumdam reſolutio.

VI. QUæres primò. An Angeli ab initio ſuæ creationis aliquam habuerint notitiam Incarnationis per fidem?

Reſpondeo probabiliùs affirmativè. Hæc enim videtur mens S. Auguſtini *l.* 5. *de Geneſ. ad litt. c.* 19. qui de Angelis primò conditis ſcribit: *Nam nec illud eos latuit, Myſterium Regni Cœlorum, quod opportuno tempore revelatum eſt.* Et inferiùs: *illis ergo à ſeculis innotuit, quia omnis creatura non ante ſecula, ſed à ſeculis:* illa autem verba *non latuit*, & *à ſeculis* indicant, myſterium fuiſſe revelatum omnibus ſtatim ac cæperunt ſecula, non poſt, cùm ſcilicet fuerunt beati.

VII. Hinc D. Thomas ſecutus S. Auguſtinum 2. 2. q. 2. a. 7. ad 1. *Angelos* (inquit) *non omnino latuit Myſterium Regni Dei, ſicut Auguſt. dicit.* Et 1. p. q. 64. a. 1. ad 4. clariùs, ait: *Myſterium Regni Dei, quod eſt impletum per Chriſtum, omnes quidem Angeli à principio aliquo modo cognoverunt, maximè ex quo beatificati ſunt viſione Verbi, quam Dæmones nunquam habuerunt: non tamen omnes Angeli cognoverunt perfectè, neque æqualiter. Unde Dæmones multò minùs, Chriſto exiſtente in Mundo, perfectè Myſterium Incarnationis cognoverunt.* Non enim innotuit eis (*ut Auguſt. dicit l.* 9. *de Civit. Dei c.* 21.) ſicut Angelis Sanctis, qui participatâ æternitate perfruuntur: ſed ſicut eis terrendis innoteſcendum fuit per quædam temporalia effecta: *Si autem perfectè, & per certitudinem cognoviſſent, ipſum eſſe Filium Dei, & effectum Paſſionis ejus, nunquam Dominum gloriæ crucifigi procuraſſent.*

VIII. Congruum ergo fuit, ut omnes Angeli ab initio conditionis ſuæ aliquam notitiam habuerint de illo, qui futurus erat eorum Caput, non Redemtione, ſed influentiâ, & de quo omnes accepturi erant: quia tamen hæc notitia, ut ait idem S. Thom. *in cap.* 3. *ad Epheſ. lect.* 3. fuit ſolùm *in generali*, remanſit Dæmonibus, adhuc ſtante tali notitiâ, dubitandi locus, an in Chriſto, quem videbant ex Adæ progenie deſcendentem, naturâ paſſibilem, mortalem, ſimilem carni peccati, hoc myſterium eſſet impletum.

IX. Quæres ſecundò. An Angeli beati ſtatim poſt hominis lapſum pleniorem habuerint de Incarnatione notitiam?

Reſpondeo affirmativè. Et præſertim, quòd Chriſtus ex ſtirpe Adæ foret naſciturus, humanum genus liberaturus, & Diabolum Hevæ ſeductorem ſuperaturus. Hæc enim ad Serpentem verba Gen. 3. v. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius, ipſa conteret caput tuum*, ſunt verba Dei per Angelum loquentis, qui certè non loquebatur, niſi quæ à Deo cognoſcendo acceperat.

X. Succeſſu tamen temporis, pro ut eorum miniſteria poſcebant, pleniùs, alii plùs, alii minùs de Incarnatione Angeli, Deo illis revelante, imbuti fuere; ut cùm mittebantur ad inſtruendos Prophetas; cùm Gabriel miſſus fuit ad Virginem; & cùm Apoſtolos viderent prædicantes, non quaſi ab Apoſtolis perdiſcentes (ſic enim ſolùm ab Angelis ſuperioribus edoceri poſſunt) ſed res expletas videntes. *Et ita* (inquit D. Tho. in 2. diſt. 11. q. un. a. 4.) *quædam, quæ circa Incarnationis Myſterium neſciebant, quando explebantur, prædicantibus Apoſtolis cogno-*

gno-

Digitized by Google

gnoverunt, *non tamen ab Apoſtolis edocti*; ad eum modum, quo, ſupra diximus, futura contingentia cognoſcunt, quando actu complentur.

XI. Neque huic adverſatur, quòd Chriſto aſcendente in Cœlum legantur Angeli Pſal. 23. v. 8. & 10. quæſiviſſe: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et apud Iſaiam 63. v. 1. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* Nam ejuſmodi interrogationes non ſunt quaſi neſcientium, quæ eſſet perſona, quæ aſcendebat; ſciebant enim, & Gabriel qui partum divinum Virgini annunciaverat *Luca* 1. & Angeli multi, qui Chriſto naſcente cantaverant, *Luca* 2. alii, qui ipſi miniſtraverant *Matth.* 4. & qui vocem Patris audierant *Matth.* 3. *v.* 17. & *cap.* 17. *v.* 5. dicentis: *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*: Sed ſunt, quaſi rem novam, & inſolitam admirantium, quòd ſcilicet verus homo plenus gloriâ & majeſtate corporaliter ſuper Cœlos aſcenderet, non ut hoſpes, & peregrinus, ſed ut Dominus, *& Rex gloriæ*. Quamvis S. Auguſtinus in Pſal. 23. interrogationem illam, ſeu admirationem, non Angelorum fuiſſe putet; ſed vel naturæ mortalis, ait enim: *pavet admirans natura mortalis, & quærit*. Vel ipſius Dæmonis; addit namque: *Quid & tu princeps poteſtatis aeris hujus miraris, & quæris: Quis eſt iſte Rex gloriæ?... Supra te pergit ille tentatus: ſupra omnes Angelos tendit ab Angelo prævaricatore ille tentatus*. Uno verbo cum D. Thom. hìc *ad* 3. concludo: *quòd quidquid Prophetæ cognoverunt de myſterio gratiæ per revelationem divinam, multo excellentiùs eſt Angelis revelatum*.

QUÆSTIO VI.

De Voluntate Angelorum.

IN exponenda natura intellectus, & cognitionis Angelorum, examinando ejus medium, modum, & objectum hactenus detenti, Studioſorum genio ſatis ſuperque indulſimus: nunc de eorum voluntate, & dilectione naturali cum D. Thom. hàc 1. *p. q.* 59. *&* 60. aliqua breviter dicemus.

DUBIUM I.

De exiſtentia, & natura Voluntatis in Angelo

§. I.

Voluntas Angelo aſſeritur.

I. DIco primò. In Angelis eſt voluntas. Ita D. Thom. hàc *q.* 59. *a.* 1. Et probat eodem diſcurſu, quo ſuperiùs probaverat, in Deo eſſe voluntatem, nimirùm: In omni natura cognoſcitiva, potentiam cognoſcendi naturaliter conſequitur potentia appetitiva ipſi proportionata: ſed in Angelis eſt potentia cognoſcitiva cognitione intellectuali, ut probatum eſt; ergo illam conſequitur appetitus intellectualis, qui eſt voluntas.

II. Nec dicas: quòd ſi modus appetendi proportionatur modo cognoſcendi, cùm in Angelis ſit modus altior cognoſcendi, quàm in homine, nempè ſine ratione, & diſcurſu, ſed ſimplici intelligentiâ; debebit in eo etiam poni altior modus appetendi, quàm per voluntatem, quæ ex Ariſt. 3. de Anima text. 42. *in ratione eſt*. Sicut quia in homine altior eſt modus appetendi, quàm in bruto, in homine ponitur altior appetitus, quàm ſenſitivus, nempè rationalis.

III. Nam reſpondeo cum D. Thom. citato ad primum, aſſumtum eſſe verum, quando modus cognoſcendi eſt altior, non ſolùm in modo, ſed in objecto, quomodo modus cognoſcendi hominis excedit modum cognoſcendi bruti: objectum enim cognitionis hominis eſt intelligibile, & univerſale; bruti verò ſolùm ſenſibile, & ſingulare; & ideò in bruto appetitus purè

 ſen-

Digitized by Google

ſenſitivus ponitur, qui diverſæ rationis eſt ab appetitu rationali, qui eſt in homine. Non autem, quando modus cognoſcendi eſt altior ſolùm in modo, non autem in objecto, ut contingit in Angelo reſpectu hominis. Quamvis enim in Angelo ſit per modum intellectus, & in homine per modum rationis; cùm tamen ſit idem objectum intellectus, & rationis, & idem bonum ab utraque potentia cognoſcatur, idem appetitus, qui dicitur voluntas, poteſt utrique potentiæ deſervire: & hâc ratione, quamvis altior ſit modus cognoſcendi Dei, quàm cujuslibet creaturæ, in Deo tamen ponitur voluntas.

IV. Nec refert, quòd voluntas ſub nomine appetitus contineatur. Nam, ut ait D. Thom. hoc a. 1. ad 2. *Licèt nomen appetitivæ partis ſit ſumtum ab appetendo ea, quæ non habentur: tamen appetitiva pars non ſolùm ad hæc ſe extendit, ſed etiam ad multa alia: ſicut & nomen lapidis ſumtum eſt à læſione pedis; cum tamen lapidi non hoc ſolùm conveniat. Similiter iraſcibilis potentia denominatur ab ira, cùm tamen in ea ſint plures aliæ paſſiones, ut ſpes, audacia, & hujuſmodi.* Ita D. Thom. Quare voluntas etiam ponitur in Deo, qui omnia in ſe continet bona, & ad nullum habendum eſt in potentia.

V. Voluntatem Angeli non eſſe ipſam naturam, & *eſſe* Angeli, probatur eâdem ratione, quâ ſupra oſtendimus, intellectum Angeli non eſſe ſuam eſſentiam, ac ſuum *eſſe*. Videantur dicta *q.* 4. *hujus Tractatus Dub.* 1. Et ulteriùs: quia voluntas Angelorum ſe extendit ad aliquid, quod eſt extra ipſos: ſed ut docet D. Thom. hoc a. 2. quidquid ſe extendit ad id, quod eſt extra rem, non eſt rei eſſentia; ergo &c Min. probatur in corpore naturali, in quo eſt inclinatio, quæ eſt ad eſſe ſit per materiam, quæ illud recipit, & formam, quæ illud dat, & utraque ſit de eſſentia corporis; inclinatio tamen corporis ad locum extrinſecum eſt per aliquid eſſentiæ ſuperadditum, nempè per gravitatem, vel levitatem.

VI. Voluntatem inſuper Angeli eſſe realiter diſtinctam ab ejus intellectu, probat idem S. Doct. ibi ex diverſo modo, quo procedunt. Nam intellectus procedit trahendo res ad ſe; voluntas verò procedendo ad res extra ſe: alterius autem virtutis eſt habere intra ſe etiam res, quæ ſunt extra ipſum, & tendere in rem extra ſe exiſtentem. Addo quòd objectum voluntatis, quod eſt bonum, eſt formaliter diverſum ab objecto intellectus, quod eſt verum: objecta autem formaliter diverſa inferunt virtutes realiter diſtinctas.

VII. An autem intellectus Angeli ſpecie differat ab intellectu humano, ſicut, & voluntas Angeli à voluntate humana: dico, intellectum, & voluntatem Angeli, & hominis comparari poſſe, & ad naturas, quarum ſunt proprietates, & ad objecta, ad quæ tendunt. Si comparentur ad naturas, quarum ſunt virtutes, & proprietates; ſic, cùm natura hominis, & Angeli ſpecie differant, neceſſe eſt, quòd etiam ſpecie differant proprietates. Si verò conſiderentur in ratione potentiæ, & prout reſpiciunt objecta; probabile eſt, quòd ejuſdem ſpeciei ſint intellectus, & voluntas Angeli, & hominis, cùm idem habeant objectum formale, nempè intellectus ens ſub ratione veri, & voluntas ſub ratione boni: & quamvis ſit diverſitas in modo cognoſcendi, & volendi, dici poteſt, hoc totum ſe tenere ex parte ſubjecti cognoſcentis, & volentis, non ex parte cogniti. Neque eſt novum, aliqua diſtingui ſpecie in ratione proprietatis; & in ratione potentiæ, & operationis eſſe ejuſdem ſpeciei. Nam potentia viſiva, & viſio hominis, & bruti ejuſdem ſpeciei ſunt objectivè, ſeu relatè ad objectum; ſi verò comparentur ad hominem, & brutum, ſeu ſumantur ex parte videntis, ſunt diverſæ ſpeciei; quia naturæ diverſæ ſpecie afferunt diverſas proprietates, & virtutes

tutes

Digitized by Google

tutes ſpecie relatè ad ſuum principium. Ita Ferrarienſis in 2. *Contrag. c.* 94. & alii. Sed non eſt, cur hìc tempus teramus.

§. II.

Alia circa naturam Voluntatis Angelicæ.

VIII. Quæres primò. An in Angelis ſit liberum arbitrium?

Reſpondeo affirmativè cum D. Tho. hâc *q.* 59. *a.* 3. Libertas enim arbitrii ad dignitatem hominis pertinet, quia dicit agere ſe movendo cum dominio ſuorum actuum: ſed Angeli ſunt digniores hominibus; ergo liberum arbitrium: cùm ſit in hominibus, multò præſtantius erit in Angelis.

Accedit, quòd in Angelis eſt intellectus; in quacumque autem natura eſt intellectus, in eadem eſt liberum arbitrium: liberum enim arbitrium eſt facultas eligendi unum ex multis, orta ex indeterminatione judicii intellectus .qui judicare poteſt de multis, quodnam ſit hìc, & nunc eligendum: hujus verò indeterminationis, & indifferentiæ judicii origo ex eo eſt, quòd intellectus poteſt judicare de bono in univerſum, & proinde de hoc, & de illo.

IX. Propterea Sacræ Litteræ proponunt Angelos, ut creaturas rationales agentes cum libertate, capaces præmii, & pœnæ, Deum videndi, eique miniſtrandi, ut Job. 4. v. 18. *In Angelis ſuis reperit pravitatem.* Jo. 8. v. 44. de Diabolo dicitur: *ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit.* 2. Petri 2. v. 4. *Deus Angelis peccantibus non pepercit; ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reſervari.* Matth. 18. v. 10. de Sanctis Angelis legitur: *Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris mei.* Pſal. 90. v. 11. *Angelis ſuis Deus mandavit de te.* Hebr. 1. v. 6. *& adorent eum omnes Angeli ejus.* Et v. 14. *omnes ſunt administratorii ſpiritus in miniſterium miſſi*: & alibi; adeò ut in re tam certâ ſuperfluum ſit immorari.

X. Adverto cum D. Tho. relato ad ſecundum, quòd eſto intellectus angelicus ſit determinatus ex ſua perfectione ad omne verum naturale, non tamen angelica voluntas ex ſua perfectione petit eſſe determinata ad bonum; cujus differentia eſt, quòd cognitio ſit ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente. Ad perfectionem autem alicujus rei pertinet, ut ſit in ea omne, quod natum eſt in ea eſſe, aliter eſſet imperfecta; ideòque Angeli intellectus, ut ſit perfectus, debet eſſe determinatus ad omnem veritatem naturalem. Sed actus appetitivæ virtutis eſt per hoc, quòd affectus inclinatur in rem exteriorem; perfectio autem rei non dependet ab omni re extra ſe, ad quam inclinatur, ſed à ſuperiori ſolùm: & ideò non pertinet ad imperfectionem voluntatis Angeli, ſi non eſt determinata reſpectu eorum, quæ infra ipſum ſunt; pertineret autem ad imperfectionem ejus, ſi indeterminatè ſe haberet ad illud, quod ſupra ipſum eſt.

Nec ex quo intellectus Angeli ſit determinatus ad omnem veritatem, tollitur ab Angelo libertas, quæ in indifferentia judicii fundatur. Non inquam: nam libertas fundatur in indifferentia judicii practici, non ſpeculativi. Quamvis autem intellectus ſpeculativus Angeli ſit determinatus ad omnem veritatem naturalem; non tamen practicus, qui poteſt indifferenter hoc, vel illud proponere voluntati, ut conveniens, vel diſconveniens.

XI. Quæres ſecundò. An in Angelis ſit iraſcibilis, & concupiſcibilis?

Reſpondeo. Qui poſuerunt Angelos habere corpora ſibi naturaliter unita, & erga filias hominum amore exarſiſſe, conſequenter in eis iraſcibilem, & concupiſcibilem admiſere. Suppoſitâ tamen Catholicâ veritate à nobis ſuperiùs ſtatutâ, quòd ſint puri ſpiritus

Digitized by Google

ritus intellectuales, neganda in eis eſt iraſcibilis,& concupiſcibilis: quia ut ait D. Th.hoc *a.* 4. ſolus appetitus ſenſitivus eſt, qui dividitur per iraſcibilem, & concupiſcibilem, quia reſpicit pro objecto bonum ſub ratione particularis boni, vel ardui, vel delectabilis; appetitus autem intellectivus cum reſpiciat bonum ſub ratione communi boni tanquam formale objectum, unus exiſtens reſpicit omnia particularia bona. Nam (inquit D. Tho. ibi) *Si alicui potentia reſpondeat aliquod objectum ſecundùm rationem communem, non erit diſtinctio potentiarum ſecundùm diverſitatem propriorum, quæ ſub illo communi continentur. Sicut ſi proprium objectum potentiæ viſivæ eſt color ſecundùm rationem coloris, non diſtinguuntur plures potentiæ viſivę ſecundùm differentiam albi, & nigri. Sed ſi proprium objectum alicujus potentiæ eſſet album, inquantùm album, diſtingueretur, potentia viſiva albi à potentia viſiva nigri.*

XII. Hinc infert D. Tho. citatus ad tertium. Quòd licèt Temperantia, ut eſt virtus humana, ſit circa concupiſcentias delectabilium ſenſibilium, quæ pertinent ad vim concupiſcibilem; & ſimiliter Fortitudo ſit circa audacias, & timores, quæ ſunt in iraſcibili: *& ideò Temperantia ſecundùm quòd eſt virtus humana eſt in concupiſcibili, & Fortitudo in iraſcibili*; hoc tamen modo non ſunt in Angelis. *Non enim in eis ſunt paſſiones concupiſcentiarum, vel timoris, & audaciæ, quas oporteat per Temperantiam, & Fortitudinem regulari. Sed Temperantia in eis dicitur, ſecundùm quòd moderatè ſuam voluntatem exhibent ſecundùm regulam divinæ voluntatis; & Fortitudo in eis dicitur, ſecundùm quod voluntatem divinam firmiter exequuntur. Quod totum fit per voluntatem, & non per iraſcibilem, & concupiſcibilem.*

DUBIUM II.

An Angelus diligat ſe ipſum, & Deum amore neceſſario?

§. I.

Aliqua ſupponuntur.

I. Supponit primò D. Tho. 1. *p. q.* 60. *a.* 1. in Angelis eſſe amorem, ſeu dilectionem naturalem, & rationem dat. Quia commune eſt omni naturæ, ut habeat aliquam inclinationem, quæ eſt appetitus naturalis ſecundùm modum ejus: *unde in natura intellectuali invenitur inclinatio naturalis ſecundùm voluntatem: in natura autem ſenſitivâ ſecundùm appetitum ſenſitivum; in natura verò carente cognitione ſecundùm ſolum ordinem naturæ in aliquid*: ſed Angelus eſt natura intellectualis; ergo in voluntate ejus eſt naturalis dilectio. Quoniam verò quæ à natura ſunt, ſemper ſunt recta, quia ab Auctore naturæ prodeunt; ideò ait D. Tho. ad 3. *Sicut cognitio naturalis ſemper eſt vera; ita dilectio naturalis ſemper eſt recta.*

II. Supponit ſecundò S. Doctor, quòd in Angelis præter dilectionem naturalem eſt etiam dilectio electiva; & quòd naturalis dilectio in eis eſt principium electivæ. Ita citata *q.* 60. *a.* 2. & probat. Quia in Angelis debet eſſe, & amor circa finem, & amor circa media: ſed eſto amor, qui eſt circa finem, ſit naturalis, amor tamen, qui eſt circa media, de quibus eſt electio, eſt electivus; ergo in Angelis præter dilectionem naturalem, datur dilectio electiva. Tunc ſic: ſed dilectio naturalis finis eſt principium dilectionis electivæ mediorum: *omnis enim homo naturaliter vult beatitudinem. Et ex hac naturali voluntate cauſantur omnes aliæ voluntates, cùm quidquid homo vult, velit propter finem*; ergo & in Angelis ex naturali volun-

Digitized by Google

voluntate finis cauſatur voluntas electiva.

III. Notat tamen S. Præceptor, eſſe differentiam inter intellectum, & voluntatem; quòd cùm cognitio intellectus fiat ſecundùm quòd cognitum eſt in cognoſcente, ex imperfectione intellectualis naturæ eſt, quòd non ſtatim omnia intelligibilia ſint in ipſo; ſed egeat ab uno intelligibili moveri, & diſcurrere ad alia acquirenda: at voluntas, utpote vis appetitiva, eſt è converſo ſecundùm ordinem appetentis ad res. Quia verò harum quædam ſunt ſecundum ſe bona, & ideò ſecundùm ſe appetibilia; quædam verò habent rationem bonitatis ex ordine ad aliud, & ſunt appetibilia propter aliud: ideò non eſt ex imperfectione appetentis, quòd aliquid appetat naturaliter ut finem, & aliquid per electionem, ut ordinatur in finem: *quia igitur natura intellectualis in Angelis perfecta eſt, invenitur in eis ſola cognitio naturalis, non autem ratiocinativa: ſed invenitur in eis dilectio naturalis, & electiva.*

IV. His ergo ſuppoſitis, præſens dubium inveſtigat, an Angeli diligant ſeipſos, & Deum Auctorem naturalem dilectione electiva, & libera; an verò naturali, & neceſſariâ: neceſſariâ, inquam, tùm quoad ſpeciem, ut non poſſint ſeipſum, & Deum Auctorem naturæ odio habere; tùm quoad exercitium, ut non poſſit ceſſare ab exercitio ſeipſum, & Deum Auctorem naturæ amandi.

V. Supponunt ferè omnes, Angelum amare ſeipſum amore neceſſario quoad ſpecificationem, & omnia quæ ſpectant ad ejus naturalem perfectionem, ut vivere, intelligere &c. ita ut hæc odio habere non poſſit, per ſe loquendo; etſi per accidens poſſit odio habere eſſe, & vivere, ut contingit in Dæmonibus: ſed iſti in tantùm vellent non eſſe, in quantùm apprehendunt non eſſe, ut ſibi bonum, & liberativum ab infelicitate, in qua ſunt. Quare amor ſui non eſſe oritur ex amore, quo ſeipſos amant. Videndum ergo eſt, an ſeipſos neceſſariò ament etiam neceſſitate exercitii, & etiam Deum Auctorem ipſorum.

§. II.

Reſolutio Dubii.

VI. DIco. Angelus ſeipſum, & Deum Auctorem naturæ neceſſariò amat, etiam neceſſitate exercitii. Ita frequentiùs Noſtrates. Et probatur primò prima pars. Angelus ſeipſum neceſſariò cognoſcit etiam neceſſitate exercitii, ut ſuperiùs *Quæſt. 4. Dub. 6. §. 1.* oſtenſum eſt; ergo etiam amor, quo amat ſeipſum, erit neceſſarius neceſſitate exercitii, quia amor proportionatur cognitioni, eâ enim regulatur, & dirigitur.

VII. Reſpondent contrariæ opinionis Patroni, amorem regulari à cognitione, & judicio practico, non à ſpeculativo: eſto autem cognitio ſpeculativa, quâ Angelus ſeipſum cognoſcit ſit neceſſaria neceſſitate exercitii; cognitio tamen, ſeu judicium, quo practicè proponit voluntati ſuam bonitatem, ex quo naſcitur amor, determinatum non eſt, ac neceſſarium, ſed indifferens: cùm enim Angelus non contineat omne bonum, ſicut Deus, non poteſt intellectus ſuam bonitatem ita proponere, ut amandam, eamque ad ſui amorem determinare, quin poſſit à tali amore ceſſare, ut aliam bonitatem amet.

VIII. Sed contra. Nam D. Thom. *Qu. 16. de Malo a. 2. ad 6.* ex eo quòd Angelus ſemper actu intelligat, colligit quòd ſemper actu velit: *Quantum ad hoc* (inquit) *operatio ejus immutabilis eſt, quòd ſemper intelligit. Et ſimiliter conſiderandum eſt circa voluntatem, cujus operatio proportionatur operationi intellectus;* ergo ex quo Angelus ſemper actu intelligit ſeipſum, ſemper ſeipſum diligit.

IX. Confirmatur primò. Ex eo quòd Ange-

Angelus ſeipſum neceſſariò ſemper intelligat, neceſſariò ſequitur, quòd velit ſeipſum ſemper intelligere: ſed nequit velle ſeipſum ſemper intelligere, quin velit ſeipſum amare; nam idem eſt velle ſibi aliquam perfectionem, ac ſe amare: unde cùm ſeipſum intelligere ſit maxima perfectio, ſi Angelus hanc neceſſariò quoad exercitium amat, eàdem neceſſitate amat ſeipſum. Major videtur certa. Nam ad omnem actum intellectus circa objectum amabile, aliquis actus ſequitur in voluntate: ad actum autem neceſſarium, quo ſeipſum intelligit, nequit ſequi actus, quo velit non intelligere; ergo neceſſariò ſequitur actus, quo velit ſe intelligere.

X. Confirmatur ſecundò. Voluntas Angeli non poteſt ceſſare ab omni operatione, quia eſt natura vivens: cùm autem non habeat aliam operationem præter intelligere, & velle; ergo oportet quòd ſemper ſit actu intelligens, & volens, ut ſuperiùs ex D. Thoma dicebamus, & ex 2. *Contrag. cap.* 97. confirmatur: ſed omnis operatio voluntatis angelicæ fundatur in amore ſui; nam *amicabilia quæ ſunt ad alterum, ex amicabilibus, quæ ſunt ad nos* prodeunt; ergo &c.

XI. Secundò probatur eadem prima pars. Tunc intellectus practicus proponit aliquid, ut determinatè in exercitio amandum, quando illud ſic proponit ut bonum, ut nihil appareat mali poſitivi, ſive ex parte illius, ſive ex parte exercitii circa illud: ſed ita intellectus Angeli proponit voluntati ſuam bonitatem; ergo voluntas obligatur ad eam amandam etiam quoad exercitium. Minor pro prima parte, nempè quòd intellectus Angeli proponat ſuam bonitatem voluntati ita bonam, ut in ea nihil appareat mali poſitivi, meritò etiam ab Adverſariis admittitur; proponitur enim ut bonitas ei connaturalis, & omnino proportionata. Quoad ſecundam verò partem probatur. Tunc in exercitio voluntatis circa aliquid bonum poteſt apparere aliqua ratio mali poſitivi, quando in tali exercitio apparere poteſt aliquod faſtidii, ſeu moleſtiæ, vel ipſum exercitium eſt impeditivum alterius nobilioris exercitii: Sed amor ſui non generat in Angelo faſtidium, ſed delectationem; nec impedit, ſed juvat tanquam medium alias operationes, & maximè dilectionem Dei: non enim in Angelo, ſicut in nobis, ſunt ſenſus, quorum repaſſio apprehendi poſſit laborioſa, & moleſtiam ingerens, & dùm unum cogitat, & diligit, impedire queat cogitationem, & amorem alterius.

Quare autem, etſi Angelus non ſit omne bonum, poſſit neceſſitari ad exercitium amandi ſeipſum, ratio eſt ex dictis. Cùm in exercitio ſui amoris nihil poſſit apparere, quod habeat rationem mali ſaltem privativi, ſic determinatur ad tale exercitium, ut nequeat ab illo ceſſare, ſicut nequit ceſſare ab exercitio intelligendi ſe.

XII. Secunda autem pars ex dictis colligitur. Nam in amore naturali, & neceſſario, quo Angelus ſeipſum diligit, includitur amor Dei tanquam ſui Auctoris, & Conſervatoris; ergo ſi Angelus diligit neceſſariò ſeipſum, ac ſuum eſſe, eàdem neceſſitate diligit Deum, à quo eſt, & conſervatur. Unde quemadmodum ex cognitione, quâ ſe, & omnes ſuas naturales perfectiones comprehendit, exurgit neceſſariò judicium determinatum de exercitio ſuæ dilectionis; ita ex cognitione, quâ Deum, ut Auctorem, & finem naturalem ſui in ſeipſo, ut in ſpeculo continuò contemplatur (ut ſupra diximus) oritur judicium practicum, quo judicat in exercitio, Deum eſſe continuò diligendum.

XIII. Secundò probo. Angelus amore naturali plùs diligit Deum, quàm ſeipſum, ut docet D. Thomas hîc *q.* 60. *a.* 5. Nam pars magis amat bonum univerſale, & totius, quàm proprium; bonum autem univerſale eſt Deus; ergo ſi Angelus diligit ſeipſum amore neceſſario quoad exercitium, mul-

multò magis hoc eodem amore diligit Deum.

§. III.

Contrariæ opinionis fundamenta.

XIV. Primò arguunt. Eſſe ſemper in actu ſecundo arguit infinitatem in potentia: ſed voluntas Angeli eſt finita; ergo non poteſt eſſe ſemper, & neceſſariò in actuali dilectione ſui.

XV. Reſpondeo primò, neg. abſolutè majorem. Nam non eſt contra, imò de ratione naturæ, etſi finitæ, eſſe ſemper in actu ſecundo per operationem ſibi propriam, ut patet in Sole, qui ſemper eſt in actu ſecundo illuminandi; & maximè ſi ſit vitalis, ut patet in motu cordis, à quo vivens dùm vivit, numquam ceſſat, quia eſt prima, & propria viventis operatio. Cùm ergo Angelus ſit naturâ vitalis, & ejus propria operatio ſit intelligere, ut docet D. Thom. 2. *Contrag. c.* 97. præſertim ſeipſum; ſequitur, eum, poſſe nunquam ab actu intelligendi ceſſare, & conſequenter nec ab actu diligendi, maximè ſemetipſum.

XVI. Claritatis tamen gratia reſpondeo ſecundò, diſt. maj. eſſe ſemper in actu per actum ſibi identificatum, & ex ſumma actualitate, arguit infinitatem. conc. maj. eſſe ſemper in actu per actum à ſe realiter diſtinctum, & abſolutè ſeparabilem, & ſolum ex circumſtantia objecti, nego maj. Hoc autem modo Angelus ſemper eſt in actu ſecundo cognitionis, & dilectionis ſui. Unde ſicut nulla arguitur infinitas in Beato, per hoc quòd ab exercitio viſionis Dei ceſſare non poſſit; ita nec argui debet in Angelo, per hoc, quòd ab exercitio cognitionis, & dilectionis ſui ceſſare non poſſit.

XVII. Secundò arguunt. D. Thomas 1. 2. q. 10. ar. 2. ad 2. ait: *Non oportet, quòd voluntas, quæ de potentia in actum reducitur, dùm aliquid vult, ſemper actu velit; ſed ſolùm quando eſt in aliqua diſpoſitione determinata. Voluntas autem Dei, quæ eſt actus purus, ſemper eſt in actu volendi;* ergo ſola voluntas divina ſemper eſt in actu volendi.

XVIII. Reſpondeo, diſt. conſequ. ſola voluntas Dei ex ſua natura, conc. conſequ. ex aliqua accidentali diſpoſitione, nego conſequentiam. Si enim voluntas etiam creata *ſit in aliqua determinata diſpoſitione*, puta, ſi circa objectum verſetur, quòd ei ut determinatè amandum, etiam quoad exercitium, proponatur, ut accidit voluntati Beati circa Deum clarè viſum, & nos dicimus accidere voluntati Angeli erga ſeipſum; non poterit ex eodem D. Thom. voluntas, etſi ex potentia exiens ad actum, ab actu ceſſare: ubi divina voluntas non ex aliqua particulari, diſpoſitione, ſed ex ſe hoc habet. Addo, quòd S. Thomas loco citato dicit, *quod eſt naturale, quaſi conſequens formam tantùm, ſemper actu ineſt, ſicut calidum igni:* ſed intelligere, & diligere ſeipſum eſt Angelo naturale, quaſi conſequens formam ſuam, quæ eſt ei principium cognoſcendi, & amandi ſeipſum; ergo intelligere, & diligere ſeipſum ſemper ei actu ineſt, ſicut calidum igni.

XIX. Tertiò arguunt. In exercitio continuo, & neceſſario poteſt apparere aliqua ratio mali, vel impeditiva majoris boni; ergo &c. Pro prima parte prob. Nam poteſt apprehendi, ut impeditiva exercitii libertatis circa ſuſpenſionem talis actus, vel circa exercitia aliorum actuum. Pro ſecunda autem prob. nam dilectio neceſſaria ſui impedire poteſt Angelo, ne majori conatu feratur in Deum.

XX. Reſpondeo, in exercitio neceſſario dilectionis ſui, dato, quòd poſſit apparere aliqua ratio mali negativi, non tamen privativi, vel poſitivi. Ad id autem, in quo non poteſt apparere aliqua ratio mali privativi, vel poſitivi, eſto negativi, poteſt quoad exercitium neceſſitari voluntas; dummodo ad hoc adſit ſpecialis ratio, ut contingit in viſione beatifica, & in dile-

Digitized by Google

dilectione naturali, quâ Angelus diligit ſeipſum.

Quòd autem tali exercitio impediatur exercitium libertatis circa ſuſpenſionem actus, non arguit, quòd in exercitio actus aliqua ratio mali privativi apprehendi poſſit. Nam quando actus verſatur circa objectum dignum amore neceſſario, & cognitum, ut tale, ita fertur in illud delectabiliter; ut nulla ratio boni ei poſſit apparere in ſuſpenſione à tali actu: & hac ratione Beati, quamvis expertes libertatis ad ſuſpendendum actum dilectionis Dei, nullam in tali privatione moleſtiam experiuntur; & nedùm in ea ullum bonum non apprehendunt, ſed malorum maximum judicarent viſione beatâ poſſe privari. Sic quia Angelus cognoſcit ſe dignum amore neceſſario, etiam quoad exercitium, ita delectabiliter in eo verſatur; ut tanquam ſibi malum conciperet ab eo ceſſare: eò vel maximè, quòd exercitium amoris ſui non impedit, imò maximè juvat amorem cæterorum; ſicut nec cognitio ſui impedit cognitionem cæterorum.

Hinc ad ſecundam partem, nego, quòd actus, quo Angelus diligit ſeipſum, ipſi ſit impedimento, ne toto conatu diligat Deum; imò aſſero: quòd, ſicut cognitio ſui ducit Angelum ad cognoſcendum in ſeipſo Deum; ita dilectio ſui eum ducit ad diligendum in ſe naturaliter Deum. Vel enim eodem actu, quo Angelus diligit ſe, diligit etiam Deum; vel actus dilectionis ſui eſt neceſſariò connexus cum dilectione Dei, quem ſui auctorem cognoſcit, ſine quo nec ſe, nec alia diligere poſſet.

XXI. Quartò arguunt contra ſecundam partem. Solus Deus clarè viſus poteſt neceſſitare quoad exercitium ad ſui amorem: ſed Angelus per ſua naturalia Deum non videt clarè, ſed ſolum abſtractivè; ergo &c.

XXII. Confirm. Dilectio naturalis Dei non eſt compoſſibilis cum ejus odio: ſed Angeli mali æternis ſuppliciis addicti Deum odio habent, & execrantur. Unde illud Pſalmi 73. v. 23. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.*

XXIII. Roboratur hoc. Saltem Angelus malus non diligit Deum dilectione naturali. Nam Angelus malus eſt averſus à Deo Auctore ſupernaturali: ſi autem diligeret Deum dilectione naturali, eſſet converſus ad Deum Auctorem naturalem; & proinde eſſet averſus à Deo, & converſus ad Deum, quod repugnat.

XXIV. Reſpondeo, diſt. ma. neceſſitate proveniente ex objecto, omitto ma. proveniente ex ſubjecto, nego ma. hoc autem modo neceſſitatur Angelus ad exercitium amandi Deum. Eſto enim Deum clarè, & intuitivè non videat ſecundùm ſua naturalia conſideratus, ſed abſtractivè ſolùm; habet tamen aliud æquivalens, quo neceſſitetur, nempè judicium determinatum, & invariabile, quo judicat, Deum eſſe ſummum bonum ordinis naturalis, ad quod omnia in tali ordine, & ipſe etiam, ordinantur; quâ cognitione ſit naturaliter beatus, & proindè neceſſitatus ad illum amandum in exercitio; quia ſummum bonum in aliquo ordine beatificans, & actu poſſeſſum, rapit ad ſuum amorem voluntatem. Adeſt quoque alia ratio, nempè perfectio naturæ ipſius Angeli, quæ ab initio petit habere perfectam cognitionem, & dilectionem ſui, & Dei Auctoris naturæ, cùm hæc ſit prima inter omnes ejus operationes; ſicut motus cordis omnium motuum in animalibus, vel motus primi mobilis, motuum inferiorum. Quare hujuſmodi cognitio, & dilectio fluit ab ipſo per modum proprietatis, ſicut motus cordis ab animali.

XXV. Ad confirm. reſpondeo, Angelos malos odio habere Deum, ut juſtum Judicem, quatenus ab eo felicitate ſupernaturali privantur, & ab eodem, ut Agente ſupernaturali pœnis torquentur. Cum hoc tamen ſtat, eos Deum amare amore naturali, ut bonum

num univerſale totius naturæ; & ſui eſſe Conſervatorem. Ita S. Tho. hâc q. 60. a. 5. ad 5. de Dæmonibus dicens: *Qui non vident eſſentiam ejus* (Dei) *cognoſcunt eum per aliques particulares effectus, qui interdum eorum voluntati contrariantur; & ſic hoc modo dicuntur odio habere Deum; cùm tamen inquantum eſt bonum commune omnium, unumquodque naturaliter diligat plus Deum, quàm ſeipſum.*

XXVI. Ad id, quod in robur adducitur, dico, non repugnare, quòd Angelus ſit converſus in Deum, ut finem naturalem phyſicè, & ſimul averſus ab eo, ut fine ſupernaturali moraliter: ſicut etiam homo in peccato mortali exiſtens reſpicere poteſt Deum, ut ultimum finem naturalem, quaſi phyſicè, non tamen moraliter. Sed de hoc fortè erit ſermo inferiùs. Interim notet Candidatus meus, cùm dico, in Angelo averſo à Deo Auctore ſupernaturali, adhuc manere dilectionem Dei, & converſionem ad Deum Auctorem naturalem, me non loqui de dilectione efficaci ſuper omnia, & appretiativâ adhuc in ordine naturali; hæc enim debet ſecum afferre, ut obediatur Deo omnibus modis, in quibus lex naturalis dictat eſſe obediendum, & conſequenter ſaltem indirectè, quòd obediendum ſit Deo Auctori ſupernaturali: ſed loqui de dilectione naturali Dei, quæ ſit veluti proprietas Angeli, & naturaliter ab ejus ſubſtantia effluat, ſicut motus cordis à natura animalis. Hanc dico dari in Dæmonibus, etſi averſis à Deo Auctore ſupernaturali; & poſſe dari etiam in homine exiſtente in peccato mortali. Sed hæc ſatis.

QUÆSTIO VII.

De perfectione Angelorum in eſſe gratia, & gloria.

HActenus de eſſe naturali Angelorum locuti ſumus: exiſtentiam eorum, productionem, naturam, & ea quæ ad eorum intellectum & voluntatem in ordine naturæ pertinent, examinantes. Nunc ad altiora contemplationem erigimus; ad ea ſcilicet, quæ eis conveniunt ut elevatis à Deo ad ordinem gratiæ & gloriæ, ſequentes D. Thom. 1. p. q. 62.

DUBIUM I.

An Angeli fuerint in ſua creatione beati?

§. I.

De Beatitudine naturali.

I. NOmine *beatitudinis intelligitur ultima perfectio rationalis, ſeu intellectualis naturæ; & inde eſt, quòd naturaliter deſideratur, quia unumquodque naturaliter deſiderat ſuam ultimam perfectionem.* Ita D. Thom. hâc q. 62. a. 1. *Ultima autem perfectio rationalis, ſeu intellectualis naturæ eſt duplex. Una quidem, quam poſſunt aſſequi virtute ſuæ naturæ; & hæc quodammodo beatitudo, ſeu felicitas dicitur: Unde & Ariſt.* l. 10. Ethic. c. 8. *perfectiſſimam hominis contemplationem, quâ optimum intelligibile, quod eſt Deus, contemplari poteſt in hac vita, dicit, eſſe ultimam hominis felicitatem. Sed ſupra hanc felicitatem eſt alia felicitas, quam in futuro expectamus, quâ videbimus Deum ſicuti eſt. Quod quidem eſt ſupra cujuſlibet intellectus creati naturam.* His S. Doctor beatitudinem diſtinxit in naturalem, & ſupernaturalem. Unde via aperitur, an Angeli creati fuerint in beatitudine naturali; an verò etiam in ſupernaturali.

II. Dico primò. Angeli creati fuerunt in beatitudine naturali. Probat D. Thomas. Angelus debuit ab initio habuiſſe omnem perfectionem ſuæ naturæ convenientem; non enim hanc acquiſivit ſucceſſivè per diſcurſum: ſed inter perfectiones naturæ intellectuali convenientes ſumma eſt beatitudo ſeu felicitas naturalis conſiſtens in altiſſima contemplatione Dei Auctoris naturæ; ergo hanc habuit ab initio.

III. Confirmatur. Omnes Angeli ſtatim ac conditi, perfectam cognitionem, & dilectionem Dei Auctoris naturæ habuerunt: ſi enim Adamo ab initio ſuæ conditionis utraque creditur fuiſſe conceſſa, antequam caderet, multò præſtantiùs omnibus Angelis antequam eorum aliqui ruerent in lapſum, conceſſa fuiſſe credenda eſt: ſed in utraque conſiſtit felicitas, & beatitudo naturalis; ergo &c.

IV. Hinc S. Auguſtinus *lib. 11. de Civit. Dei c. 13.* expreſsè dicit, credendum eſſe, quòd Angeli peccatores *aliquam beatitudinem haberent antequam caderent*; & lib. de Corrept. & gratia c. 10. *Diabolus* (inquit) *& Angeli ejus beati erant, antequam caderent.* Quia verò cum triſtitia, & miſeria beatitudo ſtare non poteſt, fuiſſent autem triſtes, ac miſeri, qui ceciderunt, ſi ſuum caſum præſciviſſent; ideò negat, eos ſui caſus præſcios fuiſſe: unde ſubdit: *Quia neſciebant ſuam futuram miſeriam, minore quidem, ſed tamen beatitudine ſine ullo vitio fruebantur. Nam ſi ſuum caſum futurum noſſent, æternumque ſupplicium, beati utique eſſe non poſſent, quos hujus tanti mali metus, jam tunc miſeros eſſe compelleret.*

V. Sed dices. De ratione beatitudinis eſt, quòd ſit inamiſſibilis: ſed aliqui Angelorum beatitudinem naturalem amiſerunt; ergo priùs beatitudinem non habebant.

Dimiſsâ ſolutione aliquorum, volentium, Angelos malos, etſi ſummè miſeros in ordine ſupernaturali, adhuc tamen beatitudine ſecundùm quid, ideſt naturali, gaudere, quam parum probabilem cenſeo; Reſpondeo, diſt. maj. quod ſit inamiſſibilis directè, conc. maj. indirectè, nego maj. Beatitudo directè quidem, & per ſe eſt inamiſſibilis; & ſi beatitudo etiam naturalis eſſet in ſubjecto non elevato ad ordinem ſupernaturalem, nullo modo amitti poſſet. Poſita tamen in ſubjecto ad ordinem ſupernaturalem elevato, qualis eſt Angelus, indirectè, & per accidens amitti poteſt, amittendo beatitudinem ſupernaturalem per peccatum contra legem ſupernaturalem; cùm nequeat componi beatitudo naturalis cum jactura beatitudinis ſupernaturalis. Hoc autem contigit in Angelis; horum enim aliqui peccando amittentes beatitudinem ſupernaturalem, indirectè amiſerunt etiam beatitudinem naturalem.

VI. Neque huic obeſt effatum ex Dionyſio deſumtum: *Naturalia in Dæmonibus remanſerunt integra.* Nam eſt exponendum de naturalibus ad eſſe purè phyſicum pertinentibus, qualia ſunt ſubſtantia, ſpecies intelligibiles, perſpicacitas cognitionis, & ſimilia; hæc enim in Dæmonibus remanſerunt integra. Non tamen de naturalibus prout connectuntur cum ordine morali, qualia ſunt cognitio practica, & rectitudo voluntatis erga ultimum finem; hæc enim in Dæmonibus vitiata fuerunt per peccatum.

§. II.

De Beatitudine ſupernaturali.

VII. Dico ſecundò. Angeli non fuerunt creati in beatitudine ſupernaturali. Ita D. Thom. relatus, his verbis: *ſed ultimam beatitudinem, quæ facultatem naturæ excedit, Angeli non ſtatim in principio ſuæ creationis habuerunt.* Et probat ſic: Beatitudo ſupernaturalis non eſt aliquid naturæ, ſed naturæ finis; ergo congruum non fuit, ut eam ſtatim à principio haberent, ſed priùs, ut ad eam obtinendam

dam tenderent, eam ſcilicet promerendo. Unde ibi ad 2. ait S. Doct. quòd ſicut creatura corporalis non ſtatim in principio habuit perfectionem, ad quam per ſuam operationem perducitur; *Unde ſecundùm Auguſtinum* (lib. 5. de Geneſ. ad litt. c. 4. & c. 23. & lib. 8. c. 3.) *germinatio plantarum ex terra non ſtatim fuit in primis operibus, in quibus virtus ſola germinativa plantarum data eſt terra: ita ſimiliter creatura angelica in principio ſua creationis habuit perfectionem ſua natura, non autem perfectionem, ad quam per ſuam operationem pervenire debebat.*

VIII. Prætereà: quiſquis fruitur viſione Dei, in qua ſupernaturalis beatitudo conſiſtit, felici quadam neceſſitate ita rapitur ad amandum Deum, ut nullo modo poſſit à Deo recedere, & peccare: Cùm ergo Angelorum plurimi peccarint, evidens eſt, eos caruiſſe viſione eſſentiæ Dei, nec fuiſſe ab initio ſaltem in ſtatu beatitudinis.

IX. In hoc conſpirant SS. PP. Auguſtinus *lib. de Corrept. & gratia c.* 10. (§. præced. citato) de Diabolo, & Angelis ejus loquens: *Etſi* (inquit) *beati erant, antequam caderent.* (beatitudine naturali) .... *erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium* (gratiâ Dei adjutum) *ſtetiſſent, donec iſtam ſumma plenitudinis beatitudinem, tanquam præmium iſtius permanſionis acciperent.* Et lib. 11. de Civit. Dei cap. 13. ait: *Hanc* (beatitudinem in Dei viſione conſiſtentem) *habere Angelos lucis piâ fide credimus: hanc nec antequam caderent habuiſſe Angelos peccatores, qui ſuâ pravitate illâ luce privati ſunt, conſequenti ratione colligimus.*

Idem docent S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 42. Idem S. Gregorius *lib.* 5. *Moral. c.* 27. (*nunc* 38.) & *lib.* 27. *c.* 25. *nu.* 39. & Damaſcenus *lib.* 2. *de Fide c.* 3. dùm docent, Angelos non fuiſſe creatos immobiles, ſed è bono in malum mutabiles; cùm verò Beati ſic non ſint mutabiles, fit, ut ſentiant, eos non fuiſſe in ſua creatione beatos.

Et ſanè: cùm fuiſſe à primo ſuæ conceptionis inſtanti immobiliter beatam, fuerit ſummum ex privilegiis Animæ Chriſti conceſſum; eò quòd eſſet Chriſtus Filius Dei naturalis, habens gratiam unionis hypoſtaticæ, cui titulo connaturalitatis gratia habitualis, & ipſa gloria debebatur; nec ullus ex præfatis titulis concurrat in Angelis, par eſt credere, eos tanto privilegio non fuiſſe ab inſtanti ſuæ creationis donatos, ut clarè Deum viderent, ſaltem permanenter.

X. An verò ſaltem tranſeunter ad Dei viſionem rapti, aut elevati fuerint (ut probabiliter ſuperiùs cùm D. Auguſtino, ex Thomâ ſenſimus de Moyſe, & D. Paulo) dubitant aliqui: tutiùs tamen parti neganti adhærere exiſtimo. Nam de Moyſe, & Paulo loca Scripturæ attulimus, ſuper quæ congruentiam ad hoc aſſerendum ædificavimus. At hoc Angelis, etſi ſuperioribus, fuiſſe conceſſum, nullo Scripturarum teſtimonio, nec probabiliter niti poteſt. Cùmque de eo, quod nonniſi ex ſpeciali privilegio factum ſit, aſſerere non poſſimus, niſi à divina revelatione aliquid nobis innotuerit; ideò viſione Dei adhuc tranſeunte Angelos in ſui creatione fuiſſe donatos affirmare non poſſumus.

XI. Dices tamen primò. Hoc privilegium Angelo ſaltem ſupremo fuiſſe conceſſum colligi ex Ezech. 28. v. 13. ubi de Diabolo ſub figura Regis Tyri dicitur: *In deliciis Paradiſi Dei fuiſti.*

Reſpondetur tamen, nomine *Paradiſi Dei* non intelligi viſionem beatam, ſed Cœlum Empyreum, quod Diabolo ante peccatum locus habitationis fuit; & deliciarum nomine omnia dona gratiæ, quibus ceu gemmis ornatus fuerat, & quibus Lucifer, cæterique cum eo peccantes ſpoliati fuerunt.

XII. Secundò. Afferes teſtimonia S. Auguſtini lib. 11. de Civit. Dei c. 9. ubi loquens de Angelis bonis: *Tantò*

(in-

(inquit) *eſt felicior illa portio, quantò nunquam fuit peregrinata à Deo*, & lib. 11. eodem, & capite ait: *Angeli à principio fuerunt participes lucis, & claritatis æternæ*, & l. 4. de Geneſ. ad litt. cap. 24. aſſerit, omnes Angelos fuiſſe creatos cum cognitione matutina; hæc autem eſt beatifica. Inſuper ibidem eos fuiſſe beatos aſſerit eâ beatitudine, quam nos ſperamus. Tandem *lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus c.* 9. docet, Angelos Sanctos in ea, in qua creati ſunt, beatitudine perſeverare.

XIII. Reſpondendum ad ſingula. Ad primum, Ludovicus Vives in ſuis Comment. ad præfatum textum cenſet S. Auguſtinum reverà ſenſiſſe Angelos Sanctos fuiſſe creatos In beata viſione, & in ea perſeveraſſe. Verùm in hoc ſingularis eſt; poteſt enim iſte textus variè exponi. Primò. Obſervando, S. Doct. dicere portionem illam felicem Angelorum nunquam peregrinatam fuiſſe à Domino; ab eo ſcilicet recedendo per peccatum, cùm tamen ad Deum peregrinata fuerit per fidem: aliud enim eſt peregrinari à Domino, ab eo recedendo per peccatum; aliud peregrinari ad Dominum, ambulando ad ipſum per fidem. Secundò. Dici poteſt SS. Angelos dici nunquam peregrinatos à Deo, quia nunquam ejecti fuerunt ab Empyreo, in quo creati ſunt; quemadmodum Angeli mali ejecti fuere, & Adam ejectus fuit è Paradiſo. Vel quia eorum peregrinatio per fidem adeò brevis fuit, ut quaſi non fuiſſet, reputetur. Prior tamen reſponſio videtur magis germana.

Quare ad aliud teſtimonium ex eodem capite dico, fuiſſe participes lucis, & claritatis æternæ à principio, quia gratiam participarunt à Deo, qui in ſeipſo eſt lux, & *à quo* (inquit) *ſi avertitur Angelus, fit immundus*, & in ea perſeverarunt.

Ad tertium verò teſtimonium dico, S. Auguſt. ibi non loqui de cognitione matutina propriè tali, qualis eſt cognitio rerum in Verbo clarè viſo; ſed de eadem impropriè, quâ cognovit *Verbum per ejus ſimilitudinem in ſua natura relucentem*, ut docet D. Th. hâc q.62.a.1.ad 3. Cæterùm ſi de cognitione matutina propriè tali loquatur, nempè pro ut eſt clara viſio Verbi, & rerum in Verbo; quantum ad Angelos qui ſunt in ſtatu beatitudinis, & quantùm ad ea, quæ in illo ſtatu cognoſcunt, cognitionem matutinam eſſe veſpertinâ priorem, lubens concedo: at ſi de eiſdem ab initio ſuæ creationis ſermo ſit, ſentio cum D. Thoma Q. 8. de Veritate art. 16. ad 8. nempè, quòd *Angelus in principio ſuæ creationis non fuit beatus, nec per eſſentiam Deum vidit; unde nec cognitionem matutinam habuit, ſed habuit veſpertinam, & ex veſpertina profecit in matutinam. Unde ſignanter primus dies mane non dicitur habuiſſe, ſed primò veſpere, quod veſpere tranſivit in mane; quia lux illa ſpiritualis, qua primo die facta dicitur, ſcilicet ſubſtantia angelica, ſtatim facta, ſeipſam cognovit, quod fuit cognitionis veſpertina, & hanc cognitionem retulit ad laudem Verbi, in quo facta eſt ei cognitio matutina; & propter hoc dicitur Gen. 1. factum eſt veſpere, & mane &c.* Si verò ibi, vel alibi aſſerit, Angelos eſſe beatos eâ beatitudine, quam nos ſperamus, intelligendus eſt de ſtatu beatitudinis præſenti, in quo ſunt Angeli Sancti; non verò de ſtatu, in quo ab initio fuerunt.

XIV. Ad id quod additur ex lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus, dico librum illum non eſſe S. Auguſtini fœtum legitimum, ſed vel Gennadii Maſſilienſis; vel certè hominis non Catholici: multis enim ſcatet erroribus. Addo, quod capite 9. ab Arguente citato ea verba non reperiuntur. Loquitur quidem de Angelis c. 11. & 12. quos corporeos eſſe dicit, & ſolùm Deum incorporeum; ſed de eorum beatitudine, nec verbum facit; quamvis ſi faceret, nihil nos moveret.

Afferri quoque ſolent pro contraria

ria opinione Baſilius in Pſalm. 44. dicens, quòd Angeli, in quo ab initio creati ſunt ſtatu, in hoc perpetuò remanent.

Gregorius etiam homil. 7. in Ezechiel. ſcribens, quòd cadentibus aliis, Sancti Angeli in ſua beatitudine perſtiterunt.

Sed Baſilius loquitur de immutabilitate Angelorum quoad ſubſtantiam; non enim creſcunt, aut decreſcunt ſicut homines, cum quibus ibi comparat Angelos.

S. autem Gregorius ſumit beatitudinem pro ſtatu felici, in quo, aliis in miſerias delapſis, Angeli Sancti perſtiterunt; imò in melius mutarunt, dùm à beatitudine merè naturali, & inchoatâ per gratiam, ad ſupernaturalem, & conſummatam per gloriam tranſlati ſunt.

DUBIUM II.

An Angelis neceſſaria fuerit Gratia, & quando, ac quomodo illam acceperint?

§. I.

Neceſſitas Gratiæ in Angelis.

I. Dico primò. Angelis fuit neceſſaria actualis Gratia, ut converterentur ad Deum Auctorem ſupernaturalem. Ita D. Thomas hâc *q. 62. a. 2.* & probat. Tùm quia aliòquin ſequeretur, eum non indiguiſſe gratiâ ad conſequendam beatitudinem, quod eſt contra Apoſtolum ad Roman. *6. v. 23. Gratia autem Dei, vita æterna*. Tùm quia nulla voluntas ferri poteſt in id, quod eſt ſupra naturam, niſi adjuta aliquo ſuperiori principio, & ſupernaturali, quod dicimus auxilium gratiæ. Unde eædem rationes, quibus ſuperius in Tractatibus de Scientia Dei, & Prædeſtinatione probavimus neceſſitatem gratiæ ad bona opera meritoria, & ad vitam æternam in nobis, quantum ad hoc militant quoque de Angelis.

II. Dixi quantum ad hoc: Nam ut obſervat D. Thomas *a. 2. citato ad 2.* nos ex duplici capite auxilio gratiæ indigemus; nempè, & quia converſio ad Deum Auctorem ſupernaturalem eſt ſupra naturam; & rursùs quia in natura noſtra per peccatum vitiata adeſt impedimentum, & reſiſtentia. Verùm in Angelo, eſto non fuerit neceſſitas gratiæ ex hoc ſecundo capite, quia nihil fuit in eo, quod converſioni repugnaret; fuit tamen neceſſitas gratiæ ad converſionem ex primo capite, ob exceſſum ſcilicet, & elevationem objecti, & finis ſupernaturalis, ad quem converti debebat. Unde concludit Angelicus Præceptor ſic: *Converti autem ad beatitudinem ultimam homini quidem eſt difficile, & quia eſt ſupra naturam, & quia habet impedimentum ex corruptione corporis, & infectione peccati: ſed Angelo eſt difficile propter hoc ſolum, quòd eſt ſupernaturale.*

III. Hinc patet, alienos eſſe à doctrina S. Thomæ (imo & S. Auguſtini ut ſuperiùs oſtendimus *in Tract. de Scientia Dei Quæſt. ultimâ Dub. 8. §. 3.*) Janſenium, alioſque S. Auguſtini, & Thomæ Diſcipuli inani nomine gloriantes; qui gratiæ actualis, & efficacis ad actum, neceſſitatem ad ſolum titulum ſanandi vulneris in homine per peccatum ſauciato exigentes, dicunt, in Angelis (ſicut & in homine innocente) ad actualem converſionem, & actu perſeverandum in ea, non fuiſſe neceſſariam aliam gratiam, præter eam, quam in ſui creatione acceperunt; ideòque non plus auxilii collatum fuiſſe Angelis perſeverantibus, quàm iis, qui ceciderunt. Cujus oppoſitum ſuperiùs citato loco oſtendimus, ſtatuentes, veram, eamque SS. Auguſtino, & Thomæ conformem eſſe ſententiam, Angelos ſive ad operandum, ſive ad actu perſeverandum indiguiſſe ſupra illam gratiam, quam omnes in creatione acceperunt, ulteriori auxilio dante illis actu operari, & perſeverare; quod cum aliquibus defuerit, actu non perſeverarunt.

runt. Quod ſanè dicendum eſt: aliàs Angeli perſeverantes poſſent in ſeipſis non in Domino gloriari; inflari poſſent, & ſuperbire contra non perſeverantes, quaſi ſeipſos ab iis diſcernentes, & quaſi eſſet in eis aliquid, quod à Deo non accepiſſent, nempè actu perſeverare; & proinde de ſua perſeverantia Deo gratias agere non tenerentur, contra mentem Apoſtoli locis à nobis ſuperiùs citatis. Quæ recolenda ſunt.

§. II.

Quando Angeli Gratiam habuerint.

IV. Dico ſecundò. Certum eſt, omnes Angelos habuiſſe Gratiam juſtificantem priuſquàm pervenirent ad terminum beatitudinis, vel ſupplicii: veroſimilius autem, eam in inſtanti creationis omnes habuiſſe. Ita D. Tho. citatâ q. 62. a. 3.

Prima pars probatur. De bonis quidem certum eſt, quia beatitudinem meruerunt: nullus autem mereri poteſt beatitudinem, ſine gratia juſtificante. De malis verò probatur. Quoniam de Diabolo dicit Chriſtus Jo. 8. v. 44. quod *in veritate non ſtetit*: ſtare autem in veritate, eſt permanere in juſtitia, & rectitudine; non ſtare autem in veritate, ſupponit priùs in veritate fuiſſe: unde Chryſoſt. *Homil.* 53. in Joann. *In veritate* (inquit) *non ſtetit, hoc eſt in vita rectitudine*; cui conſentit S. Leo *ſerm.* 20. *de Quadrageſima*. Idem ex Juda Apoſtolo colligitur in ſua Epiſt v. 6. ubi ſcribit, Angelos apoſtatas non ſervaſſe ſuum Principatum, ſed dereliquiſſe ſuum domicilium: quæ D. Hieron. in c. 3. Oſeæ ſic exponit: *Dæmones lapſi de propria dignitate, & nihil antiqua gratia poſſidentes, aridi ſunt*. Sed de hoc infra redibit ſermo.

V. Secunda pars (cujus oppoſitam Scholaſtici non pauci olim tenuerunt; adeò, ut D. Thomas in 2. diſt. 4. a. 3. dicat, ſuo tempore fuiſſe communiorem) modò tamen ut probabilior ab omnibus ferè poſt D. Thomam acceptata, probatur. Primò; quia, ut aſſerit ipſe S. Thomas, videtur magis conſona menti Sanctorum Patrum. Eam enim inſinuat S. Baſilius in Pſal m. 32. (Edit. noviſſimæ) dicens: *Non enim infantes creati ſunt Angeli, deinde paulatim exercitio perfecti, ſic facti ſunt digni qui ſpiritum reciperent: ſed in prima conditione unà cum ſubſtantia ſua quaſi mixtura infuſam habuere ſanctitatem*.

VI. Idem S. Auguſtinus, ſentit. Tùm *lib.* 11. *de Civit. Dei cap.* 11. his verbis: *Nullo quidem modo ſecundùm aliquod temporis ſpatium priùs erant illi ſpiritus tenebræ, quos Angelos dicimus; ſed ſimul ut facti ſunt, lux facti ſunt: non tamen ita tantùm creati, ut quoquo modo eſſent, & quoquo modo viverent; ſed etiam illuminati, ut ſapienter, beatèque viverent*. Tùm *lib.* 12. *c.* 9. In Angelis (inquit) bonam voluntatem *quis fecit, niſi ille, qui eos cum bona voluntate, ideſt cum amore caſto, quo illi adhærerent, creavit, ſimul eis & condens naturam, & largiens gratiam?* Et *l. de Corrept. & gratia c.* 10. tradit, omnes Angelos initio accepiſſe illud, per quod ſtare poſſent, etſi non omnes illud, per quod ſtarent.

VII. In hoc conſentiunt S. Proſper (ſeu veriùs Julianus Pomerius natione Maurus profeſſione Rhætoricus, qui claruit circa ann. 498. ut Eruditi Recentiores ſentiunt) *lib.* 1. *de Vita contemplativa c.* 3. Damaſcenus *lib* 2. *de Fide c.* 3. ubi ait: *Per Verbum omnes Angeli creati ſunt, & Sancto Spiritu ſanctificante conſummationem acceperunt; ut pro ſua quiſque dignitate, & ordine ſplendoris, gratiæque participes eſſent*. Et c. 4. de Diabolo (inquit) *Cùm non naturâ malus conditus, ſed cùm bonus eſſet, bonique cauſa factus eſſet..... ſplendorem illum, ac honorem, quem Creatoris beneficio conſecutus erat, non ferens, liberâ voluntate... immutatus eſt &c.*

VIII.

Digitized by Google

VIII. Favent etiam Scripturæ, ut illud *Iſaiæ* 14. *v.* 12. ubi de Diabolo ſub figura Regis Babylonis dicitur: *quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris*. Et *Ezechiel.* 28. *v.* 13. de eodem ſub figura Regis Tyri legitur: *In deliciis Paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum &c.* Et v. 15. *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te*. Quæ de donis gratiæ intelligunt Patres.

IX. Accedit & ratio, ſeu veriùs congruitas. Primam inſinuat D. Thomas in 2. diſt. 4. a. 3. citato. Sicut ſe habet materia ad formam, ita natura ad gratiam: ſed Deus non creavit priùs materiam informem, ac deinde eam formâ ornavit, ſed ſimul cum materia formam; ergo ſimiliter Deus non priùs naturam angelicam condidit, & deinde eam gratiâ donavit, ſed ſimul fuit condens naturam, & largiens gratiam, ut ſupra cum S. Auguſt. dicebamus. Quare concludit D. Thomas citatus, opinio contraria fundatur in altera, *quæ ponit omnia ſimul in materia, non autem per ſpecies diſtinctas creata*.

X. Secundam tradit hâc *q.* 62. *a.* 3. Sic: Gratia eſt quoddam Dei ſemen, ut 1. Joann. 3. dicitur: ſed creaturæ corporales in ſua creatione habuerunt rationes ſeminales omnium effectuum naturalium, & unde poſſent ad ſuos fines pervenire; ergo & creaturæ ſpirituales, ſcilicet Angeli, habuerunt in ſua creatione gratiam, quæ eſt ſemen operum ſupernaturalium, quibus tendere poſſent ad beatitudinem, ad quam erant conditi.

Accedit etiam, quia primus homo conditus fuit in gratia ut *q.* 95. *a.* 1. docet D. Thomas; ergo ſimiliter Angelus: ſi enim decens fuit, ut homo haberet in ſui conditione gratiam, quâ eſſet diſpoſitus ad beatitudinem ſibi præfixam, cur non & Angeli?

XI. Dices tamen primò. *Job.* 4. v. 18. ubi legimus nos: *& in Angelis ſuis reperit pravitatem*, Hæbræi legunt: Et *in Angelis ſuis non poſuit laudem, vel lucem*, hoc eſt gratiam.

Deinde *Joann.* 8. *v.* 44. de Diabolo dicitur: *ille homicida erat ab initio*. Et 1. Joann. 3. v. 8. *ab initio Diabolus peccat*.

Reſpondetur tamen, ſenſum textus ex Job, eſſe, quòd in Angelis, in quibus reperit pravitatem, Deus *non poſuit*, ideſt non *firmavit*, aut *ſtabilivit* perſeverantiæ dono lucem, ideſt gratiam, ſicut in aliis.

Ad alios verò textus ex Joanne reſpondet S. Auguſt. lib. 11. de Civit. Dei cap. 15. *Illud, quòd* ab initio Diabolus peccat, *non ab initio, ex quo creatus eſt, peccare putandus eſt: ſed ab initio peccati, quòd ab ipſius ſuperbia caperit eſſe peccatum*. Quam reſponſionem amplectitur D. Thom. 1. p. q. 63. a. 5. ad 1. addens: *ſed ab initio peccati, ſcilicet, quia nunquam à peccato receſſit*.

XII. Dices ſecundò. Auguſt. *l. de Correpț. & grat. c.* 10. dicit, ſic Deum ordinaſſe Angelorum, & hominum vitam, ut in ea priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium; deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium.

Reſpondeo, D. Auguſtinum non ſumere ibi liberum arbitrium omni deſtitutum gratia etiam habituali, & ſufficiente, quam vocat *adjutorium ſine quo*; ſed deſtitutum gratiâ actuali, & dante actum perſeverantiæ, quam vocat *adjutorium quo*; propterea ſic diſpoſuit, ut quibuſdam hac non daretur, ut oſtenderet, quid poſſet liberum arbitrium ſine illa, etſi gratiam ſufficientem haberet.

Aliter etiam reſpondet S. Thomas 1. p. q. 95. a. 1. ad 3. *quòd ex illa auctoritate Auguſtini, non habetur, quòd Angelus, vel homo priùs fuerit creatus in naturali libertate arbitrii, quàm habuiſſet gratiam: ſed quòd oſtendit, quid in eis poſſet liberum arbitrium ante confirmationem, & quid poſtmodum conſecuti eſſent per auxilium gratiæ confirmantis*.

XIII. Dices tertiò. Gratia me-

dium locum habet inter naturam, & gloriam; ergo ſicut ordine temporis gratia fuit in Angelis ante gloriam, ita natura fuit ante gratiam.

Reſpondet D. Tho. hâc q. 52. a. 3. ad 3. *Quod quamvis gratia ſit medium inter naturam, & gloriam ordine naturæ: tamen ordine temporis in natura creata non debuit ſimul eſſe gloria cum natura, quia eſt finis operationis ipſius naturæ per gratiam adjutæ. Gratia autem non ſe habet ut finis operationis, ſed ut principium benè operandi: & ideò ſtatim cum natura gratiam dare conveniens fuit.*

XIV. Dices quartò. Saltem in Angelis, qui peccaverunt non fuit ab initio gratia: aliàs cùm non fuiſſet in eis aliquod retrahens, impetum gratiæ ſecuti fuiſſent dirigentis in Deum, & ſic non cecidiſſent.

Reſp. D. Tho. loco mox citato ad ſecundum, neg. ſequelam. Nam *omnis forma inclinat ſuum ſubjectum ſecundùm modum naturæ ejus. Modus autem naturalis intellectualis naturæ eſt, ut liberè feratur in ea, quæ vult. Et ideò inclinatio gratiæ non imponit neceſſitatem, ſed habens gratiam poteſt eâ non uti, & peccare.* Nec obeſt, quòd non adſit aliquid retrahens: nam ait idem Sanctus Doct. in 2. diſt. 4. a. 3. ad 5. *Non poteſt concludi, quòd habens gratiam à bono diverti non poſſit, etiamſi nihil habeat retrahens, niſi ſit perfecta gratia, quæ fini conjungat, qualis eſt in Beatis; quia habens gratiam non agit ex neceſſitate gratiæ: ſicut nec neceſſitate naturæ, quæ in bonum etiam ordinata eſt, ſed ex libertate voluntatis.* De hoc alia inferiùs, cùm ſtatuetur, Angelum in primo inſtanti non peccaſſe, & hominem in gratia conditum fuiſſe.

§. III.

Quomodo Angeli gratiam acceperint.

SEnſus quæſiti eſt; an Angelus gratiam primò acceperit, ad eam propriis actibus ſe diſponendo, eo modo, quo homines adulti eam recipiunt; an verò per infuſionem à Deo, nihil cooperando, ut eam recipiunt infantes.

XV. Dico tertiò. Omnes Angeli ſtatim ab initio acceperunt gratiam Sanctificantem per propriam diſpoſitionem: ſtatim enim ac creati, omnes ſemetipſos per caritatem retulerunt in Deum, quâ diſpoſitione à Deo gratiam ſanctificantem conſecuti ſunt. Hoc colligo ex D. Thoma: tùm hâc *q. 62. a. 6.* ubi ſtatuit, quòd Angeli, qui habuerunt meliora naturalia habuerunt plus de gratia, & gloria: *quia fortiùs, & efficaciùs ad Deum ſunt converſi.* Tùm *1. 2. q. 24. a. 3. ad 3.* ubi oſtendit, Angelos ſuperiores majorem, & intenſiorem gratiam accepiſſe, quia in illis fuit major conatus ad bonum. Nota tamen, illum majorem conatum non fuiſſe ex naturæ viribus, ſed viribus gratiæ moventis: unde D. Th. ibi ad 1. *ſed hanc etiam diſpoſitionem* (inquit) *vel conatum prævenit Spiritus Sanctus movens mentem hominis* (vel Angeli) *plùs, vel minùs.*

XVI. Colligo etiam ex eodem S. Doctore 1. *p. q. 95. a. 1. ad 5.* docente, primum hominem in primo inſtanti ſuæ creationis gratiæ conſenſiſſe, ac ſubinde per motum liberi arbitrii gratiâ movente adjutum, ad eam ſe præparaſſe. Cur ergo idem dici non debebit de Angelis? Rursùs: ſi hominibus adultis, quia capaces ſunt libertatis, & uſus illius, præ infantibus, gratia juſtificationis non confertur, niſi mediâ propria diſpoſitione, & idem eâdem ratione contigit Adamo; potiori certè ratione id Angelis contigiſſe credendum eſt; qui uſum expeditiorem ſuæ libertatis ab initio habuerunt.

XVII. Credendum igitur eſt, Angelos in primo inſtanti ſuæ creationis habuiſſe duos actus converſionis in Deum; unum quidem naturalem in ipſum, ut Auctorem, & finem ordinis naturæ, qui fuit neceſſarius quoad ſpecificationem, & exercitium, ut *Quæſt. præcedente dub. 2. §. 2.* oſtenſum

Digitized by Google

ſum eſt : alterum autem ſupernaturalem in Deum, ut Auctorem, & finem ordinis gratiæ, qui fuit neceſſarius quidem quoad ſpecificationem, liber tamen quoad exercitium; & hic fuit actus ferventiſſimæ caritatis, quo diſpoſitivè ſanctificati ſunt, & ita ſuâ diſpoſitione gratiam ſuſceperunt. Ex his duobus actibus, unus, nempè converſio ad Deum Auctorem, & finem naturalem, fuit prior altero, nempè converſione ad Deum Auctorem, & finem gratiæ, non quidem prioritate durationis, ſed naturæ; cum natura ſit prior gratiâ, & fundamentum ipſius.

XVIII. Neque eſt impoſſibile duos actus realiter diſtinctos ab Angelo in eodem inſtanti elici, ſi tamen ſint invicem ſubordinati, & circa idem objectum, quales ſunt præfatæ duæ converſiones in Deum. Nam eſto inſtantia angelica ex angelicis operationibus multiplicentur, unaquæque enim Angeli operatio conſtituit unum inſtans; hoc tamen intelligitur de operationibus invicem non ſubordinatis, nec ſe habentibus per modum unius, qualiter ſe habent converſio ad Deum ut Auctorem, & finem naturæ, & converſio ad eundem, ut Auctorem, & finem ordinis gratiæ.

XIX. Non latet, S. Thomam Q. 16. *de Malo a.* 4. docere, Angelum ſolum ea poſſe ſimul cognoſcere, quæ illi repræſentantur per unam ſpeciem; & ideò *in ea, quæ ſecundùm unam ſpeciem Angelus apprehendere non poteſt, neceſſe eſt, ut moveatur in diverſis inſtantibus ſui temporis*. Ex quo concludit, quòd *ſi non omnia naturaliter cognita propter eorum diſtantiam poteſt Angelus apprehendere per unam ſpeciem, & ſimul; multò minus poteſt ſimul moveri in naturaliter cognita, & in ſupernaturalia, quę ſunt gratuita.* Ex quo tandem ſtatuit, Angelum in primo inſtanti ſolùm converſum fuiſſe ad naturalem ſui cognitionem, ſecundum quam cùm peccare non potuerit, ideò in eo primo inſtanti peccare non potuit.

XX. Sed reſpondeo, S. Thomam loco citato locutum fuiſſe in ea opinione, quam in 2. diſt. 4. q. 4. a. 3. dicit ſuo tempore fuiſſe communiorem [ut ſupra notavimus] nempè quòd Angeli non in gratia, ſed in naturalibus tantùm creati ſint. Cæterùm ſicut ibi magis propendit in opinionem oppoſitam; ita hìc in ſumma aſſertivè eam profitetur, ut oſtendimus. Non ſolum enim hàc *q.* 62. *a.* 4. ſtatuit, Angelos fuiſſe creatos in gratia; ſed *q.* 63. *a.* 5. *ad* 3. *&* 4. expreſsè docet, quòd omnes Angeli in primo inſtanti potuerunt mereri, & de facto meruerunt, quamvis peccare non potuerint. Imò ibidem in corpore afferens rationem de duabus operationibus invicem ſe conſequentibus, quæ in eodem inſtanti eſſe non poſſunt, ait: *Sed hæc ratio non videtur ſufficiens: habet enim ſolùm locum in motibus temporalibus, qui ſucceſſivè aguntur; ſicut ſi motus localis ſequitur ad alterationem, non poteſt in eodem inſtanti terminari alteratio, & localis motus: ſed ſi ſunt mutationes inſtantaneæ, ſimul & in eodem inſtanti poteſt eſſe terminus primæ, & ſecundæ mutationis, ſicut in eodem inſtanti, in quo illuminatur Luna à Sole, illuminatur aer à Luna. Manifeſtum eſt autem, quòd creatio eſt inſtantanea, & ſimiliter motus liberi arbitrii in Angelis, non enim indigent collatione & diſcurſu rationis.... Unde nihil prohibet ſimul, & in eodem inſtanti eſſe terminum creationis & terminum liberi arbitrii.*

XXI. Quòd autem Angelus non poſſit ſimul plura objecta naturalia cognſcere, non ideò præcisè eſt quia diverſis ſpeciebus cognoſcuntur; ſed quia cognoſcuntur diverſis ſpeciebus diſparatis, & nullum ordinem inter ſe habentibus. Cùm ergo actus converſionis in Deum Auctorem naturæ, & gratiæ, eſto ex diverſis ſpeciebus procedentes, ſint ſubordinati, & per modum unius idem objectum, eſto ſub diverſa ratione, reſpiciant; per eos (inquit S. Thom. in 2. diſt. 4. q. 1.

Digitized by Google

a. 3. ad 1.) *non deſignatur ſucceſſio temporis, ſed ordo naturæ tantùm, ſecundùm quod in via generationis eſt imperfectum ante perfectum.* Et hæc eſt genuina, & ultima S. Doctoris mens. Unde *q.* 62. 1. *p. a.* 7. *ad* 3. apertè dicit: *quòd duæ operationes non poſſunt eſſe ſimul unius potentiæ, niſi una ad aliam ordinetur. Cognitio autem & dilectio naturalis ordinantur ad cognitionem, & dilectionem gloriæ. Unde nihil prohibet, in Angelo eſſe, & cognitionem & dilectionem naturalem, & cognitionem, & dilectionem gloriæ.*

XXII. Non ſequitur tamen, quòd ſi omnes Angeli in primo inſtanti ad Deum Auctorem gratiæ converſi ſint, aliqui eorum in ſecundo inſtanti à Deo averti, & peccare non potuerint; cùm Angelus ſit talis naturæ, ut cui objecto ſemel adhæſit, ſemper adhæreat.

XXIII. Nam hoc eſt verum, quando Angelus adhæret alicui objecto, ut ſe ex ſe movens ex plena, & perfecta deliberatione; ſecùs ſi adhæreat, ut motus à Deo ſpecialiter, liberè quidem, ſed non ex perfecta electione, & deliberatione, ut Angelo contigiſſe in primo inſtanti ſuo loco dicetur.

XXIV. Quare autem Chriſtus gratiam habitualem non acceperit per propriam diſpoſitionem, ut Angeli, ratio eſt. Quia, ut ait D. Tho. 3. *p. q.* 2. *a.* 11. nihil in Chriſto concipere poſſumus, quod præceſſerit, & quo ſe diſpoſuerit ad gratiam habitualem: non quidem tempore; non enim ponimus, quòd ante fuerit purus homo, & poſtea per meritum bonæ vitæ obtinuerit eſſe Deo gratus, & Filius Dei, ſicut poſuit Photinus: ſed quòd à principio ſuæ conceptionis verè fuerit Filius Dei, ita ut ante, nec pro priori naturæ habuerit aliam hypoſtaſim, qua poſſet operari; & ideò omnis operatio illius conſecuta eſt & tempore, & naturâ ad unionem, & conſequenter etiam ad gratiam habitualem, quæ veluti proprietas ex unione reſultat.

Angeli autem, quamvis habuerint gratiam ſibi concreatam, potuerunt tamen ſe ad illam diſponere, quia pro priori ad eam ſupponebantur ſubſiſtentes, & potentes operari: unde cum auxilio ſupernaturali ſtatim illis conceſſo eodem inſtanti quo creati ſunt, potuerunt actum amoris, ac perfectæ in Deum Auctorem gratiæ converſionis elicere, quo ad gratiam recipiendam ſe diſponerent, quæ in eodem inſtanti reali cum prioritate, & poſterioritate naturæ perfici potuerunt.

DUBIUM III.

De merito, & via Angelorum.

§. I.

De merito Angelorum.

I. Dico. Angeli, qui ſteterunt, de facto meruerunt beatitudinem; idque priùs tempore, quàm eam fuiſſent adepti. Utraque pars eſt D. Thomæ hàc *q.* 62. *a.* 4. Priorem probat ſic: Omnis Creatura, quæ ſibi non eſt ſuus finis, ſicut Deus, perduci debet ad illum, & proinde ad beatitudinem, quæ ejus ultimus finis eſt, per aliquam ſuam operationem; vel factivam finis, quando finis propter quem operatur non excedit virtutem ejus, ſicut medicatio eſt factiva ſanitatis; vel meritoriam finis, quando finis excedit virtutem operantis propter finem, & propterea expectatur ex dono alterius: ſed beatitudo ſupernaturalis excedit naturam nedùm humanam, ſed angelicam, & unicè ex dono Dei eſt; ergo homo, & Angelus ad eam conari non poſſunt, niſi operatione, quæ ſit meritoria illius.

II. Ulteriùs: Ex dictis, Angelus creatus fuit in gratia, per converſionem ad Deum Auctorem gratiæ ad gratiam ſe diſpoſuit, cum gratia, & per gratiam Deum dilexit; ſed qui diligit

Deum

Digitized by Google

Deum, meretur, ut diligatur à Deo, dùm eſt in via per uberiorem gratiam, & tandem per gloriam, cujus gratia ſemen eſt; ergo &c.

III. Præterea: Natura Angeli ita capax eſt merendi beatitudinem, ſicut homo adultus. quia donata gratiâ, & libero arbitrio; ergo eâ ratione, quâ homines adulti non perveniunt ad gloriam, niſi ut ad præmium, & conſequenter per meritum, multò magis angelica natura, quæ aptior, & excellentior eſt.

IV. Neque obeſt, quòd Chriſtus, ut homo, ſuam beatitudinem conſecutus ſit ſine propria operatione, & meritis. Nam hoc ideò fuit, quia Chriſto etiam ut homini, ratione unionis cum Suppoſito divino, beatitudo erat naturalis, & debita tanquam conſequens naturam divinam, quæ illi in Suppoſito communicabatur; quod in Angelis non currit. Quare Chriſtus eam habuit in primo ſuæ conditionis inſtanti, Angeli autem non.

V. Sancto Thomæ in hac veritate, ſicut in cæteris, præivit S. Auguſtinus, præcipuè *lib. de Correp. & gratia cap.* 10. & 11. ubi de primo homine loquens, cui Deus conceſſerat adjutorium, quo poſſet perſeveranter bonum tenere, ſi vellet, inquit: *Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet. Sicut fecerunt Angeli Sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus permanſionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam ſcilicet beatitudinis plenitudinem, quâ eis certiſſimum ſit, ſemper ſe in illa eſſe manſuros.*

VI. Secunda etiam pars ab eodem D. Thoma citato ſic probatur: Si Angeli non meruerunt beatitudinem per actus tempore præcedentes beatitudinem; vel eam meruerunt per actus conſequentes beatitudinem; vel per actus eam concomitantes: ſed neutrum eſt veriſimile. Non primum; nam hoc eſt contra rationem meriti, quod habet rationem viæ ad terminum; via autem non ſequitur poſt terminum; & ſicut ei, qui jam eſt in termino, non convenit moveri ad terminum, ſic nullus meretur, quod jam habet: non ſecundum; nam gratia, quæ eſt principium merendi, eſt ex conditione ſubjecti nondum perfecta, & adhuc amiſſibilis; beatitudo verò eſt gratia perfecta conſummata, & prorsùs inamiſſibilis: ſed idem ſubjectum nequit ſimul informari gratiâ perfecta, & conſummata, & nondum perfecta nec conſummata; prorsùs inamiſſibili, & adhuc amiſſibili; ergo non videtur eſſe poſſibile, quòd ſimul fruatur, & mereatur ſuam beatitudinem.

VII. Dices. Chriſtus habuit ſimul actus Viatoris, & Beati, fuit beatus, & ſimul merebatur; ergo non eſt incompoſſibile eſſe beatum, & ſimul mereri.

Reſpondeo, inſtantiam contra Adverſarios retorqueri poſſe. Nam Chriſtus, quia beatus non meruit ſibi ſuam beatitudinem, ſed noſt am; ergo nec Angeli jam beati ſibi mereri poſſunt beatitudinem. Deinde hoc in Chriſto fuit particulare; quòd, cùm eſſet non tantùm homo, ſed Deus, & cùm eſſet caput noſtrum, ex quo omnes gratiam eramus habituri, haberet ſimul gratiam Beati, & Viatoris, inamiſſibilem tamen, & nullius capacem augmenti ob unionem ad Verbum; quod de Angelis dici nequit.

VIII. Sed adhuc dices. Non eſt repugnans, ut retribuatur merces pro laboribus, & meritis ſubſequentibus; ſicut Sancti Patres gratiam receperunt ex meritis futuris Chriſti; ergo potuit Angelis beatitudo conferri ex meritis, quæ poſtea comparaturi erant; ergo merces poteſt antecedere meritum ordine temporis.

Reſpondeo, poſſe antecedere, quando merces non eſt interna perfectio operantis, ſicut gratia quæ per merita Chriſti futura data fuit antiquis Patribus; hæc enim Chriſto extrinſeca

erat

erat: At cum merces eſt interna perfectio operantis, ſeu ipſi operanti intrinſecè rependitur, non poteſt eſſe in eo, vel ante meritum, vel ſimul cum merito; ſed debet ſequi ad meritum. Hinc eſto præmia Chriſto extrinſeca potuerint præcedere ejus Paſſionem, imò & Incarnationem; glorificatio tamen corporis, utpote ei interna, non niſi poſt Paſſionis meritum ſecuta fuit, dicente ipſo Luc. 24. v. 26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* & Angeli beati per officia, quæ hominibus impendunt merentur quidem majorem beatitudinem accidentalem, non tamen majorem beatitudinem eſſentialem.

§. II.

De via Angelorum.

IX. Cum ex dictis meritum Angelorum debuerit tempore præcedere eorum beatitudinem, & tempus merendi ſit tempus viæ; naſcitur dubium (& quidem ſolutu non facile) quanto tempore Angeli manſerint in ſtatu merendi, ſeu in ſtatu viæ, antequam qui perſeverarunt reciperent præmium beatudinis; qui verò lapſi ſunt, pœnæ, ac ſupplicio addicerentur æterno.

X. Suppono ex D. Thoma hac *q.* 62. *a.* 5. *ad* 2. & *q* 63. *a.* 6. *ad* 4. quòd in Angelis, qui non ſunt ſubjecti motui Cœleſti, tempus, & inſtantia accipiuntur ſecundùm ſucceſſionem operationum intellectus, vel etiam affectus. Quare dùm Angelus modò intelligit, & vult unum, deinde intelligit, & vult alterum, hi actus cognitionis & voluntatis ſibi invicem ſuccedentes conſtituunt diverſa inſtantia angelica, & diverſum tempus, diſcretum tamen, non continuum,

XI. Noto etiam, quòd ut operationes angelicæ conſtituant diverſa inſtantia, debent eſſe diverſæ, & de objecto diverſo; ſi enim, dum unus Angelus de uno actu tranſit ad alterum, alius in eodem actu perſeveret, ea quæ reſpectu primi ſunt duo inſtantia, reſpectu ſecundi idem inſtans eſt; quia in hoc non adeſt ſucceſſio operationum, ſed eadem operatio perſeverans.

XII. Suppono etiam ex dictis, quòd omnes Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis, ſeu ſuæ operationis meruerunt, deinde aliqui in merito continuarunt, alii in demeritum, & culpam lapſi ſunt, ideſt aliqui in Deo, quem ſtatim conditi amaverant, diligendo perſtiterunt; alii à Deo, quem priùs amaverant, ad ſeipſos amandos converſi ſunt: illi propterea facti fuere beati, iſti in æternum miſeri. Hæc fuit Angelorum via; breviſſima quidem. Unde quærimus, quot inſtantibus tàm in bonis, quàm in malis Angelis duraverit. Miſſis ergo variis opinionibus etiam inter Thomiſtas.

XIII. Dico primò. Via bonorum Angelorum duobus inſtantibus completa fuit; in quorum primo ſunt creati, & meruerunt, & in bono perſtiterunt; in ſecundo autem beatitudinem receperunt. Ita D. Thomas hâc q. 62. a. 5. dicens: *Angelus poſt primum actum caritatis, quo beatitudinem meruit, ſtatim beatus fuit*. Et ad 2. *oportet* (inquit) *diverſa inſtantia accipi, in quorum uno meruerit beatitudinem, & in alio fuerit beatus*. Probat autem in corpore art. ſic: Sicut Angelus ex ſua natura ordinem habet ad ſuam perfectionem naturalem, ita ex merito habet ordinem ad gloriam: ſed naturalem perfectionem non per diſcurſum, ſed ſtatim per naturam habet; ergo ſtatim poſt meritum habet beatitudinem. Et ſic unico inſtanti meritum, & via boni Angeli conſummationem accepere, & in altero beatitudo conſecuta eſt. Unico, inquam, realiter, quamvis æquivalenter duplici: nam prima ejus operatio bona perſeverans æquivaluit duplici operationi diſcontinuatæ malorum Angelorum, & proinde duplici inſtanti.

XIV. Dico ſecundò. Via malorum Angelorum tribus inſtantibus videtur fuiſ-

fuiſſe completa; in quorum primo cum cæteris meruerunt; in ſecundo peccaverunt; in tertio peccati pœnam receperunt. Docet enim S. Tho. *q.* 63. *a.* 6. quòd in primo inſtanti Diabolus meruit, & ſtatim poſt primum inſtans ſuæ creationis peccavit. Ecce duas operationes diverſas, & non ſubordinatas conſtituentes duo inſtantia angelica, nempè meritum, & demeritum. Tertium verò inſtans colligitur ex eodem principio. Cùm enim actus Angeli peccantis, & conſequenter pœnam merentis præcedat, & diverſus ſit ab eo, quo extra ſtatum viæ conſtitutus pœnam contra voluntatem recepit, nec ampliùs mereri valuit, neceſſe eſt, ut conſtituat diverſum inſtans; ſicut inſtans, quo boni Angeli in ſtatu beatitudinis, & extra ſtatum meriti poſiti ſunt, fuit diverſum; ſicque via malorum Angelorum tribus inſtantibus conſummata fuit, via verò bonorum Angelorum ſolis duobus, ut dictum eſt. Unde D. Thomas q. 63. a. 6. ad 4. *ſic igitur* (inquit) *inſtans primum in Angelis intelligitur reſpondère operationi mentis angelicæ, quâ ſe inſeipſam convertit per veſpertinam cognitionem: quia in primo die commemoratur veſpere, ſed non mane: & hæc quidem operatio in omnibus bona fuit. Sed ab hac operatione quidam per matutinam cognitionem ad laudem Dei ſunt converſi: quidam verò in ſeipſis remanentes facti ſunt nox, per ſuperbiam intumeſcentes, ut Aug. dicit 4. ſuper Geneſ. ad litt.* (c. 24.) *Et ſic prima operatio fuit omnibus communis, ſed in ſecunda ſunt diſtincti. Et ideò in primo inſtanti omnes fuerunt boni; ſed in ſecundo fuerunt boni à malis diſtincti.* Quæ ſatis.

QUÆSTIO VIII.

De Angelorum malitia quoad culpam.

Relictis Angelis, qui in bono perſeverarunt, ac ſibi beatitudinem meruerunt, ad eos, qui à bono per malitiam defecerunt, præſens Quæſtio ſe ſe convertit cum D. Thoma 1. p. q. 63. cujus ductum, ut in omnibus, ſequemur.

DUBIUM I.

Utrum malum culpæ poſſit eſſe in Angelis.

§. I.

Explicatio difficultatis.

I. Malum culpæ, ſeu peccatum, cùm ſit dictum, vel factum, vel concupitum, vel etiam omiſſio contra legem: & lex, alia ſit naturalis, quæ dictat ea, quæ ſecundùm naturam ſunt; alia ſupernaturalis, quæ dictat ea, quæ ſecundùm finem ſupernaturalem vitæ eternæ facienda, vel omittenda ſunt: ideò dupliciter peccare contingit, ſeu duplex poteſt eſſe peccatum: unum contra legem naturalem; alterum contra legem ſupernaturalem. Eſto autem ſuppoſita elevatione creaturæ rationalis ad finem ſupernaturalem vitæ æternæ, non poſſit dari peccatum contra unam legem, quod non ſit contra alteram; nec dari poſſit averſio à Deo Auctore, & fine naturali, quin ſit indirectè averſio etiam à Deo Auctore & fine ſupernaturali: ſi tamen creatura rationalis non fuiſſet ad ordinem ſupernaturalem elevata, peccatum illius eſſet purè contra legem naturalem. His ſuppoſitis præſens dubium inſtitui poteſt, vel de Angelo in præſenti ſtatu, quo ſupponitur elevatus ad finem ſupernaturalem; vel de eodem in hypotheſi, quòd in puris naturalibus fuiſſet relictus.

II.

Digitized by Google

II. Et quidem loquendo de Angelo in præſenti ſtatu elevationis ad finem ſupernaturalem, eum contra iſtum finem directè poſſe peccare, certum eſt de fide; cùm de facto plurimi Angelorum peccaverint, ut Scripturæ teſtantur. Quod ulteriùs probat D. Thomas hoc art. 1. Sed quia ejus ratio probat, non ſolùm de Angelis, ſed de quacumque alia creatura intellectuali; ideò priùs reſolvetur de creatura intellectuali in communi, ex quo, quid de Angelis dicendum ſit, apparebit: deinde de Angelis ſpecialiter, maximè in ordine ad finem naturalem.

§. II.

An detur vel dari poſſit natura creata impeccabilis tam contra finem naturalem, quàm ſupernaturalem?

III. Dico primò. De facto non datur, imò nec dari poteſt creatura aliqua intellectualis, quæ ex ſua natura ſit ſimpliciter, & in omni genere impeccabilis. Prior pars adeò certa eſt, ut oppoſitum aſſerens gravi cenſurâ meritò notari poſſet. Si enim Angeli, inter naturas intellectuales de facto creatas perfectiſſimi, peccabiles ſunt, & de facto multi peccarunt, ubi erit illa alia creatura de facto, quæ ex ſua natura impeccabilis ſit? *Ecce* (inquit Jo. 6. 4. v. 18. & 19.) *qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles; & in Angelis ſuis reperit pravitatem: Quantò magis hi, qui habitant domos luteas &c.* Quapropter ait Chriſtus Matt. 10. v. 17. *Unus eſt bonus, Deus.* Et Lucæ 18. v. 19. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi ſolus Deus*; ac ſi illi legis Doctori ipſum tentanti objiceret: (inquit Ambroſius in dictum caput Lucæ) *Quid me dicis bonum, quem negas Deum? .... Non ergo bonum ſe negat, ſed Deum ſignat.* Et D. Hieronymus in c. 6. ad Galatas, ex mente Pauli eſſe dicit; *excepta Trinitate, omnem creaturam, licèt non peccet, tamen poſſe peccare.* Quod intelligendum eſt ex propria natura creaturæ. Unde D. Thomas hac q. 63. a. 1. *Tam Angelus* (inquit) *quàm quæcumque creatura rationalis, ſi in ſua natura conſideretur, poteſt peccare. Et cuicumque creaturæ hoc convenit, ut peccare non poſſit, hoc habet ex dono gratiæ, non ex conditione naturæ.* Et S. Auguſtinus lib. 2. (aliàs 3.) contra Maximin. c. 12. De Angelis ait: *Qui non peccaverunt, peccare potuerunt. Et cuicumque creaturæ rationali præſtatur, ut peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed Dei gratiæ.* Quare non negatur, naturam aliquam creatam ſpeciali Dei gratiâ reddi poſſe impeccabilem; ut de humanitate Chriſti per unionem hypoſtaticam; de Beatis per viſionem beatificam ſentiunt Theologi; & etiam de B. Virgine Deipara, dum in Terris viveret.

IV. Secunda verò Pars (cujus oppoſitum fortè aſſerunt, qui ſubſtantiam creatam ſupernaturalem poſſibilem admittunt, quos rejecimus in *Tract. de Viſione Dei q. 1. dub. 2.*) probatur primò ratione D. Thomæ *q. 63. a. 1.* Creatura ex natura ſua impeccabilis talis eſſet, ut non poſſet declinare à rectitudine ſui actus in eſſe morali, & hoc ex natura ſua haberet: ſed repugnat talis natura, quæ ſit creata; ergo &c. Major patet, quia peccare eſt declinare à rectitudine, quam debet habere, ſivè in naturalibus, ſive in artificialibus, ſive in moralibus; ergo poſſe peccare eſt poſſe declinare &c. ergo non poſſe peccare eſt non poſſe &c. Min. prob. Ut virtus operativa non poſſet declinare à rectitudine ſuæ operationis, deberet, vel eſſe ſua regula, vel ſaltem cum regula rectè operandi moraliter ex ſe, & ex natura ſua eſſe conjuncta: ut enim manus Artificis declinare non poſſet à rectitudine in ſcindendo, deberet eſſe, vel ipſa regula ſcindendi, vel cum regula ſcindendi ita conjuncta, ut ab ea declinare in ſcindendo non poſſet:

Sed

Digitized by Google

Sed quia regula ſcindendi non eſt ipſa manus, nec manus naturaliter conjungitur cum regula ſcindendi; ideò manus à rectitudine in ſcindendo poteſt declinare. Sed nulla creatura poteſt eſſe ſua regula operandi moraliter, quia hæc eſt ſola voluntas divina; neque poteſt eſſe naturaliter conjuncta cum ſua regula, nempè cum voluntate divina, in operando moraliter, ut ab ea declinare, non poſſit; ſicut nec poteſt ita conjungi naturaliter cum eſſe, ſeu cum primo ente, ut abſolutè, & omnibus modis declinare non poſſit ab eſſe; ergo &c.

V. Confirmatur primò. Repugnat aliqua creatura, cui Deus teneatur dare ſuum concurſum ad eſſe, ut non poſſit eam deſtruere; ergo repugnat aliqua creatura, cui Deus ita teneatur dare concurſum ad benè agendum moraliter in omni genere, ut nequeat ſinere eam declinare à bono morali.

VI. Confirmatur ſecundò. Quia nulla creatura eſt ſuum eſſe, impoſſibilis eſt creatura, quæ ex ſe petat ita conjungi cum eſſe, ut abſolutè ab eſſe declinare non poſſit; ergo quia nulla creatura eſt ſua regula in operando, nulla creatura ita conjungi poterit cum regula rectè operandi, ut ab ea declinare non poſſit. Ex his conficitur.

VII. Secunda ratio, quam S. Auguſtinus, aliique Patres nobis exhibuerunt. Repugnat creatura, quæ non ſit ex nihilo; ergo repugnat creatura, quæ non ſit vertibilis de eſſe in non eſſe, & de bono in malum ex natura ſua, & proinde mutabilis, nedum in eſſe phyſico, ſed etiam in eſſe morali.

Ita S. Auguſt. lib. 12. de Civit. Dei c. 1. *dicimus itaque incommutabile bonum non eſſe, niſi unum verum beatum Deum: ea verò qua fecit, bona quidem eſſe, quòd ab illo; verumtamen mutabilia, quòd non de illo, ſed de nihilo facta ſunt*. Et c. 6. *Si quis quærat* (inquit) *cur quis ſibi fecerit voluntatem malam, inveniet, voluntatem malam non ex eo eſſe incipere, quòd natura eſt, ſed ex eo quòd de nihilo natura facta eſt*. Lib. inſuper 14. c. 13. de Adamo peccante: *ſed vitio* (inquit) *depravari, niſi ex nihilo facta, natura non poſſet. Ac per hoc, ut natura ſit, ex eo habet quòd à Deo facta eſt; ut autem ab eo quod eſt deficiat, ex hoc quòd de nihilo facta eſt. Nec ſic defecit homo, ut omnino nihil eſſet: ſed ut inclinatus ad ſeipſum minus eſſet, quàm erat, cùm ei, qui ſummè eſt, inhærebat*; concluditque, quòd Adam relicto Deo cæpit non quidem jam nihil eſſe, ſed *nihilo propinquare*.

VIII. Idem quoque S. Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum c.* 3. Inde probans, Deum *ſummum, atque incommutabile bonum, quia æternum bonum eſt, nullum habens defectum, quia non ex nihilo factum; nullum habens profectum, quia non habet initium*. Subjungitque: *Ideò quippe natura à Deo factæ proficere poſſunt, quia eſſe cæperunt: ideò deficere, quia ex nihilo facta ſunt*. Loqui autem eum de defectu non ſolùm phyſico, ſed etiam morali, patet ex antecedentibus, & etiam ex iis, quæ dicit c. 25. nempè, quòd Angeli beati non jam poſſunt *in deterius mutari*, non quia eis *ſit naturaliter inſitum, ſed poſtquam creati ſunt, gratia divina largitate collatum*.

Hoc pariter docent S. Gregorius *lib. 25. Moral. c. 5. modò 6.* dicens de natura humana lapſa per peccatum, quòd ideò mutabilis eſt, quia *ex nihilò eſt condita, & ex eo quòd creatura eſt, deorſùm ire debet*. Et Damaſcenus lib. 2. de Fide c. 3. *Quidquid* (inquit) *creatum eſt, mutationi quoque ſubſit neceſſe eſt; Id enim unum extra mutationis aleam illud eſt, quod increatum eſt*. Inde infert, quòd quia Angeli etiam natura libera eſt, *ut creata, mutabilis eſt, cui liberum ſit, vel manere in bono. & in eo proficere, vel in malum inflecti*. Et Anſelmus *lib. 2. cur Deus homo* c. 10. ad quæſitum: *Cùm Deus talem poſſet facere hominem* (ideſt Chriſtum, qui peccare non potuit) *cur non tales fecit Angelos, & duos primos homi-*

Digitized by Google

nes, ut ſimiliter, & peccare non poſſent? Reſpondet: *Quoniam nec potuit, nec debuit fieri, ut unuſquiſque eorum eſſet idem ipſe qui Deus.* En ergo Patres ex conceptu creaturæ factæ ex nihilo trahere, omnem creaturam rationalem eſſe peccabilem, nec aliter fieri poſſe; aliàs creatura ampliùs non eſſet, ſed Deus.

IX. Dices primò. Ex quo creatura ſit ex nihilo, inferri quidem, eam eſſe vertibilem in nihilum, quaſi phyſicum, non tamen in nihilum morale. Sicut ex eo, quòd omnis creatura, quia ex nihilo, eſt quidem defectibilis per annihilationem; non tamen ſequitur, eſſe defectibilem, etiam per corruptionem, ut patet in Angelis, & cœleſtibus Corporibus.

X. Reſpondeo, negando aſſumtum. Ex quo enim creatura ex nihilo ſit, fit, ut non ſit ipſum ſummum, & incommutabile bonum; nec ei ita determinatè adhæreat, quin poſſit ad aliud bonum particulare extra ipſum ſe ſe convertere, & ſic à regula recedere, & peccare; maximè loquendo de ſummo Bono ſupernaturali; cui ſi aliqua immutabiliter adhæret, dùm eſt beata, hoc [ait Auguſt. l. 12. de Civitate Dei cap. 1.] *non ex ſeipſa poteſt, quia ex nihilo creata eſt, ſed ex illo, à quo creata eſt.* Neque officit, quod opponitur. Nam eſſe ex nihilo infert quidem tanquam principium eſſe vertibile in nihilum tam phyſicum, quàm morale ex dictis; non infert tamen eſſe corruptibile propriè; nam principium corruptionis eſt materia non ſatiata unâ formâ: cùmque in Angelis non ſit materia; in Corporibus autem cœleſtibus eſto materia ſit, ſuâ tamen formâ ſatietur; ideò quamvis Angeli, & Cœli annihilabiles ſint, non ſunt tamen corruptibiles.

XI. Dices ſecundò. Cœli eſto ex nihilo, naturaliter ſunt in ſuis motibus indefectibiles. Natura item ſenſitiva brutorum eſt determinata ad bonum ſenſibile ut bonum, ad malum, ſenſibile ut malum, ſic, ut nec bonum poſſit ei per ſenſum proponi ut malum, nec malum, ut bonum; ergo ſimiliter cùm natura rationalis ſit perfectior, dari poterit natura cum intellectu ita determinato ad bonum rationale morale, ut non poſſit ei proponere bonum, ut malum, nec malum ut bonum.

XII. Reſpondeo, negando conſequ. Naturæ enim Corporum cœleſtium, & brutorum agunt ex neceſſitate, & ſunt determinatæ ad motus particulares, & particularia bona: natura verò rationalis ex ſua natura libera eſt, & bonum univerſale reſpiciens cum indifferentia; cùmque ex quo creata, & ex nihilo in illud mutabiliter, nec cum determinata adhæſione ſoli bono incommutabili, feratur; inde eſt, quòd ab illo, & à rectitudine declinare ex ſua natura poteſt. Et hoc diſcrimen debent concedere etiam Contrarii: alioquin, ſicut de facto Cœli, & naturæ brutorum indefectibiles ſunt circa proprias actiones; ita ſequeretur, de facto dari naturam rationalem ex ſua naturâ indefectibilem, quod ipſi negant. Nec propter hoc ſequitur naturam rationalem deterioris conditionis eſſe, ait S. Auguſt. l. 12. de Civit. Dei c. 1. *Nec ideò cætera in hac creatura univerſitate meliora ſunt, quia miſera eſſe non poſſunt. Neque enim cætera membra corporis noſtri ideò dicendum eſt oculis eſſe meliora, quia cæca eſſe non poſſunt. Sicut autem melior eſt natura ſentiens, & cùm dolet, quàm lapis, qui dolere nullo modo poteſt; ita rationalis natura præſtantior eſt etiam miſera, quàm illa, quæ rationis, vel ſenſus eſt expers; & ideò in eam non cadit miſeria.*

XIII. Dices tertiò. Nec quòd creatura intellectualis ſit ex nihilo; nec quòd in ſe non habeat omnem rationem boni; nec quòd non ſit ſua regula, obſtant, quin poſſit dari natura intellectualis creata impeccabilis; ergo &c. Ant. prob. Non obſtat primum: aliàs nec per gratiam reddi poſſet impecca-

peccabilis. Et etiam quia gratia, caritas, & virtutes morales ex nihilo ſunt; & tamen moraliter defectibiles eſſe non poſſunt. Tùm tertiò, quia Angelus ipſe quamvis ex nihilo, ex ſua natura eſt impeccabilis directè contra finem naturalem.

Non obſtat ſecundum. Nam Angelus in primo inſtanti non poteſt peccare; & tamen nec tunc habet omnem rationem boni.

Non obſtat tertium. Tùm eàdem ratione. Tùm, quia nec intellectus noſter, nec angelicus ſunt ſua regula; & tamen nec intellectus noſter errare poteſt circa prima principia, nec angelicus circa verum ſpeculativum.

XIV. Reſpondetur, negando ant. pro omnibus ſuis partibus: non enim convincunt contra nos. Non quidem prima: nam gratia dùm reddit naturam impeccabilem (ut in humanitate Chriſti, & in Beatis) eam non facit ex ſe, & ex natura impeccabilem; ſed ſolùm impedit, ne defectibilitas, quæ ſponte ex ipſa petit oriri, poſſit exire in actum ſuum; quod fit, non auferendo à tali natura, quòd ſit ex nihilo, ſed eam connectendo cum ſummo Bono, & cum prima regula moralitatis. = Gratia verò, caritas, & virtutes morales, quamvis ex nihilo ſint, non tamen verſantur circa bonum in communi cum indifferentia ad bonum ſive conſonum, ſive diſſonum rectæ regulæ, ut verſatur voluntas; ſed ſunt determinationes ad bonum morale, & participationes ſive formales, ſive virtuales divinarum perfectionum. Quare ſicut habitus pravus, quia eſt determinatio ad malum morale, nequit eſſe principium actionis bonæ moraliter; ita habitus bonus, quia eſt determitio ad bonum morale, nequit influere in actionem moraliter malam = Ad id, quod additur de Angelo, pro nunc dico: quòd habere principia operandi indefectibilia in ordine naturali, non eſt ſupra naturam entis creati, & facti ex nihilo; ſicut nec habere principia indefectibilia naturaliter in eſſendo: eſſet tamen contra, & ſupra naturam entis facti ex nihilo habere principia indefectibilia operandi etiam in ordine ſupernaturali, & connaturaliter eſſe determinatum ad bonum ſupernaturale; hoc enim nequit eſſe connaturale alicui ſubſtantiæ, niſi divinæ.

Neque convincit ſecundum. Nam quòd voluntas Angeli in primo inſtanti ſit determinata ad bonum ſupernaturale, ex hoc oritur, quia illa prima operatio incipiens cum eſſe ejus, ineſt ei à Deo ſpeciali Auctore, qui indefectibilis eſt, quod in aliis actionibus, quas ex propria deliberatione facit, non contingit; & ideò poteſt eſſe indefectibilis in prima, non autem in ſubſequentibus operationibus.

Eadem ratione non convincit tertium. = Ad id, quod additur de intellectu ſpeculativo ſive angelico, ſive humano, dico: intellectum humanum ex ſe poſſe conjungi cum habitu principiorum ipſum determinante ad veritatem primorum principiorum naturalium; & ideò circa illa non poſſe errando deficere, & multò magis intellectum angelicum, qui comprehendit omne verum ſpeculativum: at ex hoc ſolùm concluditur, quòd uterque intellectus ſit ex ſe determinatus ad aliquod verum particulare, non autem ad verum, ut ſic. Et hâc ratione etiam voluntas creata ad aliquod bonum particulare poteſt eſſe determinata, non verò ad bonum ut ſic, maximè abſtrahens à naturali, & ſupernaturali. Unde retorqueri poteſt argumentum.

Negari etiam poterat ant. de intellectu humano: hic enim habitu principiorum carere poteſt, & turpiſſimè errare etiam circa principia, ut D. Th. Q. 3. *de Malo art.* 13. & 2. 2. *q.* 154. *a.* 12. ſupponit.

* * *
* * * *
* *
*

§. III.

An Angeli per ſe primò, & directè peccare poſſint contra legem naturalem?

XV. Dico ſecundò. Angeli ſunt impeccabiles directè, & immediatè contra finem naturalem, undè ſi in puris naturalibus fuiſſent creati forent impeccabiles. Ita omnes Diſcipuli D. Thomæ, uno, vel altero excepto, & alii. Hoc apertè indicat S. Th. hâc *q.* 63. *a.* 1. *ad* 3. dicens : *naturale eſt Angelo, quòd convertatur motu dilectionis in Deum, ſecundùm quòd eſt principium naturalis eſſe. Sed quòd convertatur in ipſum, ſecundùm quòd eſt objectum beatitudinis ſupernaturalis, hoc eſt ex amore gratuito, à quo averti potuit peccando.* Ut ergo ſubſiſtat ſtatuta differentia, dici debet, Angelum non poſſe contra finem naturalem peccare, benè tamen contra finem ſupernaturalem. Idem docet Q. 16. *de Malo a.* 3. ubi loquens de peccato Diaboli. *Quidquid* (inquit) *aliud dici poteſt, quod ad ordinem naturæ pertineat, in hoc ejus malum conſiſtere non potuit.* Et rationem reddit. Quia *malum non invenitur in his, quæ ſunt ſemper actu, ſed ſolùm in his, in quibus potentia poteſt ſeparari ab actu*: ſed quiquid naturale eſt, Angeli ſtatim ab initio conditionis habuerunt, *tamen erant in potentia ad ſupernaturalia bona, quæ per Dei gratiam conſequi poterant.* Unde concludit: *relinquitur ergo, quòd peccatum Diaboli non fuerit in aliquo, quod pertinet ad ordinem naturalem, ſed ſecundùm aliquid ſupernaturale.* Quibus probat, peccatum Diaboli non fuiſſe in aliquo naturali, quia in hoc ordine, in quo erat ſemper in actu, peccare non potuit. Unde art. 5. ejuſdem quæſt. ad 10. *Liberum* (inquit) *arbitrium Diaboli non eſt naturaliter vertibile quantùm ad naturalia ſua, ſed ſolùm habet vertibilitatem reſpectu ſupernaturalium, ad quæ poteſt converti, vel ab eis averti.*

XVI. Ratio verò fundamentalis eſt. Angelus amat Deum Auctorem, & finem naturalem neceſſariò neceſſitate tùm quoad ſpecificationem, tùm quoad exercitium, ut ſuperiùs Q. 6. *Dub.* 2. §. 2. probatum eſt: ſed amor Dei Auctoris, & finis naturalis excludit omne peccatum contra Deum Auctorem naturalem, etiam poſſibile, ſi ſit neceſſarius, ut ab eo diverti non poſſit; ergo &c. Minor probatur à pari. Nam amor Dei finis ſupernaturalis, ſi ſit ſuper omnia, & neceſſarius, excludit omne pecatum etiam poſſibile contra Deum Auctorem ſupernaturalem, ut patet in Beatis; non enim compati poteſt cum libertate eligendi media moraliter contraria tali fini, ſed ſolùm cum libertate eligendi, hoc, vel illud medium conducens ad talem finem; ergo ſimiliter amor Dei ſuper omnia Auctoris, & finis naturalis &c. excludit omne peccatum, & potentiam peccandi contra Deum Auctorem, & finem naturalem.

XVII. Neque reſpondeas, hoc verum fore, ſi Angelus neceſſariò diligeret Deum Auctorem, & finem naturalem amore amicitiæ, ſeu benevolentiæ; ſecus verò ſi diligeret (ſicut de facto diligit) eum amore concupiſcentiæ, ut bonum ſibi; ut ſcilicet ab eo conſervetur.

Nam contra eſt. Amor, quo Angelus neceſſariò diligit Deum Auctorem, & finem naturalem, diligit eum non ſolùm ut bonum ſibi, ſed ut ſummum Bonum in ſe; diligit enim eum plùs quam ſeipſum, quia eum diligit ſicut pars ſuum totum, pars autem plus amat totum, quâm ſeipſam; ergo amat Deum non puro amore concupiſcentiæ, aliàs plus amaret ſeipſum, quàm Deum, ſed amore benevolentiæ.

XVIII. Secunda ratio eſt. Nequît eſſe poſſibile peccatum in voluntate, quin aliquis defectus moralis præcedat in intellectu: ſed in intellectu Angeli nullus præcedere poteſt defectus, etiam practicus, circa Deum

Aucto-

Auctorem, & finem naturalem: non erroris, aut ignorentiæ; horum enim angelicus intellectus capax non eſt: nec inconſiderationis; cùm Angelus ſit neceſſitatus ad actualem conſiderationem Dei finis naturalis. In his autem (*ait D. Th. Q. 16. de Malo a. 3. citato*) quæ ſunt ſemper actu, malum inveniri non poteſt, ſed ſolùm in his, in quibus potentia poteſt ſeparari ab actu; ergo &c. Cùmque hæc conſideratio Dei, à qua Angelus ceſſare non poteſt, ſit conſideratio, quæ movet eum ad amandum Deum ſuper omnia, ut finem naturalem; ſequitur, in eo non eſſe poſſibilem, nedum inconſiderationem ſpeculativam, ſed nec practicam, ſeu moralem.

XIX. Ex his infertur ſecunda pars. Si enim Angeli in puris naturalibus fuiſſent conditi, aliam cognitionem non habuiſſent, niſi Dei Auctoris, & finis naturalis: ſed contra Deum in tali ordine peccare non poſſent, ut oſtenſum eſt; ergo in tali caſu eſſent omni modo impeccabiles.

XX. At inquies. Si ita eſt; ergo Deus maximam Angelis quaſi injuriam fecit, elevando illos ad ordinem ſupernaturalem, in quo peccare potuerunt, imò eorum multi peccaverunt. Sed contra. Sicut enim (ut ſuperiùs §. præcedente num. 11. cum S. Auguſtino dicebamus) nulla eſt injuria, ſed maximum potiùs beneficium, quòd homini conceſſa ſit libertas, quæ denegata eſt lapidi, quamvis ex hoc ſequatur, quòd homo poſſit peccare, & fieri miſer, lapis verò non; quia poſſe peccare, & fieri miſera non habet libertas, ut à Deo eſt, à quo potiùs adjuvatur, ne peccet, ſed ex ſeipſa, ut ex nihilo eſt, & ex voluntate, quæ abutitur libertate: ità Angelos fuiſſe ad ordinem ſupernaturalem elevatos, maximum Dei beneficium fuit, quo eos fruitionis ſui ipſius capaces reddidit; & ne ab hoc fine declinarent omnibus auxilia dedit. Quod ſi aliqui tantum bonum in ſuam perniciem converterunt, & in æternum ſe miſeros effecerunt, eorum culpa fuit, non Dei.

XXI. Infertur ex his, quòd ſi Angeli in puris naturalibus conditi fuiſſent, in eis nulla fuiſſet capacitas merendi ſuam naturalem beatitudinem. Nam meritum in pura creatura non datur, niſi ad obtinendam ſuam beatitudinem tanquam præmium: cùm verò tunc Angeli in ſua naturali beatitudine fuiſſent creati, non fuiſſet eis neceſſarium ullum meritum; ſicut nec Sancti poſt adeptam beatitudinem, ampliùs merentur. Fuiſſent tamen liberi, non quidem in contemplatione, & amore Dei, & ſui, ſed in conſideratione, & amore aliarum creaturarum; ſicut Beati circa Deum, & ſeipſos neceſſitantur, ſed liberi manent circa alias creaturas.

XXII. Sed contra ſtatutum aſſertum objiciunt Scripturam, & Patres aſſerentes, omnem creaturam, nullâ factâ exceptione, eſſe ex ſua natura defectibilem; & textus à nobis ſuperiùs §. 1. allati ſunt.

Reſpondeo, Scripturam, & Patres ſolùm velle, omnem creaturam eſſe ex ſua natura defectibilem in eſſe, & operari abſolutè; ideſt nullam eſſe, quæ aliquomodo defectibilis moraliter non ſit, etiam in ordine naturali, ſive directè, & immediatè, ſive ſaltem indirectè, & per accidens; non autem velle omnem creaturam eſſe directè defectibilem circa finem naturalem; cùm non repugnet creatura, cui ſit connaturalis & debita adhæſio ultimo fini naturali, maximè ſi ſit creatura excellentiſſima in genere intellectuali, qualis eſt Angelus. Sicut enim excellentiſſima inter corpora, qualia ſunt Cœleſtia, in ſuis operationibus naturalibus ſunt indefectibilia; ita Angelus in ſuis operationibus cùm ſit neceſſitatus ad ſuum finem naturalem, eſt propterea indefectibilis circa illum.

XXIII. Sed dices. Hoc ſolùm probare, Angelum eſſe indefectibilem in ſuis operationibus naturalibus, & in hoc ſtare paritatem cum Corporibus Cœle-

Digitized by Google

cœleſtibus docet D. Thomas hâc q. 63. a. 1. ad 2. *ſed* (inquit) *ſupra actionem naturalem in Angelis eſt actio liberi arbitrii, ſecundùm quam contingit in eis eſſe malum.*

Sed contra ſic. Ergo ſecundùm D. Thomam ſicut in natura Corporum cœleſtium non poteſt eſſe malum, nec in operatione naturali eorum; ita neque in actione naturali Angelorum poteſt eſſe malum inordinationis: ſed actio Angeli directè tendens ad finem naturalem eſt naturalis, & neceſſaria, & non libera, ut probatum eſt; ergo in ea malum inordinationis contingere non poteſt.

XXIV. Nec dicas. Quia Angelus eſt per naturam incorruptibilis, quamvis ex Providentia ſupernaturali oppoſitum poſſit ei convenire, adhuc dicitur abſolutè incorruptibilis; ergo ſi Angelus eſt intra ordinem naturæ indefectibilis, eſto ut elevatus ad ordinem ſupernaturalem ſit defectibilis, adhuc erit abſolutè indefectibilis, quod SS. PP. negant.

Reſpondeo enim, diſcrimen eſſe, quòd eſſe deſtruibilem convenit Angelo ex Providentia Dei ſupernaturali operantis ſecundùm abſolutam potentiam, & ſupra curſum communem. At Angelus ita eſt indefectibilis directè intra ordinem naturæ, ut ſit directè defectibilis in ordine ſupernaturali, & ſecundùm communem Providentiam illius ordinis; & indirectè in ordine naturali: unde eſt abſolutè defectibilis.

XXV. Objiciunt ſecundò. Ideò Angelus directè peccare nequit contra finem naturalem, quia ſemper eſt in actuali dilectione Dei Auctoris naturalis: ſed hoc poſito, nequit peccare contra Deum Auctorem ſupernaturalem, quia nequit ſtare perpetua dilectio Dei in ordine naturali cum peccato gravi, & inimicitia Dei Auctoris ſupernaturalis; ergo &c.

XXVI. Reſpondeo, diſt. min. nequit ſtare dilectio Dei efficax ſuper omnia, & appretiativa cum peccato, co. min. dilectio Dei inefficax, & per modum quaſi proprietatis phyſicæ naturæ Angeli, nego min. Videantur, quæ diximus Q. 6. *Dub.* 2. §. 3. *num.* 26. non enim repetenda ſunt. Solùm addo, quòd Angelo peccante contra finem ſupernaturalem, eſto maneat dilectio Dei Auctoris naturalis phyſicè, & quo ad entitatem; non manet tamen in eo moraliter, & pro ut eſt amor Dei ſuper omnia, quo pacto incompoſſibilis eſt cum peccato, ob ſuperius dicta; ubi quoque patebit, quid dicendum ſit de Dæmonibus. Hi enim, dùm hominibus nocent, & peccant, id faciunt ex odio Dei Auctoris ſupernaturalis; ideòque directè peccant ſolùm contra legem ſupernaturalem, eſto indirectè etiam contra legem naturalem. Cùm enim lumen naturæ dictet, obediendum eſſe omni ſuo legitimo ſuperiori, & Deus, ut Auctor ſupernaturalis, ſit legitimus Angeli ſuperior; ideò Angelus ei non obediens, indirectè frangit legem naturalem. Similiter lex naturalis dictat non eſſe furandum, nec mendacium dicendum, non eſſe deſtructionem ſui appetendam: unde cùm Dæmones ex odio Dei Auctoris ſupernaturalis, & juſti in eos Vindicis, talia ſuadent hominibus, ut eos à regno Cœlorum avertant; dùm etiam deſiderant ſe non eſſe, ut à miſeriis eximantur, eorum peccatum, eſt quidem contra legem ſupernaturalem directè; ſed indirectè eſt etiam contra legem naturalem, quam frangunt.

XXVII. Objiciunt contra ſecundam partem. Si Deus creaſſet Angelos in ſolis naturalibus, potuiſſet denegare illis concurſum, & auxilium ad actu obſervanda præcepta naturalia: ſed in tali caſu Angeli peccarent directè contra legem naturalem; ergo &c.

XXVIII. Reſpondeo, negando majorem. Cùm enim Angelus ex natura ſua ſit impeccabilis directè contra legem naturæ, teneretur Deus præſtare illi ſuum concurſum ad actualem obſervantiam illius, ſi eum in ſolis naturalibus condidiſſet; aliàs peccatum illud, quod ex denegatione talis con-

cur-

Digitized by Google

curſus prodiret, Deo potiùs, quàm Angelo tribueretur. Quia, quando id quod de lege ordinaria fieri nequit, de lege, & potentia extraordinaria fit, talis effectus, vel ſoli Deo tribuitur; vel Deo ut cauſæ principali, & creaturæ, ut inſtrumento ſervienti Deo. Sicut cum ignis, cui debitè applicato debetur naturaliter actualis combuſtio, poſitus in Babylonica fornace, actu non combuſſit, denegante Deo ſuâ potentiâ abſolutâ concurſum ad actualem combuſtionem; illa non combuſtio, Deo ut ſpeciali Auctori tributa fuit, non igni, qui ex ſua natura petebat comburere: & ſi eidem Angelo, qui petit ex natura ſua in eſſe conſervari, Deus denegaret concurſum ad eſſe, & Angelus annihilaretur, Deus illius annihilationis Auctor eſſet. Cùm ergo Angelus ex natura ſua adhærens Deo naturali Auctori, ac legi ejus, poſitus in puris naturalibus peteret concurſum Dei ad actu legem naturalem obſervandam; ſi hunc Deus illi denegaret, ageret de potentia extraordinaria; & tranſgreſſio inde ſecuta, non prodiret ab intrinſecis naturæ angelicæ, Deo ſolùm eam permittente; ſed principaliter Deum haberet Auctorem, voluntatem verò Angeli ad ſummum, ut inſtrumentum in tali tranſgreſſione ſerviens Deo.

DUBIUM II.

Quodnam fuerit primum peccatum Angelorum?

§. I.

Quædam notantur.

I. SUppono cum D. Thoma hâc q. 63. a. 2. peccatum in aliquo poſſe eſſe dupliciter. *Uno modo ſecundùm reatum, alio modo ſecundùm affectum. Secundùm reatum quidem omnia peccata in Dæmonibus eſſe contingit: quia dùm homines ad omnia peccata inducunt, omnium peccatorum reatum incurrunt. Secundùm affectum verò illa ſolùm peccata in malis Angelis eſſe poſſunt, ad quæ contingit affici ſpiritualem naturam. Spiritualem autem naturam affici non contingit ad bona, quæ ſunt propria corpori, ſed ad ea, quæ in rebus ſpiritualibus inveniri poſſunt; nihil enim afficitur, niſi ad id, quod ſuæ naturæ poteſt eſſe quodammodo conveniens.* Ita D. Thomas.

II. De primo peccato Angeli variè opinati ſunt Veteres. Qui Angelos corpore præditos exiſtimarunt (de quibus fusè egimus ſupra *Quæſt.* 2. *Dub.* 1. §. 1. *nu.* 7. *&* §. 4. ferè per totum) dixerunt, tale fuiſſe Angelorum peccatum. Cùm enim Orbi huic adminiſtrando præpoſiti eſſent à Deo, mulierum capti ſpecie, ſtupri cum eis conſuetudinem habuerunt; ac propter impuritatis labem è Cœlo, ac Dei conſortio ſunt dejecti; hùc trahentes illud Geneſ. 6. v. 2. *Videntes Filii Dei*, (vel ut ferunt alii Codices, *Angeli Dei*) *filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Ita S. Juſtinus *in Apologia* 2. *pag.* 44. Clemens Alexandrinus *l.* 3. *Stromat. pag.* 450. & *lib.* 5. *pag.* 550. & alii, quos ſuperiùs citato loco §. 4. *à num.* 22. retulimus, ac refutavimus.

III. Alii putaverunt, Angelos invidiâ primùm lapſos fuiſſe, quòd trifariam exponunt. Quidam voluere, Angelos malos homini invidiſſe, eò quòd ad imaginem Dei factus, & expreſſus eſſet. Ita Greg. Nyſſen. *orat. Catechet. c.* 6. Ita quoque S. Cyprianus lib. de Zelo, & livore: *Ille* (inquit Diabolus) *dudum angelicâ majeſtate ſubnixus, ille Deo acceptus, & carus, poſtquam hominem ad imaginem Dei factum conſpexit, in zelum malivolo livore prorupit &c.* nec non Auguſtinus *lib.* 12. *de Geneſ. ad litt. c.* 14. qui tamen ex aliorum potiùs, quàm ſuâ loquitur ſententia. Quidam, ut Lactantius *lib.* 2. *Inſtit. c.* 9. *putavit*, Dæmonem invidiſſe Filio Dei,

quem

quem Pater produxerat ſimilem ſui ſpiritum, qui eſſet virtutibus Patris præditus. Alii verò, inter quos Bernardus *Serm.* 17. *in Cantica*, putant Diabolum invidiſſe homini quòd ipſum ſibi parem in gloria futurum præſciverit: *In livore ſuo* (inquit Bernardus) *invidit*, *& molitus eſt habere ſubjectos*, *ſocios dedignatus*. *Infirmiores ſunt*, *inquit*, *inferioreſque naturâ: non decet*, *eſſe concives*, *nec æquales in gloria*. Vel quòd propter hominem Verbum foret incarnandum, ut putat Fraſſen.

IV. Alii primum peccatum Angelorum volunt fuiſſe inordinatum ſui amorem, & quandam ſpeciem luxuriæ ſpiritualis, ſitam in nimia complacentia, & delectatione, quam habuit de ſeipſo. Ita Scotus in 2. *diſt.* 6. *q.* 2. quem ſequitur ejus Schola.

Tandem S. Thomas hâc *q.* 63. *a.* 2. omneſque ejus Diſcipuli, ſuſtinent, primum Angelorum peccatum fuiſſe ſuperbiam propriè dictam, quam invidia ſubſecuta eſt, ut dicemus.

§. II.

Reſolutio Dubii.

V. Dico. Primum Luciferi peccatum, ex quo invidia, & cætera peccata ſunt conſecuta, fuit ſuperbia propriè dicta. Ita S. Thom. hâc *q.* 63. *a.* 2. *& in* 2. *diſt.* 5. *q.* 1. *a.* 3. ubi obſervat, *quòd ſuperbia tribus modis accipitur*. *Uno modo*, *pro ut ſumitur habitualiter*, *ſcilicet quadam inclinabilitas*, *vel ex natura flexibilitate tantùm*, *vel ex fomitis corruptione ad ſuperbiam*, *& ſic dicitur: ſuperbia initium omnis peccati*. (Hoc autem modo ſuperbia peccatum non eſt, ſed ex peccato eſt, & peccati radix) *Alio modo dicitur ſuperbia ſecundùm quòd aliquis actualiter ſe effert extra præcepti limites*, *ut præcipienti non ſubjiciatur*: *& ſic non eſt ſpeciale peccatum*, *ſed quædam generalis conditio omne peccatum conſequens ex parte averſionis*. *Tertio modo dicitur ſuperbia inordinatus appetitus propriæ excellentiæ*, *& præcipuè in dignitate*, *vel honore*; *& ſic eſt ſpeciale peccatum*, *unum ex ſeptem capitalibus vitiis*: *& ſic primum peccatum Angeli ſuperbia fuit*. Ita D. Thomas, quod probat. *Tùm ex deſiderato*; *quia eminentiam dignitatis appetiit*. *Tùm etiam ex motivo*; *quia ex conſideratione propriæ pulchritudinis in peccatum ruit*.

VI. Hoc paſſim teſtantur Scripturæ, & Patres. Scripturæ quidem: nam Iſaiæ 14. *à v.* 11. ubi ſub perſona Regis Aſſyriorum deſcribitur peccatum Dæmonum, dicitur: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua*.... *Quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui manè oriebaris!*.. *Qui dicebas in corde tuo: in Cœlum conſcendam*, *ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum*, *ſedebo in monte Teſtamenti &c*. Certè hæc verba non aliud ſpirant, quàm elati, ac ſuperbi animi tumorem. Unde Tobias c. 4. v. 14. inter monita, quæ filio ſuo dedit: *Superbiam* (inquit) *nunquam in tuo ſenſu*, *aut in tuo verbo dominari permittas*; *in ipſa enim initium ſumſit omnis perditio*. Hinc Ambroſius Ep. 84. ait: *ſive in lapſu Diaboli*, *ſive in prævaricatione hominis*, *initium peccati ſuperbia eſt*. Et S. Auguſt. *in Pſalm.* 18. ad illa verba: *Et emundabor à delicto maximo*, delictum maximum intelligens illud, *quo cecidit Diabolus*, quod vocat occultum ſuum, & *quo ſeductus eſt homo*, quod vocat *alienum*, ſubdit: *Quo alio*, *niſi ſuperbia?* Idem S. Bernardus ſerm. 27. modò 66. de diverſis: *Primum* (inquit) *peccatum eſt factum in Cœlo per ſuperbiam prævaricatoris Angeli*. Et ſerm. 1. de Adventu: *fugite* (inquit) *ſuperbiam*.... *quæ non modò Angelum*, *ſed Angelorum primum in Diabolum commutavit*. Ac Demum *ſerm.* 69. *in Cant.* Angeli & hominis lapſum primò ex ſuperbia proceſſiſſe ait: *Ambo iniquitatem meditati ſunt*, *altitudinem affectantes*; *ille potentia*, *iſte ſcientia*.

VII. Propterea cùm Apoſtoli elati dicerent, Lucæ 10. v. 17. *Domine etiam* *Dæ-*

Digitized by Google

Dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo; Chriſtus mox ſubjecit illis: *Videbam Satanam velut fulgur de Cœlo cadentem* v. 18. ideſt (quod obſervat S. Gregorius lib. 23. Moral. c. 7. modò 6.) *ut in diſcipulorum cordibus elationem premeret, mox judicium ruinæ retulit, quod ipſe magiſter elationis accepit: ut in auctore ſuperbiæ diſcerent, quid de elationis vitio formidarent.* Quò reſpiciens Paulus 1. ad Timoth. 3. v. 6. monens ipſum, ne in Epiſcopum aſſumeret Neophytum, cauſam reddit dicens: *Ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat Diaboli.* (ait D. Chryſoſt. homil. 10. in. 1. ad Thimoth.) *hoc eſt, ne in eandem incurrat damnationem, quam ille per arrogantiam pertulit.* Ex his, aliiſque adeò perſuaſum etiam eſt, primum Angeli peccatum fuiſſe ſuperbiam, ut hæc vulgò, *Peccatum Dæmonum*, vocari conſueverit: & Job. 41. v. 25. Lucifer dicatur *Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ.* Cùm ergo de primo Angelorum peccato loqui debeamus juxta ſenſum Scripturarum, & Patrum; cùm tàm Scripturæ, quàm Patres dicant, hoc fuiſſe ſuperbiam, non video, quo fundamento poſſit oppoſitum ſuſtineri.

VIII. Nunc utraque pars Aſſerti probanda eſt ratione D. Thomæ hìc q. 63. a. 2. Et primò, quòd peccatum Angeli fuerit ſuperbia, probat hoc diſcurſu. Angelus, utpotè naturâ purè ſpiritualis, peccare non potuit per affectum ad bona, quæ ſunt propria corpori, ſed ad ea, quæ in rebus ſpiritualibus inveniri poſſunt: ſed in affectu ad bona ſpiritualia non poteſt eſſe peccatum, *niſi per hoc, quòd in tali affectu ſuperioris regula non ſervatur; &* hoc eſt peccatum ſuperbiæ, non ſubdi ſuperiori in eo, in quo debet; ergo primum peccatum Angeli fuit ſuperbia.

IX. Confirmatur, ſimulque prævenitur reſponſio. Licèt peccator in quocumque peccato nolit ſubjici Deo, cum hac tamen differentia hoc contingit; quòd in peccato ſuperbiæ per ſe ſaltem ex modo volendi hoc intendit, in aliis verò peccatis ſolùm ex conſequenti, & quaſi conditionem in omni peccato incluſam, ut ſuperiùs cum D. Thom. *ex ſecundo ſent.* dicebamus: peccans enim peccato luxuriæ non intendit per ſe, nec ex parte rei volitæ, nec ex parte modi volendi nolle ſubjici ſuperiori, nempè Deo; ſed per ſe intendit delectationem, quæ ex rebus venereis provenit: & quamvis ex hoc conſequatur, eum nolle ſubjici Deo, hoc ex vi talis actus non eſt per ſe intentum: ſed Angelus peccando, ſaltem ex modo volendi, per ſe intendit non ſubjectionem ad Deum; peccavit enim inordinatè amando ſuam excellentiam, & naturalem beatitudinem, nolendo eam ſubjicere, ut debebat, Deo Auctori ſupernaturali; ergo peccavit peccato ſuperbiæ = Obſervandum tamen cenſeo, ad ſuperbiam non requiri, quòd aliquis expreſsè, aut formaliter eligat non ſubjici Deo, ita ut non ſubjectio ſit res directè volita; ſed ſatis eſſe, ut ex modo volendi, interpretativè nolit ſe Deo ſubjicere, inordinatè ſcilicet ita diligendo perfectiones, quas habet, ac ſi eas non haberet à Deo; perindeque ſe gerens ac ſi Deum aſpernaretur, & ei nollet ſe ſubjicere. Ita autem ſe geſſit Angelus: ſuam excellentiam dilexit, quod ſecundùm ſe bonum rationi conſonum erat; ſed cùm debuiſſet eam Deo referre, ut ab eo acceptam, & ad ulteriorem finem ſupernaturalem ordinare, hoc facere contemſit; & ſic ſuperbiendo peccavit.

X. Ne autem inferas, in hoc fuiſſe potiùs peccatum inobedientiæ, quàm ſuperbiæ, advertere debes: nolle ſe ſubjicere divinæ regulæ, aliter pertinere ad inobedientiam, aliter ad ſuperbiam. Ad inobedientiam enim pertinet, ut dicit fugam, & receſſum à divina regula, ut lex præcipiens eſt: ad ſuperbiam autem, ut dicit profecutionem excellentiæ creatæ inordinatam, ideſt non ſervando ordinem de-

debitum, eam ſubjiciendo divinæ regulæ, non tanquam legi, ſed tanquam menſuræ, & cauſæ cujuſcumque dignitatis, & excellentiæ. Hoc diſcrimen aſſignat Cajetanus in 2. 2. *q.* 162. *a.* 1. Quia ſicut proprium eſt obedientiæ velle ſubjectionem ad legem, ut lex eſt, & ad Legiſlatorem, ut talem; ita inobedientiæ proprium eſt nolle ſubjectionem ad illam, & ad Legiſlatorem. Sicut autem humilitatis proprium eſt moderari appetitum tendentem ad excelſa; ita ſuperbiæ proprius character eſt, hujuſmodi immoderantiam apponere, non ſubjiciendo ſe ad ſuperiorem, & divinam propriæ dignitatis, & excellentiæ regulam, & menſuram. Peccavit ergo Angelus; non quia primò à divina lege, ut tali, receſſerit; ſed quia ſuam excellentiam immoderatè appetiit, nec eam divinæ regulæ, ac menſuræ, à qua eam acceperat, & ad quam referre debuerat, ſubjecit: & ideò per ſe primò ſuperbiâ peccavit, quamvis ex hoc inobedientia (quæ in omni peccato eſt) ſecuta ſit.

XI. Neque ſequitur, immoderatum hunc propriæ excellentiæ appetitum dici potiùs debere concupiſcentiam, ſeu luxuriam ſpiritualem. Nam inordinatus delectationis, ſeu concupiſcentiæ affectus non ſolum invenitur in luxuria, ſed in aliis vitiis, puta in gula, in avaritia, in quibus invenitur inordinatus affectus, & delectatio ciborum, aut pecuniæ; ergo vel omnis immoderata delectatio, luxuria eſt; vel quando aliquis inordinatè vult, & ſibi delectatur in cibis, in pecunia, in honoribus, duplex in tali actu reperietur deformitas: una gulæ, vel avaritiæ, vel ſuperbiæ, & altera luxuriæ: vel tandem, quòd verum eſt, non omnis immoderata delectatio luxuria eſt. Inordinata ergo delectatio per ſe non conſtituit ſpeciale peccatum, ſed ad eam peccati ſpeciem pertinet, circa quam verſatur: ut immoderata delectatio circa cibum, & potum ad intemperantiam; circa pecuniam ad avaritiam; circa res venereas, ad luxuriam; circa laudes dignitates, & excellentias, ad ſuperbiam.

XII. Altera verò pars, nempè quòd peccatum ſuperbiæ ſecuta ſit in Angelo etiam invidia, probatur à D. Th. hoc *a.* 2. ſic. Ejuſdem rationis eſt, quòd affectus tendat in aliquid appetendum, & quod renitatur oppoſito: Invidus autem ex hoc de bono alterius dolet, inquantum bonum alterius æſtimat ſui boni impedimentum. Quare ex affectu, quo quis appetit præferri aliis, ſeu non habere parem in excellentia, qui pertinet ad ſuperbiam, naſcitur alter affectus, quo de bono alterius doleat, æſtimans, per illud excellentiam ſuam obſcurari, qui eſt actus invidiæ. Cum ergo Angelus peccaverit appetendo excellentiam ſingularem, quæ quidem ſingularitas per alterius excellentiam ceſſat; *ideò poſt peccatum ſuperbiæ conſecutum eſt in Angelo peccatum invidiæ, ſecundùm quòd de bono hominis doluit, & etiam de excellentia divina, ſecundùm quod eo Deus contra voluntatem ipſius Diaboli utitur in gloriam divinam.*

XIII. In hoc, ſicut in cæteris, S.Thomas ſecutus eſt Magiſtrum ſuum Auguſtinum. Hic enim *lib.* 11. *de Geneſ. ad litt. c.* 14. ſic ait: *nonnulli dicunt, ipſum ei* (Angelo) *fuiſſe caſum, à ſupernis ſedibus, quòd inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porrò autem invidia ſequitur ſuperbiam non præcedit: non enim cauſa ſuperbiendi eſt invidia, ſed cauſa invidendi ſuperbia. Cùm igitur ſuperbia ſit amor excellentiæ propriæ, invidia verò ſit odium felicitatis alienæ, quid unde naſcatur ſatis in promtu eſt. Amando enim quiſque excellentiam ſuam, vel paribus invidet, quòd ei coæquentur, vel inferioribus, ne ſibi coæquentur, vel ſuperioribus, quòd eis non coæquentur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quiſque ſuperbus eſt.* Mitto objectiones, quæ contra hanc reſolutionem pro utraque parte fieri ſolent: tùm quia ex dictis ſolvi poſſunt; tùm quia apud Auctores quiſquis facilè inveniet.

XIV.

Digitized by Google

XIV. Quæres, an in Dæmonibus poſſint eſſe formaliter peccata præſumtionis, odii, inimicitiæ, & contentionis?

Reſpondeo, poſſe. Ut enim ait D. Thomas hoc a. 2. ad 3. *ſub ſuperbia, & invidia comprehenduntur omnia peccata, quæ ab illis derivantur, pro ut in Dæmonibus ponuntur.* Et propterea poſſunt in eis eſſe peccata idololatriæ, infidelitatis, blaſphemiæ, inobedientiæ; idque non modò ſecundùm reatum, quomodo in eis ſunt omnia peccata etiam carnalia, ad quæ homines incitant, ſed etiam formaliter, & ſecundùm affectum. Ita etiam D. Auguſt. *lib. 14. de Civit. Dei c. 3.*

XV. An verò in Angelis ſit ira: D. Thomas hic ad 2. dicit, quod *ira cum quadam paſſione eſt, ſicut concupiſcentia. Unde ipſa in Dæmonibus eſſe non poteſt, niſi metaphoricè.* Cæterùm ſi loquamur de ira, non pro materiali, prout eſt accenſio ſanguinis circa cor, & ut paſſio eſt; ſed pro formali, ut dicit appetitum vindictæ, cum quadam triſtitia de malo, quod iratus apprehendit, ut ſibi illatum ab alio: quamvis non poſſit dari in Angelis beatis, & multò minus in Deo propter ea, quæ docet D. Tho. 1. *p. q.* 20. *a.* 1. *ad* 2. in Dæmonibus tamen iram formaliter eſſe poſſe, incogruum non eſt; cùm ipſi ſint capaces triſtitiæ, & poſſint appetere vindictam de injuria, quam apprehendunt, ſibi eſſe illatam.

XVI. Furtum autem in Dæmonibus quoad affectum eſſe poſſe, ut cùm aliena rapiunt, ſive, ut ea donent ſuis cultoribus, Sagis, Maleficis &c. ſive, ut noceant iis, quos odio habent, probabile eſt: quatenùs ex invidia derivantur, & eadem ratione etiam peccatum homicidii, ſi homines necent. Avaritiam autem, ut eſt ſpeciale peccatum, nempè *immoderatus appetitus, rerum temporalium quæ veniunt in uſum vitæ humanæ, & pecuniâ æſtimari poſſunt*, in Dæmonibus propriè non eſſe docet D. Tho. hoc *a.* 2. *ad* 2. Ad hæc cùm Dæmones non afficiuntur. *Sed ſi avaritia dicatur omnis immoderata cupiditas habendi quodcumque bonùm creatum, ſic avaritia continetur in ſuperbia, quæ eſt in Dæmonibu.* Ita D. Tho. ibi. Qui eàdem ratione negat in eiſdem propriè inveniri accidiam. Hæc enim eſt *quædam triſtitia, quâ homo redditur tardus ad ſpirituales actus propter corporalem laborem, qui Dæmonibus non competit.*

DUBIUM III.

Quid appetierit Diabolus peccando? an æqualitatem cum Deo?

§. I.

Aliqua præmittuntur.

I. Ex inordinato amore propriæ ſublimitatis è Cœlo corruiſſe Luciferum, ex dictis Dub. precedente ſatis conſtat, quo ſtatuimus, ejus primum peccatum fuiſſe ſuperbiam: quænam verò, & quanta fuerit excellentia, quam appetiit, in præſenti quærimus. Porrò cùm tanquam certum habendum ſit, Diabolum ſuperbiiſſe appetendo eſſe, ut Deum; hoc enim nimis apertè teſtantur Iſaias c. 14. v. 13. & 14. *In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum... ſimilis ero Altiſſimo.* Et Ezechiel. c. 28. v. 2. ſub perſona Regis Tyri: *Elevatum (inquit) eſt cor tuum & dixiſti: Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris.* Unde Michael, qui primus Lucifero reſtitit: *Quis ut Deus* ei dixiſſe fertur; hoc enim Michaelis ſonat nomen. Et Gregorius Nazianzenus Luciferi caſum hoc carmine expreſſit:

> *Dùm Deus eſſe cupit, tetrâ caligine totus*
> *Obrutus eſt.*

Quia verò dubitari poteſt, an Lucifer appetierit eſſe Deum per æqualitatem; an per imitationem, & ſimilitudinem: & ſi per æqualitatem; an id appetierit appetitu efficaci, & abſolu-

Digitized by Google

ſoluto; an appetitu inefficaci, & conditionato, qui velleitas dicitur. Rursùs: an appetierit, eſſe Deum abſolutè, & in ſe; an Deum habere ſibi unitum, ut per Incarnationem (quæ ei fortè revelata fuerat) uniendus erat humanitati Chriſti. Quòd ſi per ſolam ſimilitudinem eſſe Deum appetivit, dubitari etiam poteſt; an appetierit ſimilitudinem in eo, in quo creatura poteſt Deo aſſimilari, nempè in donis gratiæ, & gloriæ; ut habendis tamen non ex Deo, & gratia ejus, ſed ex ſua natura, ut ſibi debitis ex juſtitia: vel in eo, in quo creatura Deo aſſimilari non poteſt. Et hoc ſecundùm multa: vel ſcilicet appetendo independentiam, & negationem ſubjectionis cuicumque ſuperiori; vel dominium abſolutum, & independens ſuper omnes creaturas, etiam intellectuales; vel ita in ſe quieſcendo, ac ſi eſſet ſibi ſufficiens bonum, nec ad aliud ordinabile.

II. Propterea de hac rè variæ natæ ſunt inter Theologos opiniones. Diabolum abſolutam æqualitatem appetiiſſe cum Deo in ſe, opinatur Scotus cum ſua Schola, cui adhærent ex Societate non pauci. Unionem hypoſtaticam, vel quia ſibi debitam; vel eam homini invidendo; vel Chriſto ſe ſubjicere recuſando, deſideraſſe, ſentiunt Alenſis, Catharinus, & alii. Superbiam Dæmonis fuiſſe inordinatum affectum prælationis, & tyrannici dominii ſupra alios Angelos, & inferiores creaturas, ſentiunt Molina, & Becanus. Tandem alii volunt, Luciferum ſuperbiiſſe ſuam naturalem beatitudinem inordinatè appetendo; eam ſcilicet ulteriùs ad beatitudinem ſupernaturalem non ordinando, nec Deo auctori ſupernaturali ſubjiciendo; exiſtimando eſſe in ſeipſo naturaliter beatum, ſicut eſt Deus. Vel ſi peccavit circa beatitudinem ſupernaturalem, hanc deſideraſſe ut propriis viribus acquirendam, & non ex gratia, ſed ex juſtitia reddendam. Utramque partem cenſent probabilem S. Thom. Diſcipuli.

§. II.

Prima aſſertio contra Scotum.

III. Dico primò. Diabolus peccando non appetiit omnimodam æqualitatem cum Deo in natura. Ita D. Thomas, tùm hâc q. 63. a. 3. his verbis: *Dicendum, quòd Angelus abſque omni dubio peccavit appetendo eſſe, ut Deus. Sed hoc poteſt intelligi dupliciter: Uno modo per æquiparantiam. Alio modo per ſimilitudinem. Primo quidem modo non potuit appetere eſſe ut Deus; quia ſcivit hoc eſſe impoſſibile.* Ex quo formatur ratio ſic. Angelus peccando non poterat appetere, quod ſciebat evidenter, ſibi eſſe impoſſibile: ſed Angelus evidenter ſciebat, ſibi eſſe impoſſibile eſſe Deum per æqualitatem; ergo hoc non appetiit peccando. Major probatur. Eſto enim contingat aliquando impoſſibile à nobis appeti; hoc ideò eſt quia ex deceptione falsò apprehendimus ipſum poſſibile; quia impoſſibile apprehenſum, ut impoſſibile non poteſt voluntati proponi ut bonum, nec ut appetibile. Min. etiam probatur. Quia ut ait D. Thomas laudatus *nec primum actum peccandi in Angelo præceſſit, vel habitus, vel paſſio ligans cognoſcitivam ipſius virtutem, ut in particulari deficiens eligeret impoſſibile, ſicut in nobis interdum accidit.*

IV. Confirmatur ex eodem S. Doctore Q. 16. *de Malo a.* 3. Æqualitas eſt relatio quædam duorum; impoſſibile autem eſt eſſe alterum, qui Deo coæquetur: hoc eſt enim contra eſſentiam Dei, qui cùm ſit ipſum eſſe ſubſiſtens, non eſt poſſibile eſſe duo hujuſmodi. Unde quidquid aliud ab eo eſt, neceſſe eſt, ut ſit tanquam aliquid participans eſſe, quod non poteſt eſſe æquale ei, quod eſt eſſentialiter ipſum eſſe: ſed hoc non potuit Diabolus in ſua conditione ignorare; ſtatim enim intellexit ſubſtantiam ſuam, & in ea cognovit Deum eſſe

An-

Digitized by Google

Auctorem ſuum, à quo eſſe participabat; ergo non poterat apprehendere æqualitatem ſui ad Deum ſub ratione poſſibilis. Tunc ſic: ſed nullus tendit in id, quod apprehendit, ut impoſſibile; ergo impoſſibile eſt &c.

V. Reſpondet Scotus, quòd eſto æqualitas cum Deo apprehenſa fuerit ab Angelo ut impoſſibilis, adhuc tamen potuit eſſe objectum appetitus ipſius, non quidem efficacis, & abſoluti, ſed inefficacis, & ſub conditione quòd eſſet poſſibilis. Et probat tùm ex Ariſt. 3. *Ethic. c.* 2. dicente: *Electio quidem non eſt impoſſibilium. Voluntas autem eſt impoſſibilium, puta immortalitatis*. Inſuper damnati Deum odio habentes, vellent Deum non eſſe: at hoc impoſſibile eſſe, & ipſi apprehendunt. Suaderi etiam poteſt ex illo ferventiſſimo dilectionis actu, quo S. Auguſtinus ferebatur in Deum, dicens: *Domine ſi eſſes Auguſtinus, & ego poſſem eſſe Deus, mallem, te quàm me eſſe Deum*. Imò ſæpiùs juſti optant Deum diligere amore infinito, & pœnitentes deſiderant, ſe nunquam peccaſſe: hæc autem ſunt, & judicantur impoſſibilia. Ad hunc ſenſum trahi poſſe videtur etiam S. Thomas 1. 2. *q* 13. *a*. 5. *ad* 1. ubi ait: *Voluntas completa non eſt, niſi de poſſibili, quod eſt bonum volenti: ſed voluntas incompleta eſt de impoſſibili, quæ ſecundùm quoſdam velleitas dicitur, quia ſcilicet aliquis vellet illud, ſi eſſet poſſibile*.

VI. Sed contra primò. Ex modo loquendi Scripturæ appetitus Luciferi fuit abſolutus, & efficax, non conditionatus, & inefficax. *In Cœlum conſcendam* (inquit Iſaiæ 14. v. 13.) *ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti*. Non ait: *conſcenderem, exaltarem, ſederem*. Item Ezechiel. 28. v. 2. ait *Deus ego ſum, & in Cathedra Dei ſedi*. Non dixit: *eſſem, ſederem*; atqui ſi voluntate ſolùm inefficaci, & conditionatâ appetiiſſet æqualitatem cum Deo, debuiſſet exprimi per verbum *vellem, conſcenderem &c.* eſt enim pura velleitas, & voluntas, quæ *eſſet*, non quæ *ſit*; ergo &c.

VII. Contra ſecundò. Ad peccatum actuale non ſufficit voluntatis actus, *qui eſſet ſi &c.* ſed requiritur actus, qui de facto, & abſolutè ſit in ſubjecto, quamvis de objecto ſub conditione ponendo; quia bonum, vel malum morale non reperiuntur in actu humano, qui poteſt eſſe, ſeu qui eſſet, & non eſt, ſed in eo ſolùm, qui de facto eſt: ſicut etſi pro ſigno ſcientiæ mediæ concipiatur in Deo decretum, *quod eſſet ſi*; quia tamen actu in Deo non eſt, non concipitur in Deo pro illo actuale exercitium libertatis. Et ratio eſt; quia qui vult aliquid conditionatè etiam ex parte actus, de facto non vult, ſed vellet, ſeu ita diſpoſitus eſt, ut vellet ſi poneretur conditio: ſed actus, qui conciperetur in Angelo appetente omnimodam æqualitatem cum Deo, foret actus, non quo de facto appeteret illam etiam ſub conditione, ſed quo eſſet tantùm diſpoſitus ad eam appetendam, ſi eſſet poſſibilis; ergo ſicut non conſtitueret Angelum actu volentem, ita nec eum conſtitueret actu peccantem. Min. probatur. Repugnat, voluntatem habere actum aliquem eſto inefficacem circa id, quod non habet rationem boni, quia eſt impoſſibile, ſub conditione quod fieret bonum, ſeu poſſibile; ſicut nec viſus actu videre poteſt id, quod non eſt coloratum actu, ſed ſolùm ſub conditione; ergo nec Angelus potuit actu appetere æqualitatem cum Deo, quam judicavit ſibi eſſe abſolutè impoſſibilem, ſed ſolùm ita eſſe diſpoſitus, ut ſi fieri poſſet ei poſſibilis, eam actu vellet.

VIII. Contra tertiò. Dato, quòd Angelus potuerit habere actum inefficacem circa æqualitatem cum Deo; hæc tamen non potuit eſſe primum ejus peccatum. Nam hoc debuit neceſſariò eſſe inordinatus amor, quo adhæſerit alicui ultimo fini: ſed hic debuit eſſe prorſus efficax; nam amor adhæſivus alicui ultimo fini, ut talis de-

debet eſſe dilectio ipſius ſuper omnia, quæ nequit eſſe inefficax tantum & conditionata, cùm inferat electionem mediorum, & moveat efficaciter ad conſecutionem illius; ergo &c.

IX. Contra quartò. Eſto voluntas imperfecta, quæ ſolùm verſatur circa finem, poſſit ferri ad aliquod impoſſibile; non tamen voluntas perfecta, completa, & electiva: quia voluntas ſimplex, & imperfecta, cùm non tendat ad executionem finis, illum reſpicit ſecundùm ſe, & præciſum à circircumſtantiis, & maximè ab exiſtentia; & propterea in Deo ponimus plura decreta abſoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti circa omnes, vel ſaltem plures combinationes, quamvis factâ aliquâ ſuppoſitione factæ ſint impoſſibiles. Voluntas verò completa, & electiva tendit ad rem ut in eſſe ponendam, & cum omnibus circumſtantiis; ideòque de re impoſſibili, etiam ſub conditione, quòd eſſet poſſibilis, non datur electio: ſed primum Angeli peccatum fuìt electio, quia ſimplex voluntas non eſt capax meriti aut demeriti; ergo ſi impoſſibilis eſt æqualitas cum Deo, Angelus non peccavit appetendo æqualitatem cum Deo.

X. Doctrina hæc traditur à D. Th. *Q. 16. de Malo a. 3. ad 9.* dicente: *Voluntas, quæ dicitur eſſe impoſſibilium, non eſt perfecta voluntas tendens in aliquid conſequendum, quia nullus tendit in id, quod exiſtimat impoſſibile, ut dictum eſt* (in corp. art.) *ſed eſt quædam imperfecta voluntas, quæ dicitur velleitas, quia ſcilicet aliquis vellet id, quod exiſtimat impoſſibile, ſed ſub hac conditione, ſi poſſibile eſſet. Talis autem non eſt voluntas averſionis, & converſionis, in qua peccatum, & meritum conſiſtit.* Ex hac doctrina, quæ eſt clavis totius præſentis difficultatis, ſequitur, quod malus Angelus fuerit ita diſpoſitus, ut æqualitatem cum Deo appeteret, ſi illi eſſet poſſibilis; non tamen quòd de facto voluntate perfecta eam elegerit.

XI. Ex his reſpondetur ad ea, quæ ſuperiùs in contrarium allata ſunt. Ad primum dico, Ariſtotelem docere noſtram doctrinam, dùm dicit, quòd quamvis voluntas, nempè imperfecta, poſſit eſſe impoſſibilium; electio tamen eſt ſolum poſſibilium: & inſuper non loqui de impoſſibili ex terminis, & abſolutè, quale eſt æqualitas cum Deo; ſed de impoſſibili ſolùm ex ſuppoſitione, ut oſtendit exemplum quod adducit de immortalitate, quæ non eſt homini impoſſibilis abſolutè, ſed ſolùm relatè ad cauſas naturales, & pro ſtatu vitæ præſentis.

XII. Ad ſecundum. Vel dico, damnatos non appetere Deum non eſſe abſolutè, hoc enim ſciunt eſſe ex terminis impoſſibile; ſed ſolùm non eſſe Deum ultorem, & vindicem, quod eſt impoſſibile ſolùm ex ſuppoſitione. Vel ſi appetunt, Deum abſolutè non eſſe; hoc non appetunt per ſe, ſed ratione alterius prius voliti, nempè liberationis à miſerjis, quæ eſſe nequit, niſi Deo non exiſtente. Omnimoda autem æqualitas cum Deo, ſi appeteretur ab Angelo, deberet appeti per ſe, & abſolutè, quod ſine errore ſtare non poſſet. Et dato, quod appeteretur, per ſe, tunc primum peccatum Angeli non eſſet appetitus æqualitatis cum Deo; ſed inordinatus appetitus illius rei, puta propriæ excellentiæ, ratione cujus æqualitas cum Deo appeteretur.

XIII. Ad tertium dico, ferventiſſimam illam emphaſim Auguſtini arguere, non quòd in eo de facto eſſet talis actus, quo vellet illud impoſſibile; ſed quòd ita eſſet diſpoſitus, ut prudenter exiſtimaret, ſe in talem volitionem proditurum, ſi illud impoſſibile fieret poſſibile. Aut ſi de facto in Auguſtino erat talis velleitas, oriebatur ex intenſiſſimo amore, quo Deum amabat; unde non eſt ad rem Adverſariorum, qui volunt, appetitum æqualitatis cum Deo fuiſſe primum actum peccati in Angelo non ortum ex alio priori actu.

XIV. Eodem modo reſpondetur ad

id,

Digitized by Google

id, quod de aliis juſtis dicitur, nimirum, quòd vel Juſti de facto non volunt diligere Deum amore infinito; ſed ita ſentiunt ſe diſpoſitos, ut ſi eſſet eis poſſibile, vellent: vel quòd talis actus oritur ex alio priori actu, quo ſcilicet ſummè diligunt Deum. Voluntas autem illa, quâ pœnitens nollet peccatum ſuum extitiſſe, vel actu in eo non eſt, ſed ſolùm eſſet, ſi poſſibile foret; vel ſi eſt, ex alia voluntate oritur, quâ de peccato commiſſo intensè dolet. Uno verbo pœnitens non vult componere peccatum fuiſſe, & non fuiſſe; ſicut Diabolus voluiſſet componere eſſe Angelum, & eſſe Deum.

XV. Quod verò ex D. Thom. adducitur, jam ſolutum eſt ex dictis ab eodem ſupra Q. 16. *de Malo* citatâ, nimirùm, eum loqui de voluntate imperfecta, non de perfecta, & electiva qualis in Diabolo fuiſſet de æqualitate cum Deo. Vel de voluntate, non quæ actu ſit, ſed quæ eſſet, quod ejus verba oſtendunt, dum ait: *quia ſcilicet vellet illud, ſi eſſet poſſibile*. Neque obeſt, quòd Diabolus velit à ſuis cultoribus adorari ut verus Deus. Nam hoc Diabolus facit per deceptionem, cujus eſto homines ſint capaces, maximè poſt peccati corruptionem, ipſe tamen capax non eſt. Quare etſi homines tentet ſuadendo, ut ſibi veram divinitatem exhibeant, non ſequitur, quòd illam ſibi abſolutè appetierit.

XVI. Secunda ratio, quâ D. Thomas tùm hâc 1. *p. q.* 63. *a.* 3. tùm Q. 16. *de Malo a.* 3. probat, Diabolum non potuiſſe appetere omnimodam æqualitatem cum Deo, talis eſt. Nemo poteſt appetitu proſecutionis tendere in id, quo obtento, videt, & judicat ſecuturam deſtructionem ſui eſſe; & hâc ratione (inquit S. Thomas qu. 63. citatâ) *nulla res, quæ eſt in inferiori gradu naturæ, poteſt appetere ſuperioris naturæ gradum, ſicut aſinus non appetit eſſe equus, quia ſi transferretur in gradum ſuperioris naturæ, jam ipſum non eſſet*. Et in tantùm aliquis appetit eſſe in altiori gradu ſecundùm accidentalia, quia judicat in ſuo eſſe per illa magis perfici, & firmari: ſed Angelus appetendo æqualitatem cùm Deo appetiiſſet id, ex quo ſciebat ſecuturam deſtructionem ſui, & ſuum non eſſe; ſicut ergo ex hoc motivo homo non poteſt appetere fieri Angelum, nec Angelus inferior fieri æqualis ſuperiori; ita & multò magis fieri æqualis Deo: & maximè, quia in eo non poterat eſſe, nec ignorantia, nec error, nec inadvertentia de ſui deſtructione ſecutura.

XVII. Hâc ratione ſic expoſita prævenitur reſponſio Scoti dicentis, Angelum appetendo æqualitatem cum Deo appetiviſſe ſuum non eſſe ſolùm indirectè, & implicitè; ſicut quilibet peccans, indirectè vult non ſubeſſe Deo, ex quo ſequitur, quòd velit etiam ſuum non eſſe.

XVIII. Nam non ſtat, quòd expreſsè, & formaliter cognoſcatur impoſſibilitas æqualitatis omnimodæ cum Deo, & ſubſiſtentiæ in proprio eſſe, & quod expreſsè non appetatur deſtructio proprii eſſe: cùm ergo Angelus expreſsè hanc incompoſſibilitatem cognoſcat, utpotè ſemper in actuali ſui cognitione & Dei; non poſſet expreſsè velle æqualitatem cum Deo quin expreſsè vellet etiam ſui deſtructionem. Neque eſt ſimile de homine peccante mortaliter: hic enim vult non ſubeſſe Deo ſolùm interpretativè; & hoc modo dici poteſt etiam velle deſtructionem ſui. Vult non ſubeſſe Deo moraliter tantùm, non phyſicè, ſicut vellet Angelus appetendo æqualitatem cum Deo. Sed hæc ſatis.

§. III.

Aliæ aſſertiones refutantur.

XIX. Dico ſecundò. Primum Angeli peccatum non fuit, quia appetierit Unionem hypoſtaticam. Hoc aſſertum tria ſupponit. Primum, Angelis dùm erant in via fuiſſe reve-

la-

Digitized by Google

latum Myſterium Incarnationis ſaltem quoad ſubſtantiam, quod admittit D. Thom. 2. 2. *q.* 2. *a.* 7. *ad* 1. ex S. Auguſtino *l.* 5. *de Geneſ. ad litt. c.* 19. Et ratio veriſimilitudinis eſt: quia cùm Chriſtus ſit Caput nedùm hominum, ſed etiam Angelorum, & membris intellectualibus debita ſit notitia proprii Capitis, ut ei ſubjectionem exhibeant debitam, veroſimile eſt, quòd Myſterium Incarnationis, ſaltem quoad ſubſtantiam, fuerit eis revelatum, dùm eſſent in via; quin tamen eis revelaretur ſuum peccatum, quod fuit occaſio valdè remota adventus Chriſti. Sicut enim hoc myſterium revelatum fuiſſe Adamo docet D. Thomas 3. *p. q.* 1. *a.* 3. *ad* 5. quin ei revelaretur ſuus caſus, qui tamen fuit occaſio proxima talis adventus; ita & multò magis potuit ſic revelari Angelo.

XX. Supponit ſecundò, Deum omnibus Angelis adhuc in via poſitis præcepiſſe, ut Chriſtum adorarent, & tanquam proprium Caput recognoſcerent; quod indicavit Paulus ad Hebr. 1. v. 6. *Et cùm iterùm introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Et quidem ſuppoſitâ revelatione de Chriſto eorum Capite conſentaneum fuit, ut eum adorare juberentur. Hinc ſupponit iſta opinio, Angelum malum primò ſuperbiiſſe circa Unionem hypoſtaticam.

XXI. Hujus tamen oppoſitum oſtendo primò. Nam primum Angeli peccatum fuit circa ſuum ultimum finem: ut enim docet D. Thomas 2. 2. q. 163. a. 1. *priùs movetur appetitus in finem, quàm in id, quod quæritur propter finem*; Unio autem hypoſtatica, eſto ſit finis extrinſecus omnium, non tamen eſt finis intrinſecus, & proprius Angeli, ad quem ordinatus eſt; hic enim eſt beatitudo ſupernaturalis in viſione clara Dei conſiſtens; ergo &c. Præterea: Unionem hypoſtaticam non appetivit, ut ſibi debitam, & propriis viribus acquirendam; quia optimè noverat, eam nec ſibi debitam, nec ſuis viribus poſſibilem: aliàs in ſuo intellectu error aliquis præceſſiſſet, quod ante ejus primum peccatum non fuiſſe, oſtendunt Theologi. Nec eam appetiit invidendo homini. Tùm quia, ut ſuperiùs probavimus, primum Angeli peccatum non fuit invidia, ſed ſuperbia. Tùm quia invidia eſt actus fugæ, ſeu odii boni alterius: ſed fuga, & odium non potuit eſſe primum Angeli peccatum, quia fuga oritur ex proſecutione alterius boni, cujus malum eſt impeditivum; ergo &c. Eâdem quoque ratione non primò peccavit Angelus nolens ſe ſubjicere Chriſto; quia primum Angeli peccatum non potuit eſſe nolitio, ſeu fuga mali: omnis enim nolitio, ſeu fuga mali ſupponit volitionem, ſeu proſecutionem alicujus boni. Ut enim docet D. Thomas 1. 2. *q.* 25. *a.* 2. amor eſt prima paſſionum; *quia enim bonum quæritur, ideò refutatur oppoſitum malum:* & ideò actus, qui eſt circa bonum, prior eſt eo, qui eſt circa malum.

Hinc eſto SS. PP. aliqui, ut Auguſtinus *l.* 11. *de Geneſ. ad litt. c.* 14. Divus Bernardus *ſer.* 1. *de Adventu, & ſerm.* 17. *in Cantic. &c.* dicant, Angelum invidiſſe homini Unionem hypoſtaticam; apertè tamen citatis locis primum Angeli peccatum fuiſſe ſuperbiam, quà *Altiſſimi ſimilitudinem uſurpare tentavit, & rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, ait Bernardus *ſerm.* 1. *de Adventu* citato.

XXII. Dico tertiò. Primum Angeli peccatum non fuit ambitio Principatus ſuper alias creaturas intellectuales, videlicet, quòd omnes ſuæ, contra Dei voluntatem, parerent; vel quòd omnia Dona, quæ Deus cæteris diſtribuit, per ipſum diſtribuerentur, tanquam quid ſuæ naturæ debitum. Et ratio eſt. Nam amor ſeu appetitus poteſtatis, & excellentiæ ſuper alios oritur ex amore inordinato ſui abſoluto, & in ſe; pertinet enim ad ambitionem, ſeu immoderatam præſum-

ſumtionem, quæ ex amore inordinato ſuæ excellentiæ procedit; & ideò non potuit eſſe primum Angeli peccatum, ſed potiùs conſecuta ad illud. Quare D. Thom. hâc q. 63. a. 3. poſtquàm ſtatuit, primum Angeli peccatum fuiſſe inordinatum appetitum propriæ beatitudinis, concludit: *Quia verò quod eſt per ſe, eſt principium, & cauſa ejus, quod eſt per aliud; ex hoc etiam conſecutum eſt, quòd appetjit, aliquem principatum ſuper alia habere. In quo etiam perversè voluit Deo aſſimilari.*

§. IV.

Noſtra Aſſertio ſtatuitur.

XXIII. Dico quartò. Angelus primò peccavit, *quia appetjit ut finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute ſua naturæ poterat pervenire, avertens ſuum appetitum à beatitudine ſupernaturali, quæ eſt ex gratia Dei. Vel ſi appetjit, ut ultimum finem illam Dei ſimilitudinem, quæ datur ex gratia; voluit hoc habere per virtutem ſuæ naturæ, non ex divino auxilio, ſecundùm Dei diſpoſitionem.* Ita iiſdem terminis S. Tho. hâc *q. 63. a. 3.* Quod aſſertum duas habet partes. Prima explicatur ſic. Angelus propriâ excellentiâ illectus, & quaſi raptus, in ea ita ſibi complacuit; ut diverteret ſe à conſideratione, & ordine ad finem ultimum ſuperiorem & ſupernaturalem in quo tenebatur perſeverare, quod propriè fuit ſuperbire: non ita tamen ut crediderit, ſuam perfectionem, & excellentiam naturalem eſſe ſuum ultimum finem; (fuiſſet enim error nimis craſſus) ſed quia ex modo, quo eam appetivit, convertendo ſe ad illam abſque ordine ad regulam ſuperioris, voluntariè ſpernendo regulam, & menſuram à Deo præſcriptam, practicè, & in actu exercito ita ſe geſſit; ac ſi judicaſſet, bona ſua naturalia ſibi ſufficere, nec ſuperioribus egere, ſed à ſe eſſe ſufficienter beatum; quod fuit appetere eſſe ſicut Deum.

XXIV. Hæc ergo prima pars ſic explicata fundamentum habet in Scriptura, & PP. In Script. quidem. Nam Ezech. 28. v. 5. legitur: *elevatum eſt cor tuum in robore tuo. v. 17. & elevatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo &c.* Quæ verba de primo peccato Diaboli ſub perſona regis Tyri exponunt PP. quaſi diceret; quia de decore tuo naturali ſuperbjiſti, in decore tuo, ideſt ob hunc inordinatè dilectum, ſapientiam tuam perdidiſti.

In PP. quoque. Nam D. Auguſt. *l. 12. de Civit. Dei c. 1.* contrarios malorum, & bonorum Angelorum appetitus deſcribens, dicit; quòd mali *ſuâ poteſtate potiùs delectati, velut ſuum bonum ſibi ipſi eſſent, à ſuperiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt.* Et D. Greg. *lib. 34. Moral. c. 21. al. 14.* Angelum (ait) peccaſſe: *quia relicto eo, qui verè illi ſufficere poterat, ſe ſibi ſufficere poſſe judicavit.* D. Bernardus de Verbis Iſaiæ: *Vidi Dominum ſedentem*, Serm. 3. ait: peccaſſe, quia ſeipſo voluit eſſe contentus. Et S. Leo *Ep. 93.* quia naturali excellentiâ malè uſus eſt.

Divus Thomas quoque 3. Contrag. c. 109. ait: *potuit igitur in voluntate ſubſtantiæ ſeparatæ eſſe peccatum ex hoc, quòd proprium bonum, & perfectionem in ultimum finem non ordinavit, ſed inhæſit proprio bono, ut fini.* Et c. 110. *ſicut enim* (inquit) *in nobis peccatum eſt ex hoc, quòd bona inferiora, ſcilicet corporis, appetimus abſque ordine rationis: ita in Diabolo peccatum fuit in hoc, quòd proprium bonum non retulit in divinum bonum.*

XXV. Ratio etiam congrua eſt. Nam aggregatum ex perfectionibus naturalibus, quibus abundabat Angelus, erat bonum valdè excellens, ac proprium, & connaturale ejus naturæ: ſed unuſquiſque magis ſuperbit de excellenti bono, quod habet ex ſua natura, & ſibi proprium, quàm de eo, quod habet ex largitate alterius; ergo Angelus magis ſuperbjit, & ſibi complacuit in

Digitized by Google

in ſua naturali excellentia, ſiſtendo in illa, & eam ad ulteriorem finem non ordinando. Porrò cùm haberet præceptum de illa ordinanda ad finem ſupernaturalem, ad quem fuerat elevata, & propter quem creata; ideò ſic appetendo ſuam naturalem excellentiam, & in ea tanquam in ultimo fine quieſcendo, inordinatè eam appetiit, & peccavit.

XXVI. Neque opponas, hinc ſequi, Angelum primò peccaſſe peccato omiſſionis. Peccatum enim puræ omiſſionis eſt, quando purè omittitur actus; non verò quando ſolùm omittitur circumſtantia actui debita. Sicut licèt ſit peccatum omiſſionis non audire Sacrum, aut recitare Officium, quando quis ad illud tenetur; tamen audire Miſſam ſine debita reverentia; recitare Officium ſine debita atentione; celebrare Miſſam ſine veſtibus ſacris, peccatum commiſſionis eſt, quamvis adjunctam habens omiſſionem. Concurrunt enim ibi duo præcepta: unum poſitivum de recitando Officium, de audiendo, aut celebrando Miſſam; alterum negativum in eo clauſum, de non recitando ſine debita attentione; de non audiendo Miſſam ſine reverentia; vel non celebrandâ ſine veſtibus ſacris. Qui ergo recitando Officium, aut audiendo vel celebrando Sacrum præfatas circumſtantias omitteret, peccatum commiſſionis patraret, adjunctum tamen habens peccatum omiſſionis; quia poneret quidem actum præceptum, ſed debitam actui circumſtantiam omitteret. Sic in Angelo aderat præceptum poſitivum caritatis de diligenda propria excellentia, ſervatâ menſurâ præfixâ; quo poſito ſtatim fuit aliud præceptum emanans à virtute humilitatis, & obligans pro ſemper, ne diligatur propria excellentia ſine tali menſura, quod obligat ſolùm, dum obligat præceptum caritatis: cùm ergo Angelus non peccaverit contra præceptum poſitivum caritatis, omittendo actum dilectionis ſui cum menſura præfixa, ſed contra præceptum negativum, ponendo actum ſine tali menſura; peccavit peccato commiſſionis directè, non puræ omiſſionis.

XXVII. Neque dicas, hinc ſequi, Angelum directe peccaſſe contra finem naturalem, perversè diligendo ſuam beatitudinem naturalem; quod eſt contra ſuperius dicta, quibus Angelum ſtatuimus impeccabilem directè contra finem naturalem.

Et rursùs: Si ex dictis etiam Angelus diligit ſe, & ſuam beatitudinem naturalem amore neceſſario, tam quoad ſpecificationem, quam quoad exercitium; quomodo in tali dilectione ſtatuitur primum Angeli peccatum?

XXVIII. Reſpondetur enim, negando ſequelam. Cum enim ſupponamus pro eo inſtanti fuiſſe præceptum de diligenda propria excellentia cum ordine ad finem ſupernaturalem; Angelus eam diligens ſine tali ordine, per ſe, & directè tranſgreſſus eſt præceptum. ſupernaturale, & averſus à Deo Auctore, & Fine ſupernaturali: ex quo indirectè ſecuta eſt averſio à Deo Auctore etiam naturali.

XXIX. Ad id, quod additur, dico cum Ferrarienſi 3. *Contragentes c.* 109. quòd eſto Angelus neceſſariò feratur ad ſuum finem, ſeu beatitudinem naturalem ſumtam abſolutè, & ſecundùm ſe; ad eam tamen, ut ordinatam, & ſubordinatam altiori fini, & beatitudini, nempè ſupernaturali, liberè fertur: & ideò eſto peccare non poſſit in dilectione illius abſolutè, & ſecundum ſe ſumtæ, poteſt tamen peccare diligendo inordinatè, ſeu non ordinando illam ad finem ſupernaturalem, dum tenetur (ſicut tenebatur pro eo inſtanti) ad illum eam ordinare. Videatur Ferrarienſis citato loco.

XXX. Ex hoc facilè intelliges, ſimilitudinem cum Deo, quam Angelus malus appetivit, in hoc ſitam fuiſſe: quòd ſicut Deus ſeipſo, & ſuo naturali bono eſt beatus, & ipſe ſibi eſt finis ultimus; ita & ipſe Angelus (ex modo tamen appetendi) voluit ſibi ipſi eſſe ultimus finis, & ſuo natu-

Digitized by Google

naturali bono eſſe beatus, tanquam ſua naturalis perfectio eſſet ſummum bonum, ad nullum aliud perfectius bonum ordinatum.

XXXI. Dico quintò. Satis etiam probabile eſt, Angelum in primo ſuo peccato ſuperbjiſſe, appetendo beatitudinem ſupernaturalem, ut acquirendam viribus naturæ, non auxilio gratiæ. Ita S. Thomas ſupra laudatus hâc q. 63. a. 3. & Q. 16. de Malo a. 3. dicens: *Diabolus non peccavit appetendo aliquod malum, ſed appetendo aliquod bonum, ſcilicet finalem beatitudinem, non ſecundùm ordinem debitum, ideſt non conſequendam ſecundùm gratiam Dei.*

Hoc Aſſertum priùſquam probetur explicandum eſt. Non intendimus, quòd primum peccatum Angeli fuerit appetitus expreſſus, & formalis beatitudinis ſupernaturalis, ut acquirendæ viribus propriis, ſeu ſine auxilio gratiæ: talis enim volitio ſupponeret errorem ſaltem practicum in mente Angeli, quo iudicaret beatitudinem ſupernaturalem poſſe acquiri ſine auxilio gratiæ, qui fuit error Pelagii, ut ſuperiùs tom. 4. oſtenſum eſt, cujus oppoſitum docet D. Thom. hac *q.* 63. *a.* 1. *ad* 4 Sed quòd Angelus malus ex modo appetendi, inordinatè ſe geſſerit, eam appetendo, non cum ordine ad Deum beatitudinis Auctorem. Cum enim ſciret, eam acquiri non poſſe ſine gratia Dei, & tunc illi urgeret præceptum eam hoc modo per actum ſpei ſolicitandi; hunc actum habere contemſit, & hunc ordinem ſervare: ex quo factum eſt, ut ex modo tendendi ſic eam appetierit, ac ſi, non gratiæ, ſed propriis viribus eam comparare præſumeret.

Ita exponit S. Thomas 1. *p. q.* 63. *a.* 1. cirato *ad* 4. his verbis: *Alio modo contingit peccare per liberum arbitrium eligendo aliquid, quod ſecundùm ſe eſt bonum, ſed non cum ordine debitæ menſuræ, aut regulæ: ita quòd defectus inducens peccatum ſit ſolùm ex parte electionis, quæ non habet debitum ordinem, niſi ex parte rei electa: ſicut ſi aliquis eligeret orare non attendens ad ordinem ab Eccleſia inſtitutum. Et hujuſmodi peccatum non præexigit ignorantiam, ſed abſentiam conſiderationis eorum, quæ conſiderari debent. Et hoc modo Angelus peccavit convertendo ſe per liberum arbitrium ad proprium bonum abſque ordine ad regulam divinæ voluntatis.* Ita S. Doct.

XXXII. Sic explicata Aſſertio colligitur ex S. Anſelmo relato à D. Thoma hâc *q.* 63. *a.* 3. dicente: *& hoc conſonat dictis Anſelmi* (lib. de Caſu Diaboli c. 3. & 4.) *qui dicit, quòd* appetiit illud, ad quod perveniſſet, ſi ſtetiſſet: *& hæc duo quodammodo in idem redeunt, quia ſecundùm utrumque appetiit finalem beatitudinem per ſuam virtutem habere, quod eſt proprium Dei.*

Quibus verbis indicare vult S. D. quòd etſi Angelus peccaverit appetendo beatitudinem ſupernaturalem, eam tamen non appetiit ut formaliter, & in eſſe objecti ſupernaturalem; quia ex modo appetendi eam non appetiit, ut habendam ex viribus gratiæ, ſed per virtutem ſuæ naturæ; eo modo, quo hæreticus dùm aſſentitur alicui articulo fidei, ei non aſſentitur, ut formaliter ſupernaturalis eſt; quia ex motivo naturali ei aſſentitur: & propterea benè dicit D. Thomas, quòd ſive dicatur, Angelum peccaſſe inordinatè appetendo ſuam beatitudinem naturalem, ſive ſupernaturalem, in idem redit; quia ſemper appetiit beatitudinem naturali modo habendam, ſeu ſemper appetiit, per ſeipſum eſſe beatum, ſicut Deus.

Sic autem probatur Aſſertio. Satis conſonum eſt, teſtimoniis Scripturæ, & PP. Angelum peccaſſe ſuperbiendo circa objectum valdè excelſum, & circa finem prorsùs ultimum, ad quem Deus illum elevaverat, quia hoc modo ſuperbiendo magis appetiit eſſe ſimilis Deo: ſed hoc objectum valdè excellens, & finis ſimpliciter ultimus, cujus conſecutione magis aſſimilatur, Deo eſt beatitudo ſupernaturalis; ergo &c.

Digitized by Google

§. V.

Quâ viâ peccatum in Angelos irrepſerit

XXXIII. Cùm in voluntatem irrepere non poſſit peccatum, niſi aliquis defectus in intellectu præceſſerit; ideò ad pleniorem Angelorum peccati intelligentiam quærere operæ pretium duxi, quis defectus in eorum mente præcedens traduxerit peccatum in voluntatem. Quatuor ſunt defectus, qui in intellectu angelico, & humano excogitari poſſunt. Primus eſt *neſcientia*, ſeu carentia illius ſcientiæ, quam quis nec debet, nec natus eſt habere; & hæc cùm tantùm ſit negatio, non eſt culpa, nec pœna, & locum habet etiam in Angelis, qui non omnia ſciunt, imò multa neſciunt, quæ Deus ſcit. Secundus eſt *ignorantia*, quæ eſt carentia ſcientiæ, quam quis natus eſt habere; & hæc habet rationem pœnæ, & poteſt habere etiam rationem culpæ. Tertius, eſt *error* poſitivus, qui tunc adeſt, quando quis aliquam veritatem non ſolum ignorat, ſed de ea habet judicium erroneum, dùm putat oppoſitum. Quartus eſt *inconſideratio*, ſeu carentia conſiderationis; quæ ſi ſit de re, quam quis non tenetur conſiderare, eſt ſolùm negativa; ſi verò ſit de re, quam quis conſiderare tenetur, eſt privativa.

XXXIV. Non potuiſſe in Angelo eſſe peccatum in voluntate, quin aliquis in ejus intellectu defectus præceſſiſſet, ut certum habeo, quidquid dicat in contrarium Scotus. Primò: quia ſic doceor à D. Thoma, tùm Q. 16. *de Malo a. 2. ad. 4.* ſic dicente: *ſemper autem in peccato defectus intellectus, vel rationis, & voluntatis proportionabiliter ſe concomitantur*. Tum 1. 2. q. 77. a. 2. *Cùm Voluntas ſit boni, vel apparentis boni, nunquam voluntas in malum movetur, niſi id, quod non eſt bonum, aliqualiter rationi bonum appareat: & propter hoc voluntas nunquam in malum tenderet, niſi cum aliqua ignorantia, vel errore rationis. Unde dicitur Prov. 14.* errant, qui operantur malum.

XXXV. Quibus rationem indicat: quia voluntas cum ſequatur in omnibus ductum rationis, nec velit bonum, niſi ut ſibi propoſitum ab intellectu, non poteſt inordinatè ſe gerere circa bonum, niſi inordinatè fuerit illi propoſitum; ſicut in cæco ſequente ductum videntis, nequit eſſe inordinatus greſſus, ſi ille, qui videt, & eum ducit ordinatè procedat. Et hoc verum eſt, nedum in voluntate peccantis ex ignorantia, ſed etiam peccantis ex malitia, & induſtria: in hoc enim adeſt quidem judicium ſpeculativum rectum, cum judicet id, quod facit eſſe contra divinam legem; ſed adeſt etiam judicium practicum non curans de divina lege, ei dictans, conveniens eſſe hìc, & nunc ita operari, quo judicio magis rapitur voluntas. Cum enim minus bonum in conſpectu majoris boni ei oppoſiti induat rationem mali, ſi propoſitâ voluntati obſervantiâ legis tanquam majori bono, hìc & nunc, & efficaciter voluntas vellet oppoſitum; jam proſequeretur malum ſub ratione mali, & refugeret bonum ſub ratione boni, quod eſt ferri extra ſuum objectum.

XXXVI. Nec valet opponere quemdam articulum Pariſienſem, nempè quòd *exiſtente intellectu in apice rationis, poteſt voluntas in oppoſitum*. Nam articulus ille loquitur de intellectu exiſtente in apice rationis in habitu, non verò in actu; vel de intellectu ſpeculativè exiſtente in apice rationis, & quoad principia univerſalia; non de intellectu particularia hìc & nunc practicè proponente. Quamquam præfati Pariſienſes articuli pro ea parte, pro qua opponuntur doctrinæ S. Thomæ, revocati poſtea fuerunt à Stephano Epiſcopo Pariſienſi anno 1325. ut ſuperiùs oſtendi *preſenti Tract. Quæſt. 2. Dub. 2. §. 3. n. 55.* & ab Urbano IV. in Extrav. *Laudabilis Deus*; ubi præcipit,

Digitized by Google

cipit, doctrinam D. Thomæ recipi, ut Catholicam, & damnat omnes qui eam damnant, ut erroneam.

XXXVII. Suppono autem, primum peccatum in angelico intellectu nullam præceſſiſſe ignorantiam, aut errorem. Non quidem ignorantiam: nam *Ezechiel.* 28. *v.* 12. Lucifer dicitur plenus ſapientiâ, & perfectus decore à die conditionis ſuæ. Et rursùs: quia, ut ſuperiùs diximus, habuit ab initio ſpecies omnium rerum naturalium, & revelationem inſuper omnium, quæ ad rectè vivendum in ordine ſupernaturali neceſſaria ſunt. Quòd ſi de aliquibus myſteriis Angeli poſtea illuminati ſunt, hoc fuit quoad circumſtantias explicitas, non quoad ſubſtantiam, nec per novarum ſpecierum additionem; & de rebus, quas tunc nati non erant habere: unde fuit potiùs neſcientia negativa, quàm ignorantia.

Neque etiam errorem, loquendo ante primum peccatum; Error enim iſte, vel fuiſſet judicando hæreticè falſa eſſe, quæ à Deo revelata ſunt, eiſque aſſenſum negando; & hoc eſſe non potuit, quia talis hæretica negatio ſupponit pertinaciam in voluntate, quæ ante primum peccatum in Angelo ſupponi nequit. Vel temerariè judicando de iis, quæ à Deo illi non fuerant revelata, neque ex revelatis evidenter deducta; & hoc neque: Nam tale judicium fieri non poterat abſque peccato temeritatis in voluntate applicante intellectum ad judicium de objecto ſuper excedente, abſque ſufficienti fundamento, quod ante primum peccatum eſſe non potuit; quamvis poſt peccatum in Dæmonibus eſſe poſſit.

XXXVIII. Qui de hoc pleniùs inſtrui cupiet, adeat D. Thomam Q. 16. *de Malo a.* 6. ubi poſtquàm docuit, quòd cùm Angeli circa naturalia objecta ſemper ſint in actu per ſpecies, & Dæmones peccando, naturalia non amiſerint; *conſequens eſt, quòd nec Diabolus falſam opinionem habere poſſit in his, quæ pertinent ad ejus naturalem cognitionem*. Addit: cùm autem ad ea, quæ naturalem eorum cognitionem excedunt Angeli ſint in potentia, *ſic reſpectu hujus cognitionis gratuitæ poteſt in quolibet aliquis defectus exiſtere, aliter tamen, & aliter. Nam in bono Angelo poteſt quidem reſpectu hujuſmodi cognoſcibilium eſſe defectus, ſed ſimplicis negationis, ſecundùm quòd Dionyſius c. 7. Eccleſ. Hierarch. dicit, quòd à neſcientia purgantur. Non autem poteſt in eis eſſe defectus falſæ opinionis. Quia cùm voluntas eorum ſit ordinata, non applicat ſuum intellectum ad judicandum de illis, quæ cognitionem eorum excedunt. Sed in malis Angelis propter inordinatam, & ſuperbam voluntatem poteſt eſſe reſpectu hujuſmodi cognoſcibilium etiam defectus falſæ opinionis; in quantùm exhibent præſumtuosè ſuum intellectum ad judicandum de his, quæ eos excedunt. Et hæc quidem falſitas reſpectu hujuſmodi poteſt in eis eſſe ſpeculativè, in quantùm ſcilicet in falſum judicium prorumpunt: & practicè, ſive affectivè, inquantùm falsò exiſtimant, aliquid eſſe appetendum, vel agendum in ordine ad prædicta cognoſcibilia*. Ita S. Thomas. Cùm ergo ante primum peccatum nulla ſupponatur in Angelis ſuperba, & præſumtuoſa voluntas, nullus ſupponi poteſt error, ſive ſpeculativus, ſive practicus.

XXXIX. Dico ergo. Primum peccatum Angeli irrepſit ex inconſideratione privativa, nempè divinæ regulæ, quam tunc tenebatur conſiderare, & advertere. Ita D. Thom. hâc *q.* 63. *a.* 3. *ad* 4. Non enim irrepſit ex ignorantia, non ex errore, ut probatum eſt: aliunde debuit ex aliquo defectu in intellectu irrepere; reſtat ergo, ut irrepſerit, non quia elegerit malum, ſed quia eligendo aliquid ſecundùm ſe bonum, nempè amando propriam beatitudinem, eam non amavit cum ordine debitæ menſuræ, & regulæ.

XL. Notandum tamen cum eodem S. Doct. Q. 1. de Malo a. 3. quòd *Hoc ipſum, quod eſt non attendere actu ad talem regulam in ſe conſideratam,* non

Digitized by Google

non eſt malum, nec culpa, nec pœna; quia anima non tenetur, nec poteſt attendere ad hujuſmodi regulam ſemper in actu. Sed ex hoc accipit primò rationem culpæ, quia ſine actuali conſideratione regulæ procedit ad hujuſmodi electionem. Sicut Artifex non peccat in eo, quòd non ſemper tenet menſuram; ſed ex hoc quòd non tenens menſuram procedit ad incidendum. Et ſimiliter culpa voluntatis non eſt, quòd non actu attendit ad regulam rationis, vel Legis divinæ; ſed ex hoc, quòd non habens regulam, vel menſuram hujuſmodi procedit ad eligendum. Et inde eſt, quòd Auguſtinus dicit in 12. de Civit. Dei (c. 7.) *quod voluntas eſt cauſa peccati, in quantùm deficiens: ſed illum defectum comparat ſilentio, vel tenebris, quia ſcilicet defectus ille eſt negatio ſola.* Ita S. Thomas. Loquebatur autem ibi S. Auguſtinus de cauſa malæ voluntatis Angelorum. Ex eo igitur, quòd Angelus proceſſit ad amandum ſeipſum, ſuamque beatitudinem, ſive naturalem, ſive ſupernaturalem, non attendens, nec conſiderans regulam divinæ Legis prohibentem talem amorem abſque ordine ad Deum Auctorem, & finem ſupernaturalem; tale judicium inconſideratum, poſterius quidem electione in genere cauſæ efficientis, ſed in genere cauſæ formalis prius, electionem vitiavit, fecitque electionem malam.

DUBIUM IV.

Quandònam peccaverit Angelus.

§. I.

An Dæmones ſint naturâ mali, an voluntate?

I. Diabolum naturâ eſſe malum, imò omnium malorum Principium, error fuit Manetis, à quo Manichæorum ſecta ortum duxit. Hunc errorem ſecutus fuit Priſcillianus, hæreſis Priſcillianiſtarum auctor, Abilæ civitatis Hiſpaniæ Epiſcopus, Valentiniani Cæſaris, & Siricii Pontificis temporibus circa annum 388. Fides Catholica docet, Angelos illos (quos modò Dæmones dicimus) non eſſe naturâ ſuâ, ſive ex ſua ſubſtantia, vel etiam ex conditione, inclinatione, aut proprietate naturali malos; ſed factos malos propriâ voluntate.

II. Dico igitur. Nullus Dæmonum naturâ ſuâ malus eſt. Veritas de fide eſt contra præfatos hæreticos. Unde in Concil. Carthaginenſi IV. anno 398. inter cætera, de quibus Epiſcopus ordinandus interrogari jubebatur *Can.* 1. erat hoc: *Si Diabolus, non per conditionem, ſed per arbitrium factus ſit malus.* Et in Concil. Bracarenſi I. Can. 7. an. 561. anathemate percellitur, *Si quis dicit, Diabolum non fuiſſe priùs bonum Angelum à Deo factum, nec Dei opificium fuiſſe naturam ejus; ſed dicit, eum ex chao, & tenebris emerſiſſe, nec aliquem ſui habere auctorem; ſed ipſum eſſe principium, atque ſubſtantiam mali, ſicut Manichæus, & Priſcillianus dixerunt.* Et meritò quidem (addit S. Leo Epiſt. 93. c. 5.) *Cùm fides vera, quæ eſt Catholica, omnium creaturarum, ſive ſpiritualium, ſive corporalium bonam profiteatur eſſe ſubſtantiam, & mali nullam eſſe naturam; quia Deus, qui Univerſitatis eſt conditor, nihil non bonum fecit. Unde & Diabolus bonus eſſet, ſi in eo, quod factus eſt, permaneret.* Accedit Definitio Innocentii III. in Concil. Lateranenſi IV. anno 1215. Cap. Firmiter de ſumm. Trinit. dicentis: *Diabolus, & Dæmones alii à Deo quidem naturâ creati ſunt boni; ſed ipſi per ſe facti ſunt mali.* De Manichæorum hæreſi videantur à nobis dicta *Tom. 2. de Deo. Q. 2. Dub. 5. §. 1. N.* 8. & S. Auguſt. *de Hæreſ. c.* 46.

III. Quia verò alii errarunt dicentes, Diabolì quidem ſubſtantiam non eſſe malam, ſed ipſum Diabolum eſſe naturaliter malum; hos perſtringit S. Auguſtinus *lib.* 11. *de Geneſ. ad litt. c.* 20. 21. 22. & 23.

IV.

Digitized by Google

IV. Catholica autem veritas contra præſatos errores probatur primò. Nam etiam Dæmones facti à Deo ſunt; omnia enim per ipſum facta ſunt, qui eſt Creator omnium viſibilium, & inviſibilium: ſed quidquid à Deo factum eſt, natura bonum eſt; Gen. enim c. 1. v. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*; ergo &c. Tum Quidquid ens eſt, bonum eſt; & malum non eſt natura, ſed vitium naturæ: ſi vitium naturæ; ergo naturam, quam vitiat ſupponit bonam, quia malum non vitiat, nec opponitur niſi bono.

V. Quòd ſi dicas, naturam quidem Diaboli eſſe bonam; ſed ipſum Diabolum eſſe naturaliter ad malum propenſum, & malum proprietate ſuâ; eo modo, quo alii Angeli ſunt proprietate, & inclinatione boni. Et inter homines quidam ſunt naturaliter mali, Sap. 12. v. 10. erat *naturalis malitia ipſorum*; & aliqua inſuper animalia irrationalia habent quaſdam naturales malitias, ſicut vulpes naturaliter eſt ſubdola, & lupus naturaliter eſt rapax, quæ tamen ſunt creaturæ Dei. Cur ergo non & Diabolus, eſto creatura Dei, non poterit eſſe naturaliter fallax, mendax &c.

VI. Contra tamen eſt. Nam quamvis in Univerſo debeant eſſe boni, & mali, quin hi malitiâ ſuâ ordinem univerſitatis ſub Deo Proviſore deturpent, ut ait S. Auguſtinus citatus C. 21. qui tamen mali ſunt, non ex Conditore, aut ex natura, vel proprietate, ſed voluntate mali ſunt; bonum enim à Deo, ſed malum à creatura, quia ex nihilo eſt. Et hoc in Dæmonibus patet, ait S. Auguſtinus citatus: non enim Deus in eis, ex juſtitia damnaret, quod in eis non ex demerito, ſed ex natura reperiſſet. *Quia cuilibet occurrit, & verum eſt, atque manifeſtum, juſtitiæ ipſi eſſe contrarium, ut nullo præcedente merito, hoc ipſum in quoquam Deus damnet, quod in eo ipſe creaverit, certaque, & evidens damnatio Diaboli, & Angelorum ejus ex Evangelio recitatur, ubi ſe dicturum Dominus prænunciavit eis, qui à ſiniſtris ſunt: Ite in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo, & Angelis ejus; nullo modo in eo naturam, quam Deus creavit, ſed malum propriam voluntatem pœnâ ignis æterni plectendam eſſe credendum eſt*. Non ergo Deus fecit Diabolum malum; ſed fecit eum, quamvis præſciret, eum ſe facturum malum, prævidens quanta bona ex hoc malo eſſent ſecutura: *Præſciens* (proſequitur Auguſtinus) *eum propriâ voluntate malum futurum, fecit eum tamen; non abſtinens bonitatem ſuam in præbenda vita, atque ſubſtantia futuræ etiam noxiæ voluntati, ſimul prævidens, quanta de illo bona eſſet ſuâ mirabili bonitate, ac poteſtate facturus*.

VII. Nec etiam verum eſt, quoſdam homines eſſe naturaliter malos, ſi accipiatur natura, qualis condita fuit à Deo in primo Parente: quamvis ſi accipiatur, ut trahit originem viâ ordinariâ ab Adamo peccatore ſit peccato originali vitiata; & ideò dici poſſint homines naturâ, ideſt nativitate, mali: quo ſenſu dicit Apoſtolus ad Epheſ. 2. v. 3. *Eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri*, ideſt ab ipſa nativitate obnoxii iræ divinæ, quia concepti, & nati in peccato. Addit D. Thom. hâc q. 63. a. 4. ad 2. quòd *malitia aliquorum hominum poteſt dici naturalis, vel propter conſuetudinem, quæ eſt altera natura; vel propter naturalem inclinationem ex parte naturæ ſenſitivæ ad aliquam inordinatam paſſionem, ſicut quidam dicuntur naturaliter iracundi, vel concupiſcentes; non autem ex parte naturæ intellectualis*. Et ita exponit verba ex Sapientia prolata. Doloſitas autem, & rapacitas, ut ſunt in homine, ſunt quidem in genere malitiæ, quia per eas homo deviat ab ordine rectæ rationis; ut verò doloſitas eſt in vulpe, & rapacitas in lupo, non habent rationem malitiæ, ſed ſunt natura ipſorum, ſeu naturalis proprietas, quâ ad quærendum ſibi victum ſagaciter, vel rapaciter incli-

clinantur. Unde S. Auguſt. lib. de Peccat. origin. c. 40. *Tantæ* (inquit) *excellentiæ eſt in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis, natura ſit pecoris*. Et Pſalm. 48. v. 13. ubi dicitur: quod *homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, dicit S. D. ibi: *homo non pecoris vitio comparatur, ſed natura*. Qui de hac re plura exoptaverit, adeat S. Thomam Qu. 16. *de Malo a.* 2. eam fusè tractantem.

§. II.

An Diabolus in primo inſtanti ſuæ creationis fuerit malus per culpam ſuæ voluntatis?

VIII. Cùm ex dictis conſtet, Diabolum non eſſe malum naturaliter, nec ex naturæ ſuæ conditione; quæritur hìc, an ſemper fuerit voluntate ſuâ malus: ſeu, an illo eodem inſtanti, quo creatus eſt, voluntate peccaverit. De hoc ſuperiùs diximus aliqua Qu. 7. *Dub.* 2. §. 2. ubi omnes Angelos conditos fuiſſe in gratia: & §. 3. ubi omnes ad eam ſuſcipiendam ſe ſe diſpoſuiſſe oſtendimus: quæ certè cum actuali peccato in eodem inſtanti incompatibilia ſunt. Aliqua tamen cum S. Thoma hâc *qu.* 63. *a.* 5. dicemus.

IX. Dico ergo. Diabolus in primo inſtanti ſuæ creationis non fuit malus, ſeu non peccavit propriâ voluntate. Ita S. Thomas laudatus dicens: *Quidam poſuerunt, quòd ſtatim Dæmones in primo inſtanti ſuæ creationis mali fuerunt, non quidem per naturam, ſed per peccatum propriæ voluntatis; quia ex quo eſt factus Diabolus, juſtitiam recuſavit*. Quæ opinio licèt diverſa ſit ab errore Manichæorum ſupra confutato, teſte D. Auguſt. lib. 11. de Civit. Dei c. 13. à D. Thoma relato, dicente: *Huic ſententiæ quiſquis acquieſcit, non cum illis hæreticis ſapit, ideſt Manichæis, & ſi quæ aliæ peſtes ita ſentiunt, quòd ſuam quamdam propriam tanquam ex adverſo quodam principio Diabolus habeat naturam mali*. Quia tamen (ſubjungit S. Thomas) *hæc opinio auctoritati Scripturæ contradicit ... ideò à Magiſtris ... tanquam erronea, rationabiliter reprobata eſt*: quod repetit Qu. 16. *de Malo a.* 4.

X. Probatur ergo ex Script Primò Geneſ. 1. v. 3. *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*: inter ea autem erant etiam Dæmones; ergo Dæmones aliquando fuerunt boni. Ita D. Tho. hâc *qu.* 63. *a.* 5. *in Argum. ſed contra*. Secundò. Iſaiæ 14. v. 12 *Quomodo cecidiſti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* ergo in ortu ſuo fuit priùs lucidus Diabolus, antequam caderet. Tertiò. *In deliciis Paradiſi Dei fuiſti: omnis lapis pretioſus operimentum tuum &c.* dicitur Ezechiel. 28. v. 13. & v. 15. *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te*: quæ ſub Perſona Regis Tyri ad Diabolum dicuntur; ergo priùs perfectùs fuit in viis ſuis, deinde in eo inventa fuit iniquitas. Quartò. Jo. 8. v. 44. habetur: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit*: Ab initio, ideſt initio generis humani, non initio ſuæ conditionis, exponit S. Auguſt. l. 11. de Civit. Dei c. 13. citato, ubi advertit: *non dixiſſe Dominum: A veritate alienus fuit; ſed*, in veritate non ſtetit, *ubi à veritate lapſum intelligi voluit: in qua utique ſi ſtetiſſet, ejus particeps factus, beatus cum ſanctis Angelis permaneret*. Ex quibus evidens fit, S. Auguſtinum receſſiſſe ab ea opinione, quæ ponit, Diabolum ſemper malum fuiſſe, in quam aliquando tanquam probabilem propenſus fuerat *lib.* 11. *de Geneſ. ad litt.* ubi tamen diſputando potiùs, quàm aſſerendo; locutum fuiſſe, ait D. Tho. Qu. 16. *de Malo a.* 4. *citato*. Revocanda ſunt hùc quæ §. *præcedente* recitavimus ex Concilio Bracarenſi, & S. Leone, & quæ ſupra Q. 7. *Dub.* 2. §. 2. attulimus ad probandum, Angelos fuiſ-

ſe

ſe creatos in gratia, ubi quoque aliquas Script. auctoritates apparenter contrarias expoſuimus.

XI. Solùm circa textum 1. *Joann.* 3. *v.* 8. *Ab initio Diabolus peccat.* Obſervo, eum varias habere expoſitiones. Prima eſt, quam ſuperiùs ex D. Auguſt. *lib.* 11. *de Civit. Dei c.* 13. retulimus, nempe *ab initio* ſumi, non pro initio conditionis ſuæ, ſed ab initio conditionis hominis; ex quo enim homo conditus eſt, ſemper peccat Diabolus, conando eum decipere. Secunda eſt, quam tradit D. Thomas hoc *a.* 5. *ad* 1. ex eodem S. Auguſt. *lib.* 11. *de Civit. Dei citato c.* 15. nimirùm: *Cùm dicitur, quòd Diabolus ab initio peccat, non ab initio, ex quo creatus eſt, peccare putandus eſt; ſed ab initio peccati, quia nunquam à peccato ſuo receſſit.* Tertia tandem eſt, quam indicat idem S. Thom. *Q.* 16. *de Malo a.* 4. *ad* 1. ut ab initio ſit idem, quod ſtatim poſt initium, vel circa initium creationis mundi peccavit.

XII. Quanta autem mora interceſſerit ab Angeli conditione ad ejus primum peccatum, oſtendimus ſupra *Q.* 7. *Dub.* 3. *§.* 2. nec ibi dicta, ſunt inutiliter repetenda. Quod hìc negotium faceſſit, eſt: an, ſicut in primo ſuæ creationis inſtanti Angelus non peccavit; ita nec peccare potuerit. Pro quo

DUBIUM V.

An Angelus peccare potuerit in primo ſuæ conditionis inſtanti?

§ I.

Reſolutio negativa.

I. AD hoc dubium excitat nos D. Thomas hoc *a.* 5 *q.* 63. dùm ait. *Impoſſibile fuit, Angelum in primo inſtanti peccaſſe per inordinatum actum liberi arbitrii.* Cujus oppoſitum ſentiens Scotus, celebre inter utramque Scholam fecit hoc dubium, in quo tractando multas paginas implent aliqui; nos ſobrietate contenti Candidatum plura deſiderantem ad illos amandabimus.

II. Dico ergo. Angelus in primo ſuæ conditionis inſtanti peccare non potuit, hoc eſt, prima operatio, quam Angelus ſtatim ac conditus elicuit, non potuit eſſe inordinata, & defectuoſa. Probatur ratione, quâ utitur D. Thomas hìc, ſub hac forma. *Quamvis res aliqua in primo inſtanti, quæ eſſe incipit, ſimul incipere poſſit operari, tamen illa operatio, quæ ſimul incipit cum eſſe rei, eſt ei ab agente à quo habet eſſe;* ergo ſi Angelus in primo inſtanti haberet operationem defectuoſam, illa operatio ineſſet ei ab agente, à quo habet eſſe: ſed agens à quo Angelus habet eſſe, eſt Deus; ergo operatio incipiens cum eſſe Angeli ineſt ei à Deo, & ſic ſi eſſet defectuoſa, ille defectus ineſſet ei à Deo; cùmque à Deo nequeat eſſe defectus, nullius enim defectus cauſa eſſe poteſt, illa prima operatio defectuoſa eſſe nequit.

Antecedens, in quo tota eſt difficultas, probatur à D. Thom. Tùm exemplo motus gravium, & levium; qui cùm incipiat ſimul cum eſſe illorum, quoties extra locum ſibi connaturalem generantur, dicitur ineſſe eis à generante. Tùm exemplo tibiæ; quæ, ſi naſcatur curva, & ſtatim incipiat claudicare, claudicatio tribuitur debilitati ſeminis in generante: & etiam motus cordis in animalibus, idcirco eis à generante ineſt, quia incipit cum eſſe animalium. Ratio autem eſt: quia res cùm primò incipit eſſe, nullam poteſt inclinationem, aut diſpoſitionem habere ad operandum niſi eam, quam ab Auctore ſuæ naturæ inditam accepit: ex quo ſequitur, quòd talis operatio etiamſi à libero arbitrio liberè operante procedat, debeat eſſe conformis principiis illis, quæ dantur ab Auctore naturæ; ideòque in ipſum, ut ſpecialem motorem in re operantem referri, nedùm quoad enti-

entitatem tantùm, ſed quoad omnem modum, & conditionem, quam habet. Illa enim operatio cum eſſe rei incipiens, eſt quaſi corollarium, & complementum actionis producentis rem in eſſe, & quà conſtituitur potens, & expedita ad alias operationes ſubinde faciendas; ſicut motus cordis incipiens cum eſſe animalis, conſtituit animal in actu primo potens ſe movere per alios motus.

III. His præocupatur reſponſio Adverſariorum communiter reſpondentium, principium hoc D. Thomæ non valere in operatione vitali, & libera, qualis fuit prima operatio Angeli, utpotè meritoria.

IV. Nam contra ſic. Actio vitalis, & libera etiamſi elici debeat à principio intrinſeco vivente, & libero, debet tamen (ſi creata ſit) procedere à principio extrinſeco movente generaliter; & ſi eſt prima, debet eſſe ab eodem ut movente ſpecialiter; ergo omnis operatio Angeli, etſi vitalis, & libera, debet procedere à Deo, ut motore generali; & ſi eſt prima, ut motore particulari, & ſpeciali. Antecedens pro prima parte continet doctrinam Thomiſtarum jam ſtatutam, nempè voluntatem creatam etiam ad actus ſuos liberos indigere moveri à Deo. Pro ſecunda verò probatur. Nam voluntas ad actum primò primum nequit ſeipſam à ſeipſa movere, & applicare; aliàs idem ſecundùm idem, & reſpectu ejuſdem eſſet movens, & motum. Quâ ratione D.Th. 1.2. q. 109. a. 2. ad 2. *Homo* (inquit) *eſt Dominus ſuorum actuum, & volendi, & non volendi propter deliberationem rationis, quæ poteſt flecti ad unam partem, vel aliam: ſed quòd deliberet, vel non deliberet, etſi hujuſmodi etiam ſit dominus, oportet, quòd hoc ſit per deliberationem præcedentem; & cùm hoc non procedat in infinitum, oportet, quòd finaliter deveniatur ad hoc, quod liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, quod eſt ſupra mentem humanam, ſcilicet à Deo ... unde mens hominis etiam ſani non ita habet dominium ſui actus, quin indigeat moveri à Deo &c.* Qui ex profeſſo eâdem 1. 2. *q.* 9. *a.* 4. loquens de primo actu voluntatis, docet, quòd cùm voluntas non ſe moveat, niſi mediante conſilio, & ex aliqua voluntate præſuppoſitâ, nec ſit procedendum in infinitum: *neceſſe eſt ponere, quòd in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex inſtinctu alicujus exterioris moventis* utique ſpeciali modo applicantis.

V. Roborantur dicta. Ad liberè volendum neceſſariò requiritur dictamen practicè proponens objectum, & præcedens actum voluntatis, eamque regulans: ſed Angelus nequit à ſeipſo moveri ad formandum tale dictamen practicum præcedens primum actum voluntatis; ergo debet ad illud formandum ſpecialiter moveri à Deo. Minor probatur. Nam Angelus non poſſet à ſe moveri ad formandum illud dictamen practicum, niſi per actum voluntatis: ſed ad dictamen præcedens primum actum voluntatis, non poteſt moveri per actum præcedentem voluntatis, aliàs actus per illud dictamen regulatus, eſſet primus voluntatis actus, & non eſſet primus, & procederetur in infinitum; ergo &c. Unde D. Thomas hîc 1. p. q. 82. a. 4. ad 3. *Non oportet* (inquit) *procedere in infinitum. Sed ſtatur in intellectu ſicut in primo. Omnem enim voluntatis motum, neceſſe eſt, quòd præcedat apprehenſio; ſed non omnem apprehenſionem præcedit motus voluntatis; ſed principium conſiliandi, & intelligendi eſt aliquod intellectivum principium altius intellectu noſtro, quod eſt Deus.* Ex quibus ſic diſcurro. Non potuiſſet Angelus in primo inſtanti habere actum defectuoſum in voluntate, quin in ea præceſſiſſet pro priori naturæ dictamen defectuoſum proponens illi bonum, ut appetendum abſque debita conſideratione, in hoc enim ſolùm potuit eſſe Angeli peccatum: ſed ſi ad primum dictamen formandum fuiſſet Angelus, non à ſua voluntate, ſed unicè à Deo motus, non potuiſſet propone-

ponere objectum cum tali defectu, quin talis defectus refunderetur in Deum, & conſequenter etiam defectus ex eo in voluntate ſecutus; cùm defectus voluntatis ſupponat defectum intellectus proponentis practicè, ut appetibile id, quod vel non eſt appetibile, vel non eo modo appetendum eſt; ergo &c. Mitto alias rationes, quæ videri poterunt apud Noſtrates, &

VI. Probo ſecundò ſic: Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis non potuerunt peccare de potentia ordinaria; ergo nec potuerunt peccare de potentia extraordinaria; ergo pro eo inſtanti fuerunt omni modo impeccabiles. Conſeq.prob. ex dictis ſuperius. Quando enim aliquid de potentia ordinaria fieri nequit, ſi de potentia Dei extraordinaria fiat, hoc vel ſoli Deo attribuitur, vel Deo ut cauſæ principali, & creaturæ ad ſummum ut inſtrumento: ſicut quia de potentia ordinaria fieri nequit, quin ignis applicatus comburat; ſi hoc de potentia extraordinaria fieret, ut in fornace Babylonica factum fuit, Deo principali Auctore fieret; quia quod de potentia ordinaria fieri nequit, & de potentia extraordinaria fit, fit ſupra naturam rei creatæ, & ſupra, aut contra exigentiam ejus, ac proinde non ab intrinſecis illius eſt, ſed ab extrinſeco proveniret; ergo ſi non poſſet in creatura intellectuali pro primo inſtanti reperiri peccatum de potentia ordinaria, & Deus de ſua extraordinaria potentia vellet, ut in ea reperiretur; ejuſmodi peccatum attribueretur Deo, ſi non ut cauſæ totali, ſaltem ut cauſæ partiali, creaturæ autem ſolùm ut inſtrumento, quod repugnat.

Ant. verò probatur. Nunquam Deus creaturam rationalem produxit, quam in primo ſuæ conditionis inſtanti peccare permiſerit, nec unquam producet: in tanta enim multitudine Angelorum nullus de facto in primo inſtanti peccavit, ſicut nec primus homo; ergo ſignum eſt, hoc de via ordinaria fieri non poſſe. Conſequ. prob. Si de potentia ordinaria Angelus in primo inſtanti peccare potuiſſet, in aliquibus convenienter permiſiſſet, ut peccarent, ſicut de facto in ſecundo inſtanti permiſit; Conveniens enim fuiſſet, ut pro eo inſtanti ſineret agere ſecundùm ſuæ naturæ defectum: hoc enim univerſalis Proviſoris eſt, ut in aliquibus defectum permittat. Rursùs: Ideò enim in ſecundo inſtanti permiſit, ut aliqui peccarent, ut dignoſcerent, quid in eis valeret liberum arbitrium ſine gratia, indeque appareret miſeria creaturæ ſibi relictæ, & neceſſitas auxiliorum divinæ gratiæ; ut hoc exemplo daretur occaſio humilitatis, majoris cautelæ, aliarumque virtutum, quas exercent Juſti, dum aliorum, maximè, qui magis perfecti videbantur, lapſus conſiderant: ſed hæ rationes multò magis urgent pro primo inſtanti; ſi enim nec per unum inſtans Angelus ſtare potuiſſet, multò magis apparuiſſet creaturæ miſeria, & neceſſitas gratiæ; major data fuiſſet occaſio humilitatis &c. ut per ſe patet; ergo &c. Quare ſi Deus hoc non permiſit, ſignum evidens eſt, quòd de via ordinaria non poterat pro illo inſtanti in Angelo eſſe peccatum.

VII. Confirmatur. Ex quo Deus creaverit Angelum, elevando ipſum ad ordinem, & finem ſupernaturalem tanquam univerſalis Proviſor, debuit ipſum conſtituere in actu primo proximo in ordine ad talem finem: ſicut enim rebus naturalibus dedit in earum conditione virtutes ſeminales ad fines, ad quos eas deſtinarat; ſic Angelis ad finem ſupernaturalem elevatis in inſtanti ſuæ conditionis debuit ut univerſalis Proviſor dare gratiam habitualem, quæ eſt velut ſemen ſupernaturalis Beatitudinis, ut docet D. Tho. *1. p. q. 62. a. 3. in Corp.* Cùm ergo gratia habitualis ſit ſaltem connaturaliter incompoſſibilis cum peccato pro eodem inſtanti, ſequitur, quòd pro eodem primo inſtanti de potentia ordinaria non potuerit Deus permit-

tere in Angelis peccatum. Imo cùm pro illo inſtanti teneretur Deus movere Angelum ad aliquam operationem circa finem ſupernaturalem, ſicut tenebatur ipſum movere ad operationem circa finem naturalem; ſequitur etiam, quòd tenebatur conferre Angelo auxilium efficax ad amorem Dei ſupernaturalem, cum quo pariter incompoſſibile eſt peccatum mortale, cujus ſolius Angelus capax eſt. Quòd ſi hæc Deus non contuliſſet, ſecundùm potentiam extraordinariam operatus fuiſſet; & ſi Angelus peccaſſet, illud peccatum, in Deum refundendum fuiſſet.

§. I I.

Fundamenta contraria.

VIII. Objiciunt primò. Homo peccare poteſt in primo inſtanti uſus rationis: ſed primum inſtans uſus rationis in homine correſpondet primo inſtanti creationis in Angelo; ergo Angelus &c.

Confirm. primò. Anima rationalis in ipſo ſuæ creationis inſtanti inficitur peccato originali, quin hoc peccatum incipiens cum eſſe animæ, Deo tribuatur; ergo Angelus ſtatim ac creatus potuit infici peccato, quin &c.

Confirm. ſecundò. Quòd homo in primo inſtanti uſus rationis peccet, & anima in eodem creationis inſtanti peccato inficiatur, ſecundum curſum ordinarium contingit; ergo etiam ſi Angelus peccaret in primo inſtanti, hoc ſecundum viam ordinariam accideret.

IX. Reſpondetur communiter, diſt. maj. phyſico, & initiativo, nego maj. morali, & conſummativo, conc. maj. Primum inſtans, quo homo pervenit ad uſum perfectum rationis, & fit capax peccandi, non eſt phyſicum, ac indiviſibile, ſicut primum inſtans Angeli; ſed morale conſtans ex pluribus inſtantibus phyſicis, quæ conſtituunt aliquam morulam temporis longiorem; vel breviorem, juxta acumen, vel tarditatem ingenii. Si de primo illo inſtanti phyſico, in quo puer incipit moveri ad uſum rationis ſermo fit; cùm illa prima cogitatio ſpecialiter inſit illi à Deo, eâdem ratione negatur, poſſe pro eo inſtanti peccare, quâ de Angelo: & hoc idem dicimus de primo inſtanti phyſico, quo incipimus de aliquo negotio primò cogitare; talis enim cogitatio à Deo ſpecialiter ineſt. Si verò de toto inſtanti morali, ut includit ultimum inſtans phyſicum, quo puer jam pervenit ad perfectam deliberationem rationis; cùm non jam à Deo ſpecialiter moveatur, ſed & à ſeipſo, ſic dicimus poſſe peccare. Sed non eſt contra nos.

X. Reſpondeo ſecundò, admiſsâ maj. diſt. min. cæteris paribus, conc. min. ſi cætera non ſint paria, nego min. cùm ergo D. Thomas aſſerit, operationem incipientem cum eſſe rei, Auctori naturæ eſſe tribuendam, utpotè procedentem ſecundùm inclinationem habitam ab eo, ſupponit in illa non eſſe aliam inclinationem præter eam, quam ab Auctore naturæ habuit: Quod ſi in re adſit alia inclinatio ex alia cauſa eam inclinante ad malum, non rectè infertur: Primò operatur; ergo operatur ex inclinatione, quam habuit ab Auctore naturæ. Cùm ergo in homine, dùm pervenit ad uſum rationis, & adſit inclinatio ad bonum rationis, quam à Deo Auctore accepit, & adſit etiam inclinatio ad malum, deſcendens ex natura, ut peccato primi hominis infectâ, non infertur: homo in primo inſtanti uſus rationis operatur; ergo operatur ſecundùm inclinationem ab Auctore naturæ deſcendentem: & conſequenter, ſi tunc peccat, non peccat ex iis, quæ habet à Deo, ſed ex iis quæ ex corruptione peccati contraxit. Propterea acutè D. Tho. 3. p. q. 34. a. 3. ad 1. *liberum* (inquit) *arbitrium in primo inſtanti creationis poteſt moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando, ſi tamen natura ſit integra.* Cum ergo

ergo in Angelo natura eſſet integra, ſicut & in Adamo ante peccatum; ideò nec Angelus, nec Adamus in prima ſui libera operatione peccare potuerunt: quod non currit de homine peccato Adami infecto in ſui prima operatione. Hic enim viâ ordinariâ in prima ſui operatione peccare poteſt, & peccat, quod nec Angelis, nec Adamo contingere potuiſſet, niſi Deo viâ extraordinariâ operante, & peccatum eorum ſuum faciente, ut probatum eſt.

XI. Ad primam confirm. dico, animam rationalem in inſtanti creationis infici peccato, non ſecundùm ea, quæ habet à Deo creante, ſed ſecundùm ea, quæ habet ex corpore infecto, cui unitur. Unde licèt illa infectio incipiat cum eſſe animæ, adeſt principium, cui tribuatur; quod in Angelo non contingeret: nam eſto in illo eſſet propria voluntas, cùm tamen tunc moveretur à Deo ſpecialiter, non poterat moveri niſi ad bonum.

Aliter reſponderi poteſt, peccatum originale non eſſe per proprium actum animæ, ſed per alienum, nempè Adami: ſed peccatum Angelorum fuiſſet per proprium actum, & actus ille fuiſſet prima eorum operatio. Fundatur hæc ſolutio in D. Thoma Q. 16. *de Malo a. 4. ad 21.* dicente: *Anima in primo inſtanti ſuæ creationis efficitur mala, non per actionem propriam; ſed per unionem ad corpus infectum: unde non eſt ſimilis ratio de Angelo, qui non potuit fieri malus, niſi per proprium actum.* Sicut ſi in eodem inſtanti, quo corpus generatur, ſordidaretur à cæno, in quo inciperet eſſe, ſordes illa non generanti, ſed cænoſo principio extrinſeco tribueretur.

XII. Ad ſecundam confirm. reſpondeo ex dictis, in homine perveniente ad uſum rationis, & anima dum unitur corpori, eſſe principium intrinſecum inferens peccatum, & infectionem, nempè pravam inclinationem, & maculam ab Adamo traductam; & ideò viâ ordinariâ contingit. At in Angelo pro primo inſtanti nullum erat principium proximè ipſum ad peccandum inclinans: & ideò &c.

XIII. Objiciunt ſecundò. Angelus in primo inſtanti potuit mereri, imò de facto meruit; ergo potuit demereri, & peccare.

Retorqueo primo argumentum. Omnes Angeli in primo inſtanti meruerunt, & nemo eorum demeruit; ergo ſignum eſt, quòd non poterant demereri. Recolantur dicta ſuperius.

XIV. Reſpondeo ergo, co. anteced. neg. conſeq. cum D. Tho. hâc q. 63. a. 5. ad 3. quòd *quidquid eſt in merito eſt à Deo; & ideò in primo inſtanti ſuæ creationis Angelus mereri potuit; ſed non eſt ſimilis ratio de peccato*, quod nullo modo à Deo eſſe poteſt, non ſolùm elicitivè, ſed neque motivè. Quibus prævenitur inſtantia fieri ſolita. Nam licèt Deus non poſſit mereri elicitivè; poteſt tamen movere creaturam ad merendum: peccare autem neutro modo poteſt, nempè nec eliciendo actum peccaminoſum, nec movendo ad peccandum.

Aliter reſpondet idem S. D. 3. p. q.34. a.3.ad 1. negando ſimiliter conſeq. Nam *liberum arbitrium non eodem modo ſe habet ad bonum, & malum. Nam ad bonum ſe habet per ſe, & naturaliter; ad malum autem ſe habet per modum defectus, & præter naturam. Sicut autem Philoſophus dicit in ſecundo de Cœlo* (text. 18.) *poſterius eſt, quod eſt præter naturam eo, quod eſt ſecundùm naturam; quia id, quod eſt præter naturam, eſt quædam exciſio, ab eo, quod eſt ſecundùm naturam. Et ideò liberum arbitrium creaturæ in primo inſtanti creationis poteſt moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando, ſi tamen natura ſit integra.* Cùm ergo natura Angeli ſit integra, connaturale illi erat, ut in primo inſtanti moveretur ad bonum merendo; ita ut moveri ad malum eſſet præter naturam ipſius: ideòque de potentia ſaltem ordinaria peccare non poterat, ſed nec etiam de potentia extraordinaria, ut ſupra probatum eſt.

XV.

Digitized by Google

XV. Sed inſtabis primò. Plus requiritur ad merendum, quam ad demerendum: nam mereri eſt bonum, demereri autem eſt malum; *bonum verò ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu*.

Secundò. Supponamus, in primo inſtanti Angelum habuiſſe præceptum diligendi Deum Auctorem gratiæ: Angelus ita liberè dilexit Deum, ut habuerit indifferentiam ad eum non amandum; ergo habuit libertatem ad tranſgrediendum præceptum; ergo ad peccandum: quia, ſicut ſtante præcepio, non amare eſſet tranſgredi præceptum; ita ſtante præcepto, poſſe non amare erit poſſe tranſgredi præceptum.

XVI. Ad primam inſtantiam, diſt. ant. plùs requiritur ex parte actus, conc. ant. plùs ex parte libertatis ad actum, nego ant. Ad merendum plùs requiritur ex parte actus, quia ad actum bonum, & meritorium neceſſe eſt, ut concurrant omnes circumſtantiæ debitæ; ubi ad hoc, ut actus ſit malus, ſufficit ut una, vel altera circumſtantia deficiat: & hoc ſignificat axioma adductum *bonum ex integra cauſa &c.* Non tamen plùs libertatis, & indifferentiæ requiritur ad bonum, quàm ad malum. Nam ad bonum, & ad meritum ſufficit libertas contradictionis, nimirùm, ad ponendum actum, & non ponendum: ad malum autem, & demeritum requiritur etiam libertas contrarietatis, nempè ad ponendum actum bonum, & contrarium ejus, nempè malum. Quare in Chriſto fuit perfectiſſima libertas ad meritum, in quo tamen non erat ad demeritum; & in Dæmonibus eſt libertas ad demeritum, & non ad meritum.

XVII. Ad ſecundam eodem modo reſpondeo, diſtinguo ant. indifferentiam ad non amandum ſumpto *non amare* contradictoriè, & negativè, conc. ant. ſumto privativè, & contrariè, nego ant. & inſtatur in Chriſto, qui ſtante præcepto Patris de ſubeunda morte, adhuc liberè mortuus eſt, & poterat non mori; & tamen peccare non poterat. Ita Angelus in primo inſtanti. Poteſt ergo ſumi *non amare* privativè, ideſt, ut conjungendum cum præcepto de amando; & ſic quemadmodum non amare eſſet tranſgredi præceptum; ita poſſe non amare eſſet poſſe præceptum tranſgredi. Poteſt etiam ſumi *non amare* contradictoriè, & negativè; & ſic cùm præſcindat à præcepto amandi, poſſe non amare non eſt poſſe peccare. Hoc autem modo poterat non mori Chriſtus, & non amare Angelus in primo inſtanti, quamvis neuter poſſet peccare. Sed de hoc fuſiùs dum agemus de Impeccabilitate Chriſti.

XVIII. Objiciunt tertiò. Si Angelus non poſſet peccare in primo inſtanti, neque poſſet in ſecundo: ſed in ſecundo de facto peccavit; ergo potuit in primo. Maj. prob. Nam in ſecundo inſtanti, nihil plus ei acceſſit, quod non haberet in primo: habuit enim in primo ex parte intellectus cognitionem proponentem objectum cum indifferentia, & ex parte voluntatis libertatem.

Confirm. Angelus ad operandum in ſecundo inſtanti movetur ab operatione habita in primo inſtanti, ſicut ex intentione finis movetur quis ad electionem mediorum: ſed ex intentione bona non poteſt quis moveri, & applicari ad electionem malam; actio enim bona non poteſt influere in actionem malam, ſicut nec antecedens verum in conſequens falſum; ergo ſi &c.

XIX. Reſpond. neg. maj. ad prob. dico, in ſecundo inſtanti ablatum fuiſſe impedimentum, quo detinebatur, ne in primo peccare poſſet: tùm ex parte intellectus; quia in ſecundo ſuâ voluntate ſe applicavit ad formandum dictamen practicum, ubi in primo actu à Deo ſolo applicabatur: quare in ſecundo potuit eſſe defectuoſum, non in primo. Tùm etiam ex parte voluntatis; quia in ſecundo cæpit eſſe libera libertate etiam contrarietatis, ubi in primo erat libera libertate ſolius contradictionis.

XX.

Digitized by Google

XX. Ad conf. dico primò, inſtantiam retorqueri poſſe in Adverſarios. Nam ex ipſis ex intentione bona non poteſt ſequi electio mala: ſed in primo inſtanti omnes Angeli habuerunt intentionem bonam; ergo in ſecundo inſtanti non habuerunt electionem malam; ergo non peccaverunt.

Reſpondeo ergo, doctrinam fore veram, ſi ex intentione habita in primo inſtanti moveretur Angelus efficaciter ad electionem pro ſecundo inſtanti; ſicut per dictamen ſibi immiſſum à Deo movebatur efficaciter in primo: ſecùs verò, ſi operatio primi inſtantis non moveat efficaciter ad operationem ſecundi inſtantis, ut de facto contigit. Nam cum in primo inſtanti ſpecialiter moveretur à Deo, agere debebat ſecundum inclinationem ab ipſo acceptam, quæ determinatè eſt ad bonum cum recto ordine: At in ſecundo movebatur etiam à ſeipſo, & ſuo arbitrio pleniùs utebatur: unde potuit à prima intentione bonâ ad electionem malam, & inordinatam divertere; quamvis tamen operatio ſecundi inſtantis, quâ Angelus peccavit, cùm fuerit circa finem, non poſſit dici electio in rigore, ſed ſolùm electio dici poſſit, quia aliam priorem intentionem ſupponit, & ex ea movetur. Hinc cautè adverte, quòd dùm dicimus, Angelum ex intentione habita in primo inſtanti motum fuiſſe ad operandum in ſecundo, non intendimus; quòd illa prior intentio verè, & propriè influxerit in operationes ſubſequentes, ſicut antecedens in conſequens; ſed ſolùm quòd præceſſerit tanquam diſpoſitio reddens voluntatem Angeli expeditam ad liberè ſe movendum ad alias operationes.

XXI. Objiciunt quartò. Ideò non potuit Angelus peccare in primo inſtanti, quia peccatum illud tribueretur Deo, utpote incipiens cum eſſe rei: ſed hoc eſt falſum. Primò. Quia etiam peccata ſequentia deberent tribui Deo; ſicut motus claudicationis tibiæ incipiens cum eſſe illius, generanti tribuitur non ſolùm pro primo, ſed pro quocumque inſtanti. Secundò. Illuminatio Solis ſimul incæpit cum Sole, nec tamen Deo tribuitur, niſi ut cauſæ univerſali. Tertiò. Quia S. Auguſt. *l. 11. de Civit. Dei c. 13.* dicit, quòd qui ſentiret Angelum ab initio ſuæ conditionis peccaſſe, non ſentiret cum Manichæis tenentibus, quòd *tanquam ex adverſo quodam principio Diabolus habeat naturam mali*.

XXII. Reſpondeo, neg. min. Ad primam prob. nego ſequelam. Nam exemplum tibiæ eſt quidem ſimile pro primo inſtanti, diſſimile verò pro ſequentibus; etenim tibia, quæ nata fuit claudicans, eodem modo claudicat defectu generantis in reliquis inſtantibus, ac in primo: At operatio Angeli, quæ, ſi foret mala in primo inſtanti, tribueretur Deo, non tribueretur in ſecundo; quia eſto in primo moveretur ſpecialiter à Deo, & agere deberet ſecundùm inclinationem à Deo inditam; in aliis tamen inſtantibus movebatur à ſeipſo.

Ad ſecundam, nego conſeq. Nam principium D. Thomæ non eſt intelligendum de omni operatione incipiente cum eſſe rei, ſed de illa ſola, quâ ſit potens ad alias, ſicut eſt motus cordis in animali, & prima operatio Angeli: talis autem non eſt illuminatio in Sole.

Ad tertiam ex Auguſtino reſpondeo, nec nos dicere, quòd ſi Angelus in primo inſtanti peccaret haberet naturam malam ut aſſerebant Manichæi; ſed quòd ſi natura Angeli bona in primo inſtanti vitiaretur, illud vitium deberet refundi in Deum Auctorem: quod arguitivè, eſto non formaliter, ad Manichæos accedit, nec hoc negat Auguſtinus.

§. III.

§. III.

An ſupremus inter Angelos peccantes fuerit ſupremus inter omnes Angelos?

XXIII. Reſpondet D. Thom. hâc *q. 63. a. 7.* probabiliorem eſſe partem affirmativam. Huic enim favere videntur Scripturæ, & Patres. Scriptura quidem: nam *Job. 40. v. 14.* Lucifer ſub typo Behemoth dicitur: *Principium viarum Dei*. Quòd exponens D. Gregorius Lib. 32. Moral. c. 23. (al. 24.) ait: *Et principium viarum Dei Behemoth dicitur: quia nimirùm, cùm multa creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit*. Hujus primatus eminentiam conſpicit Ezechiel. 31. *v.* 8. 9. cum dicit: *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei... omne lignum paradiſi Dei non eſt aſſimilatum illi, & pulchritudini ejus &c.* quæ explicans idem Gregorius laudato loco, dicit: *Qui namque accipi in cedris, abjetibus, & platanis poſſunt, niſi illa virtutum Cœleſtium procera celſitudinis agmina in æterna lætitia viriditate plantata? Quæ quamvis excelſa ſint condita, huic tamen nec prælata ſunt nec æquata.... Iſta arbor in paradiſo Dei tot quaſi condenſas frondes habuit, quot ſub ſe poſitas ſupernorum ſpirituum legiones attendit. Qui ideircò peccans ſine venia damnatus eſt, quia magnus ſine comparatione fuerat creatus*. Pergens autem idem S. Gregorius, eminentiam Luciferi oſtendit ex eodem Ezechiele 28. v. 14. addente: *Tu Cherub extentus, & protegens in monte Sancto Dei, in medio lapidum ignitorum perfectus ambulaſti*. ſubjungit: *Ideircò iſte Cherub dicitur, quia tranſcendiſſe cunctos ſcientiâ non dubitatur.... & quia comparatione claritatis ſuæ cæterorum claritatem adumbraſſe creditur, ipſe extentus, & protegens fuiſſe perhibetur. Reliquos enim quaſi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentiâ majore tranſcendit*. Et poſt multa: *conſideret* (inquit) *ergo homo, quid elatus in terra mereatur, ſi & Prælatus Angelis, Angelus in Cœlo proſternitur*.

XXIV. Dicturus fortè eris, hoc quod dicit *Cherub* indicare Principem Angelorum, qui cecidit, non fuiſſe omnium ſupremum, cùm ſupra Cherubin ſint Seraphim.

XXV. Sed optimè reſpondet S. Thomas hoc a. 7. ad 1. *Quod Cherubim denominatur à ſcientia, quæ poteſt eſſe cum mortali peccato; Seraphim verò denominatur ab ardore Caritatis, quæ cum peccato mortali eſſe non poteſt. Et ideò primus Angelus peccans non eſt denominatus Seraphim, ſed Cherubim*. Hæc D. Tho. Porrò quòd reverâ eſſet de ordine Seraphim caritate excellens, priuſquam peccaret, indicant prælaudata verba Ezechielis: *In medio lapidum ignitorum perfectus ambulaſti*: ideſt (inquit citato loco S. Gregorius) *In medio ignitorum lapidum ambulavit, quia inter Angelorum corda caritatis igne ſuccenſa clarus gloriâ conditionis extitit*.

Huic opinioni alii quoque Patres ſuffragantur, ut Hieronymus in *c. 4. Daniel.* Ante ipſum Tertullianus *lib. 2. contra Marcionem c. 10.* vocans Diabolum *Eminentiſſimum Angelorum*. Accedunt Iſidorus *lib. 1. de Summo bono c. 12.* Bernardus *l. de Gradibus humilit. c. 10. & Sermon. 1. de Adventu*, dicens, quòd: *ſuperbia non modò Angelum, ſed Angelorum primum in Diabolum commutavit*. Et eſt communis apud Theologos.

XXVI. Adeſt quoque congruentia, quam ſumit D. Thomas ex motivo, quod Luciferum ad peccandum induxit, nempè propria excellentia, in qua inordinatè ſibi complacens ſuperbivit. In eo enim maximè locum habet ſuperbia, in quo maxima eſt ſuper alios excellentia, magis enim invenitur in ſuperioribus, quàm in inferioribus: cùm ergo peccatum primi Angeli ſuperbia fuerit, credibilius eſt, eam locum habuiſſe magis in ſupremo

inter

inter Angelos, quàm in aliquo ordinis inferioris.

Ulteriùs. Permiſit Deus peccatum Angeli, ut appareret, quid valeret liberum arbitrium ſine gratia, & ſolam ſuam miſericordiam valere ad beatitudinem: ſed ad hujus rei oſtenſionem magis conducebat permiſſio peccati in Angelo omnium eminentiſſimo; ergo &c.

Confirmatur. Ad oſtenſionem ſuæ potentiæ frequentiſſimè Deus majores reprobat, & eligit minores. Fratres enim erant Cain, & Abel, ſed Abel minor electus eſt. Fratres erant Jacob, & Eſau, & tamen non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia major ſerviet minori, & Jacob dilexi, Eſau autem odio habui. Ruben primogenito dicit Jacob pater: non creſcas, & maledictionem patris incurrit, nec ex eo deſcendit Chriſtus. Fuit Manaſſes major, quàm Ephraim: Jacob tamen pater moriturus, permutatis manibus, minori nepoti majorem benedictionem largitus fuit. Denique minimus inter fratres erat David, qui tamen (refutatis aliis) in Regem unctus eſt: ſic igitur, ut appareret, quòd ex gratia, non ex natura. beatitudo acquiritur, credibile eſt, Deum permiſiſſe, ut ſupremus Angelus caderet.

XXVII. Addit tamen S. Thomas, contrariam opinionem negantem. Angelum. qui primus peccavit, non fuiſſe omnium Supremum, ſuâ non carere probabilitate. Major enim ad peccandum pronitas videtur eſſe in inferioribus Angelis, quàm in ſuperioribus, qui magis accedentes ad Deum magis ei adhærent per affectum, cum igitur multi inter inferiores permanſerint, non videtur veroſimile. quòd ſupremus defecerit peccando. Eò vel maximè. quòd cùm Deus fecerit creaturam intellectualem propter beatitudinem, non videtur credibile, divinam ordinationem in nobiliſſima creatura fuiſſe fruſtratam.

XXVIII. Accedit; quòd Angeli ſupremi Deo ſoli aſſiſtentes ſunt, neque hiſce rebus corporeis præſunt: Lucifer autem, & qui cum eo peccaverunt, videntur ex iis fuiſſe, qui rebus corporeis, imò & his inferioribus prælati fuerant. Unde Damaſcenus *lib. 1. de Fide c. 4.* ait, quòd qui ex Angelis peccavit, primus fuit *ex angelicis Virtutibus terreſtris ordinis Princeps, cui cuſtodienda terra cura à Deo commiſſa fuerat.* Idem ſenſerat Chryſoſtomus *Homil. 4. in Ep. ad Epheſ.* addens, etiam poſt rebellionem principatu eorum, quæ ſub Cœlo ſunt, non excidiſſe: unde & Paulus ad *Epheſ. 2. v. 2.* vocat eum *Principem poteſtatis aeris hujus.* Quapropter S. Auguſtinus *lib. 3. de Geneſ. ad litt. c. 10. & lib. 11. c. 19.* hanc ſententiam cenſet probabilem, & Scripturæ loca, quæ in contrarium adducuntur explicari ſufficienter poſſe.

Et hac opinio (ait D. Thomas hôc *a. 7.*) *videtur conſonare poſitioni Platonicorum, quam Auguſtinus recitat in lib. de Civitate Dei octavo* (c. 6. & 7.) *& decimo* (c. 9. 10. & 11.) *Dicunt enim, quòd omnes Dii erant boni, ſed Dæmonum quidam boni, quidam mali; Deos nominantes ſubſtantias intellectuales, quæ ſunt à globo lunari ſuperiùs; Dæmones verò ſubſtantias intellectuales, quæ ſunt à globo lunari inferiùs, ſuperiores hominibus ordine naturæ.*

§. IV.

An peccatum primi Angeli fuerit aliis cauſa peccandi?

XXIX. Reſpondet S. Thomas hâc *q. 63. a. 8.* Peccatum primi Angeli fuiſſe aliis cauſam peccandi, non cogentem, ſed quaſi exhortatione quâdam, & ſuggeſtione inducentem.

Probat primò ex illo *Apocal. 12. v. 4.* ubi dicitur de magno dracone figurâ Diaboli: *& cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum*, ideſt exemplo ſuo traxit in peccatum tertiam partem Angelorum.

Probat ſecundò ſic. Omnes Dæmones illi

illi ſupremo, qui peccavit, ſubduntur; unde Dominus Matth. 25. v. 41. *diſcedite* (inquit) *maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus*: ſed is eſt ordo divinæ providentiæ, ut cujus ſuggeſtioni aliquis conſentit in culpa, ejus poteſtati ſubdatur in pœna, ſecundùm illud 2. Petri 2. v. 19. *A quo quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt*; ergo &c. Hùc ſpectant, quæ ſub typo Regis Babylonis dicit Iſaias c. 14. v. 20. *Tu populum tuum occidiſti*. Quæ Ezechiel. *c.* 31. *v.* 9. ſub typo Regis Aſſur ait: *Æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in Paradiſo Dei*. Ubi æmulatio ſignificare videtur vehemens quoddam deſiderium Angelorum inferiorum imitandi ſuperbam elationem de propria excellentia, quam eis ſuggeſſerat Angelus ſuperior. Et hâc ratione *Princeps Dæmoniorum* in Evangelio Diabolus vocatur. Et propterea D. Thomas 3. *p. q.* 8. *a.* 7. ſtatuit, Diabolum caput eſſe omnium malorum.

XXX. Notat tamen S. D. ibi ad 2. exhortationem non dici præcisè eam, quæ fit ſuaſione, & ſuggeſtione propriè dictâ, ſed etiam eam, quæ fit propoſitione ſigni, aut exempli aliis, ut imitentur, dati. Cùm verò fieri potuerit, ut eodem inſtanti, quo peccabat Diabolus, peccatum illud cæteri cognoverint, eique conſenſerint; ideò probabile eſt, quod ait S. Thom. hìc ad 1. omnes Angelos eodem inſtanti peccaſſe, & tamen unum fuiſſe cauſam peccandi aliis: *Angelus enim non indiget ad eligendum, vel exhortandum, vel etiam conſentiendum temporis morâ; ſicut homo, qui deliberatione indiget ad eligendum, & ad conſentiendum, & locutione vocali ad exhortandum, quorum utrumque tempore agitur. Manifeſtum eſt autem, quòd etiam homo, ſimul dùm aliquid jam corde concepit, in eodem inſtanti incipit loqui; & in ultimo inſtanti locutionis, in quo aliquis ſenſum loquentis capit, poteſt aſſentire ei, quòd dicitur, ut patet maximè in primis conceptionibus, quas quiſque probat auditas. Sublato ergo tempore locutionis, & deliberationis, quod in nobis requiritur, in eodem inſtanti, in quo primus Angelus ſuam affectionem intelligibili locutione expreſſit, poſſibile fuit, alios in eam conſentire.* Quibus patet, quòd primus Angelus peccans, non ſolùm merâ propoſitione exempli, ſed etiam ſuaſione, & locutione potuiſſe alios ad peccandum inducere; & hos eodem inſtanti ei conſentire, & peccare.

XXXI. Quomodo autem ſtet, quòd alii Angeli voluerint Diabolo peccanti obedire, ac ſubdi, & ſimul peccarint peccato ſuperbiæ, quæ refugiendo ſubjectionem, non eam admittendo, concipitur.

XXXII. Reſpondeo, hæc optimè componi poſſe, ſi ſupponamus, alios Angelos in Diaboli peccatum conſenſiſſe, non ut ei tanquam Principi ſubeſſent; ſed ut ſub eo ſuam beatitudinem conſequi poſſent naturali virtute, quam hoc modo à Deo conſequi non poterant: quomodo in ſeditione, illi, qui ſeditionis auctori adhærent, non ut ei ſe ſubjiciant, hoc faciunt; ſed ut ab eo privata commoda conſequantur, quæ à legitimo Principe non ſperant: *Superbus* enim (ait D. Thomas hoc a. 8. ad 2.) *cæteris paribus magis vult ſubeſſe ſuperiori, quàm inferiori. Sed, ſi aliquam excellentiam conſequatur ſub inferiori, quàm ſub ſuperiori conſequi non poſſit, magis eligit inferiori ſubeſſe, quàm ſuperiori. Sic igitur non fuit contra ſuperbiam Dæmonum, quòd ſubeſſe inferiori voluerunt in ejus principatum conſentientes, ad hoc eum principem habere volentes, ut virtute naturali ſuam ultimam beatitudinem conſequerentur; præſertim quia ſupremo Angelo natura ordine etiam tunc ſubjecti erant.* Quod tamen non eſt intelligendum, quaſi hoc expreſsè conceperint (ſic enim fuiſſet in eis error ante peccatum, quòd ſupra negavimus) ſed quia ex modo appetendi, videntes Luciferum in propria excellentia ſibi finem conſtituentem; eum imitando,

Deum

Digitized by Google

Deum ac divinam regulam interpretativè contemſerunt, ut ſupra dictum eſt.

§. V

An tot peccaverint, quot remanſerunt: Et an ex ſingulis Ordinibus aliqui Angelorum ceciderint?

XXXIII. PRiorem quæſiti partem probabiliter reſolvit Divus Thomas hic *a.* 9. dicens, quòd *plures Angeli permanſerunt, quàm peccaverunt*. Et probat: quia peccatum eſt contra naturalem inclinationem: ſed ea quæ contra naturam ſunt, in paucioribus accidunt; ergo &c. Minor, quæ difficultatem habet, explicanda eſt. Vel enim poteſt intelligi *de naturalibus*; & ſic (ait S. Doctor in 1. diſt. 39. q. 2. a. 2. ad 4.) *conſtat, quòd malum eſt ut in paucioribus ... quia cauſæ naturales conſequuntur effectus ſuos in majori parte, & deficiunt in minori*. Vel poteſt intelligi *de voluntariis*; & ſic diſtinguenda eſt: ſi enim intelligatur de Angelis, *etiam quantùm ad numerum invenitur malum ut in paucioribus; quia multò plures fuerunt remanentes, quàm cadentes, & fortè etiam plures, quàm omnes damnandi Dæmones, & homines*. Si verò intelligatur de natura humana, *bonum videtur eſſe ut in paucioribus. Tùm propter corruptionem naturæ humanæ ex peccato originali*, quæ, ſi ſuæ libertati, & inclinationi dimittitur à Deo generali Proviſore, in pluribus circa bonum deficiet: quia, ut ait hic ad 1. plures ſunt, qui *ſequuntur bona ſenſibilia, quæ ſunt pluribus nota, deſerto bono rationis*, & hoc naturæ vitio, quæ ad bonum ſenſibile eſt magis propenſa. Tùm etiam ex ipſa natura conditionis humanæ, quæ (ut ait S. D. loco ex 1. ſent. laudato) habet actum privationi permixtum; non enim habet perfectiones eam dirigentes in opere ſibi innatas, ſeu infuſas, ſicut Angeli; ſed ſecundùm ſe ad eas acquirendas eſt in potentia, & æqualiter ſe habens indifferenter ad omnia, vel intelligenda, vel facienda (niſi per virtutes determinetur) & quia *malum contingit multipliciter, ut ait Dionyſius, & bonum uno modo; ideò ut in pluribus flectitur in malum*.

XXXIV. In Scriptura quoque fundamentum habet hæc prior pars. Nam ſtellæ, quæ Apoc. 8. v. 12. percuſſæ leguntur, ſunt per metaphoram Angeli, qui ceciderunt; hæ autem fuerunt ſolum tertia ſtellarum pars: unde dicitur: *& percuſſa eſt ... tertia pars ſtellarum*; ergo plures, nempè duæ partes, Angelorum ſteterunt, & pauciores, nempè tertia pars, ceciderunt. Quare ejuſdem libri c. 12. v. 4. de Angelorum apoſtatarum Principe, quem Joannes magnum draconem nominat, hæc leguntur: *& cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum* Cœli, *& miſit eas in terram*.

XXXV. Circa verò poſteriorem partem, ait D. Thomas hoc a. 9. ad 3. quòd ſecundùm illos, qui dicunt, quòd Diabolus major fuit *de inferiori Ordine Angelorum, qui præſunt terreſtribus, manifeſtum eſt, quòd non de quolibet Ordine ceciderunt, ſed de infimo tantùm*.

Secundùm verò illos, qui ponunt majorem Diabolum de ſupremo fuiſſe Ordine, probabile eſt, quòd de quolibet Ordine aliqui ceciderunt: ſicut in quemlibet Ordinem homines aſſumuntur in ſupplementum ruinæ angelicæ. Cùm ergo ſuperiùs cùm eodem S. Doctore ſtatuerimus, majorem Angelum inter eos qui ceciderunt ſuiſſe de ſupremo Ordine; ſtatuendum ut probabilius quoque eſt, eo peccante, ex omnibus Ordinibus aliquos cum eo cecidiſſe.

XXXVI. Ratio congruentiæ ex S. D. hæc eſt. Quia in hoc *magis comprobatur libertas liberi arbitrii, quæ ſecundùm quemlibet gradum*, ad malum flecti poteſt: Cùm ergo ſecundùm D. Aug. Deus permiſerit peccatum in Angelis, ut oſtenderet, quid valeret liberum arbitrium creaturæ ſine gratia;

tiæ; ad hoc oſtendendum magis congruum fuit, ut in omni gradu, & Ordine Angelorum, in aliquibus hoc permitteret.

Id quoque ſignificaſſe viſus fuit Sanctus Paulus Rom. 8. *v.* 38. 39. dùm inter humani generis hoſtes recenſet Angelos, Principatus, Virtutes; dicens: *neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes.... neque creatura alia poterit nos ſeparare à caritate Dei.* Et 1. *Cor.* 15. *v.* 24. addens quoque Poteſtates, ait: *Cùm evacuaverit omnem Principatum, & Poteſtatem, & Virtutem.* Ex his ſic diſcurro: ex Ordine Seraphim fuit ſupremus qui peccavit, ut ſuperiùs oſtendimus: ex ordine Cherubim aliquos cecidiſſe colligitur ex *c.* 28. *Ezechiel.* ubi nomen Cherub in pravum ſenſum aſſumitur: Ex Principatibus, Poteſtatibus, Virtutibus aliquos pravos eſſe indicat Paulus: Ex Angelis, imo & Archangelis, qui ſub Angelorum nomine clauduntur, aliquos defeciſſe certò creditur. Tandem cum Throni, & Dominationes ſint Seraphim, & Cherubim inferiores; probabiliter infertur, etiam ex iſtis, & conſequenter ex quocumque Angelorum Ordine, aliquos defeciſſe.

XXXVII. Advertit tamen S. Thomas laudato loco a. 9. ad 3. quòd *in Sacra Scriptura nomina quorumdam Ordinum, ut Seraphim, & Thronorum, Dæmonibus non attribuuntur: quia hæc nomina ſumuntur ab ardore caritatis, & inhabitatione Dei, quæ non poſſunt eſſe cum peccato mortali. Attribuuntur autem eis nomina Cherubim. Poteſtatum, ac Principatuum; quia hæc nomina ſumuntur à ſcientia, & potentia, quæ bonis, maliſque poſſunt eſſe communia.*

QUÆSTIO IX.

De pœna peccati Angelorum.

POſt peccatum ſequitur pœna; & ideò Quæſtioni de peccato Angelorum, quæſtionem de pœna peccati ſubnectimus. Quia verò pœna Dæmonum eſt duplex; una in intellectu, & voluntate conſiſtens, obtenebratio, nempè obſtinatio, & dolor; alia eis ab extrinſeco agente inflicta: ideò de ſingulis, ut unaquæque expoſcet, Candidatum noſtrum imbuere curabimus cum D. Tho. 1. *p. q.* 64.

DUBIUM I.

De Pœna in Intellectu.

§. I.

An Intellectus Dæmonum fuerit obtenebratus circa naturalia?

I. SUpponit D. Thomas hoc a. 1. quæſt. 64. *Quod duplex eſt cognitio veritatis. Una, quæ habetur per naturam. Alia, quæ habetur per gratiam. Et iſta, quæ habetur per gratiam, eſt duplex. Una, quæ eſt ſpeculativa tantùm, ſicut cùm alicui aliqua ſecreta divinorum revelantur. Alia verò, quæ eſt affectiva producens amorem Dei: & hæc propriè pertinet ad donum ſapientiæ.* Cum ergo obtenebratio ſit ſubtractio lucis ad cognoſcendam veritatem, quæſtio eſt, an Dæmones in ſui peccati pœnam fuerint luce privati ad quamcumque ex prænarratis cognitionibus.

II. Dico primò. Cognitio, quæ habetur per naturam in Dæmonibus nec eſt ablata, nec diminuta. Ita D. Tho. relatus. Et probat: Tùm quia hæc conſequitur ipſam naturam Angeli, qui ſecundùm ſuam naturam eſt quidam intellectus, vel mens, & ſubſtantia omnino ſimplex: ſed à ſubſtantia omnino ſimplici, nihil poteſt ſub-

ſubtrahi, ut dicatur per ſubtractionem naturalium puniri, ſicut homo punitur per ſubtractionem manus, aut pedis, aut alicujus hujuſmodi; ergo &c. Tùm etiam, quia, ut dicit Dionyſius c. 4. de Divin. nom. *Dona naturalia in eis integra manent;* ergo naturalis cognitio non eſt in eis diminuta.

III. Advertendum tamen cenſeo, quòd cùm cognitio naturalis, alia ſit purè ſpeculativa, alia ſit practica, effectiva, & affectiva: Rursùs, alia ſit in habitu, alia ſit in actu, dubitari poteſt, de quo genere cognitionis D. Thom. loquatur, cùm dicit, naturalem cognitionem à Dæmonibus nec eſſe ablatam, nec diminutam, & naturalia manſiſſe in eis integra: an ſcilicet de ſola cognitione ſpeculativa, & de ſola cognitione habituali, ſeu de donis naturalibus, quæ conſequuntur eorum naturam, & ab eorum voluntate non dependent.

IV. Hoc dubium tollit D. Dionyſius ipſe c. 4. citato dicens: *Data ipſis angelica dona nequaquam ipſa mutata dicimus: ſed ſunt & integra, & ſplendidiſſima: quamvis ipſi non vident claudentes ipſorum boni inſpectivas virtutes*. Quæ exponens D. Thomas ibi lect. 19. *Dona angelica* (inquit) *id eſt ad angelicam naturam pertinentia, quæ in principio data ſunt eis*, nequaquam dicimus eſſe mutata, *ut ex eorum mutatione mali effecti ſint:* ſed permanent integra, *id eſt abſque corruptione naturæ*, & ſplendidiſſima, *id eſt abſque diminutione naturalis luminis intellectualis. Sed quod* ipſi non vident, *hoc provenit ex hoc, quòd ipſi per liberum arbitrium* clauſerunt ſuas virtutes inſpectivas boni, *id eſt averterunt voluntariè ſuum intellectum, non à conſideratione veri, ſed ab inſpectione boni, in quantùm eſt bonum, quia ſcilicet nolunt illud ſequi*.

V. Ex his patet, in Dæmonibus manſiſſe integram eorum ſubſtantiam, integras facultates naturales, intellectum, & voluntatem, integras ſpecies omnes intelligibiles: hæ enim ſunt naturalia dona, quæ Angelis fuere conceſſa in ſui conditione; & quæ vel eorum naturam conſequuntur, vel connaturaliter exiguntur; & quæ aliundè non ſunt incompatibilia cum peccato, neque ex eorum perverſa voluntate dependent. Integram quoque in eis manſiſſe cognitionem ſpeculativam principiorum, & concluſionum in eis contentarum, docet S. Thomas *Qu. 16. de Malo art. 6. in corp.* cùm cognoſcant eas immediatè in principiis, non autem à principiis diſcurrant, ſicut nos, ad concluſiones.

VI. Verùm quantùm ad actualem uſum talium ſpecierum, & applicationem, ſeu exercitium liberum ſuarum potentiarum ad particularia objecta, electionem boni, & mali, applicationem ſuæ ſubſtantiæ ad locum ſicut placuerit, & productionem effectuum exteriorum, puta lucis, & motus pro gubernatione Univerſi, quia hæc à voluntate Angeli pendent: idcircò quædam à Dæmonibus fuere totaliter ablata, & quædam diminuta. Nulla ergo in eis ſupereſt cognitio practica boni moralis: ſeu eſto illud ſpeculativè cognoſcant, nolunt tamen illud eligere, & facere. Et hoc eſt, quod D. Dionyſius vocat claudere oculos, ſive actualem viſionem, aut cognitionem boni impedire. Non habent libertatem collocandi ſuam ſubſtantiam; ubi volunt, nec cogitandi practicè de omnibus, quæ ſibi placerent, nec producendi effectus omnes, quos vellent, & ſicuti vellent; ſed in his omnibus ligantur, & impediuntur, vel per ignem Inferni, vel per bonos Angelos coercentur; ne perturbent ordinem Univerſi, & ne poſſint nobis nocere, quantum ſua perversâ voluntate exoptarent, ſed ſolùm quantum Deus permittit.

VII. Hâc diſtinctione ſolvuntur ea, quæ reſolutioni D. Thomæ videntur eſſe contraria, videlicet, quòd Sanctus Ignatius *Epiſt. ad Philipp.* dicat, Dia-

Diabolum neſcire, quod bonum eſt, eò quòd ignorantiâ repletus ſit per inobedientiam. Et Auguſt. *in Enchirid. cap.* 24. *&* 25. ei ſicut homini ſubintraſſe ignorantiam rerum agendarum; propter quam *lib.* 9. *de Civit. Dei* dicit, eum ſæpè falli: & *lib.* 20. *c.* 2. Dæmonum, & hominum miſerrimam vitam erroribus, & ærumnis plenam eſſe.

VIII. Hæc enim omnia componuntur, dicendo, Ignatium, & Auguſtinum loqui, non de cognitione ſpeculativa, ſed de practica, in qua ſæpè falluntur ex dictis; & etiam æſtimantes aliquid ex cauſis naturalibus eventurum, quod non evenit, vel non eventurum, quod evenit, excæcante eos ſuperbiâ, invidiâ, & obſtinatâ in malo voluntate. Hoc enim etiam D Thom. docet citatâ Qu. 16. de Malo a. 6. *ad* 13. ubi, quòd Diabolus in ſua æſtimatione decipiatur dicit, procedere *de cognitione practica, vel affectivâ*, quod repetit *ad* 15.

§. II.

An fuerit obtenebratus circa ſupernaturalia?

IX. DIco ſecundò. Cognitio de divinis Myſteriis non eſt totaliter ablata Dæmonibus, valdè tamen imminuta. Loquor autem de cognitione ſpeculativa tantùm, ſicut cùm quis per revelationem cognoſcit ſecreta divinorum. Ita S. Tho. hoc *a.* 1. qui priorem partem probat: eò *qnia de hujnſmodi ſecretis divinis tantnm revelatur eis, qnantum oportet, vel mediantibns Angelis, vel per aliqua temporalia divina virtutis effecta*. Poſteriorem etiam partem oſtendit; quia nec Verbum divinum intuentur, nec veram, ac propriè dictam fidem habent, ut 2. 2. *q.* 5. *a.* 2. probatur. Proinde nec aliquo ſupernaturali lumine illuſtrantur; ideòque eorum cognitio de talibus myſteriis ſupernaturalis eſt ſolùm ex parte objecti. Nec ex pia affectione certò moti, ſed ex evidentia ſignorum convicti, vel nolentes, credunt; ſic, ut adhuc dubitent, quomodo de Myſterio Incarnationis peracto dubitabant: *Si enim perfectè, & per certitndinem cognoviſſent, ipſum* (Chriſtum) *eſſe Filium Dei, & effectnm paſſionis ejns, nunqnam Dominnm gloria crncifigi procuraſſent*. Ita D. Tho. hìc ad 4.

X. Totum hoc expreſſit S. Auguſtinus *lib.* 9. *de Civit. Dei cap.* 2. à D. Thom. laudatus, ubi docet, Chriſtum Diabolo modò minus, modò magis, ut ſibi placuit, innotuiſſe: *Tantnm* (inquit) *eis innotuit, quantnm voluit; tantum autem voluit, qnantum oportnit. Sed innotuit, non ſicut Angelis Sanctis, qui ejus ſecnndùm id, quod Dei Verbum eſt, participatâ æternitate perfrnnntur; ſed ſicut eis terrendis innoteſcendum fuit, ex qnornm tyrannica quodam modo poteſtate fnerat liberaturns prædeſtinatos in ſnum Regnum, & gloriam ſemper veracem, & veraciter ſempiternam. Innotuit ergo Dæmonibns, non per id, qnod eſt vita æterna, & lnmen incommntabile, qnod illnminat pios, cni videndo per fidem, quæ in illo eſt, corda mnndantnr; ſed per quad.:m temporalia ſuæ virtutis effecta, & occnltiſſima ſigna præſentia, qnæ angelicis ſenſibns etiam malignornm ſpiritnnm potiùs, qnàm infirmitati hominnm poſſent eſſe conſpicna. Deniqne quando ea paulnlum ſupprimenda jndicavit, & aliquantò altiùs latnit, dubitavit de illo Dæmonnm princeps, enmqne tentavit, an Chriſtns eſſet explorans &c.* Ita S. Auguſtinus.

XI. Dico tertiò. Cognitione per gratiam, quæ eſt affectiva, & inducens amorem Dei, totaliter privati ſunt Dæmones, ſicut, & caritate. Ita D. Thom. hoc a. 1. Eſt de fide, quæ nos docet, Dæmones in æternum dilectione Dei ſupernaturali ſuper omnia fore privandos; & obſtinatione ſuâ, atque in Deum odio nec aliqualem ſupernaturalem Dei amorem, etſi imperfectum, ſicut ſurgere ſolet in peccatoribus, concipiant, in

ætet-

Digitized by Google

æternum impediendos, ut ſuo loco dicemus.

DUBIUM II.

De pœna in Voluntatè.

§. I.

An Dæmones ſint obſtinati in malo?

I. REferente S. Thoma hâc qu. 54. a. 2. *Origenis poſitio fuit, quòd omnis voluntas creata propter libertatem arbitrii poteſt flecti in bonum, & in malum, exceptâ animâ Chriſti propter unionem Verbi*, quæ ſic eſt fixa in bono, ut ad malum non poſſit flecti. Ex quo deducebat, Dæmones, & damnatos aliquando fore convertendos. Hoc errore notant Origenem, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, S. Epiphanius, & alii. Quidam eum purgare contendunt, de quo aliqua dicemus infra. Sed cujuſcumque ſit, *hæc poſitio* (inquit S. Doctor) *tollit veritatem beatitudinis à Sanctis Angelis, & hominibus; quia ſtabilitas ſempiterna eſt de ratione veræ beatitudinis, unde & vita æterna nominatur. Repugnat etiam auctoritati Scripturæ Sacræ, quæ Dæmones, & homines malos in ſupplicium æternum mittendos, bonos autem in vitam æternam transferendos pronunciat.* Hanc eandem Origenis poſitionem reprobat S. Doctor Q. 16. *de Malo a.* 5. Sed de hoc dicemus inferiùs, dùm ſtatuemus Dæmonum pœnas fore æternas. Modò firmiter ſecundùm fidem catholicam tenendum eſt, quòd & voluntas bonorum Angelorum confirmata eſt in bono, & voluntas Dæmonum obſtinata eſt in malo; & hæc eſt pœna, quæ ex peccato in Dæmonum voluntate conſecuta eſt.

II. De facto enim nullum Angelorum, qui peccaverunt pœnituit, nullus à Deo conſecutus eſt veniam; quod adeò verum eſt, ut oppoſitum reputetur erroneum. Inſinuatur enim in Scriptura 2. *Petri* 2. *v.* 4. ubi dicitur: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos &c.* Ubi licèt non ponatur ſignum diſtributivum, ut dicatur: *Omnibus Angelis peccantibus non pepercit;* reverâ tamen juxta D. Petri mentem illa indefinita æquivalet univerſali, ut contingere ſolet in propoſitionibus doctrinalibus. Et eò magis, quia cùm ſtatim ſubjunxerit, Deum tempore Diluvii non peperciſſe Mundo, & tempore Abrahæ non peperciſſe civitatibus Sodomorum, & Gomorrhæorum, excepit Noe, & Lot. Ex quo non ineptè colligitur, quòd ſi S. Petrus intelligeret, aliquem ex Angelis peccantibus conſequutum fuiſſe veniam, eum ſimiliter excepiſſet. Hoc idem colligitur ex Epiſt. Judæ *v.* 6. ubi Angeli, qui non ſervaverunt ſuum Principatum, dicuntur in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervati. Et Apoc. 12. v. 7. & 8. de Dracone, & Angelorum ejus, qui cum Michaele præliati fuerunt dicitur: *Neque locus inventus eſt eorum ampliùs in Cœlo.*

III. Idipſum docent communiter SS. Patres, qui varias tàm rigoroſi judicii congruentias aſſignant; quare Deus cùm hominibus locum pœnitentiæ dederit, illum Angelis peccantibus non conceſſerit. Quarum prima eſt: quia ſubſtantiæ purè ſpirituales, neque internas habent paſſiones, neque naturæ fragilitatem, quæ ſint illis incitamenta ad peccandum, ut contingit in homine. Hanc tradit Damaſc. lib. 2. de Fide c. 3. dicens: *Pœnitentia porrò* (Angelus) *ea ratione minimè capax, eſt quia incorporeus eſt. Nam, quòd homo pœnitentiam conſequutus ſit, id corporis imbecillitati fuerit adſcribendum.* Eandem tradit Greg. Nyſſ. *lib.* 2. *ſua Philoſophiæ c.* 4. & S. Greg. *l.* 4. *Moral. c.* 9. modo 3.

IV. Secunda congruentia eſt: quòd Angelus erat conſtitutus in ſummo honoris extra beatificum ſtatum; & ideò corruens fuit penitùs comminutus: homo verò in humiliore poſitus ſtatu, & ad

gene-

Digitized by Google

generandi officium deſtinatus, non de tam alto ſublimitatis faſtigio lapſus eſt; & ideò non tam fractus, quin reparari potuerit. Ita quiſquis fuerit Auctor librorum *de Mirabil. Sacr. Script.* olim S. Auguſtini nomen præferentium *l. 1. c. 2.*

V. Tertia congruentia aſſignatur: quia homo alio ſuggerente, nempè Dæmone, & propriâ uxore corruit: Angelus verò nullo incitante, ſed ſolâ ſuâ voluntate in ſuperbiam elatus eſt. Hanc tradit S. Greg. *l. 4. Moral. c. 9. modò 3.* dicens: *Quia nimirùm Angelus ſuâ malitiâ cecidit, hominem verò aliena proſtravit.*

VI. Quarta congruentia eſt: quoniam in Angelorum lapſu non tota angelica perjit natura; imò major pars in bono perſtitit, in eoque fuit confirmata: at primo homine peccante, tota humana natura, & ſpecies perjit: *Placuit itaque univerſitatis Creatori, atque moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deſerendo perierat, ea quæ perierat, in perpetua perditione remaneret.* Ita S. Auguſt. in *Enchrid. c. 29.* Hanc, aliaſque congruentias affert D. Thomas in *2. diſt. 7. q. 1. a. 2.*

VII. Quinta, quam amplectitur D. Thomas, tùm loco mox citato; tùm *Q. 16. de Malo a. 5.* tùm hîc *1. p. q. 64. a. 2.* Sumitur ex conditione naturæ angelicæ, quæ talis eſt, ut antequam adhæreat bono, vel malo libera ſit ad utrumque: poſtquam verò jam adhæſit, immobiliter adhæreat: & ſic boni Angeli ſemel adhærentes juſtitiæ, ſunt in ea confirmati; mali verò peccantes, ſunt in peccato obſtinati. Ita docet D. Thom. laudatus.

VIII. Hanc rationem (de more) non probat Scotus, dicens, rationem ob quam Dæmones non reſipuerunt, nec reſipiſcere poſſunt, non eſſe eorum inflexibilitatem, vel immobilitatem voluntatis poſt electionem; ſed eam oriri præcisè, & formaliter ex denegatione divini auxilii neceſſarii ad reſipiſcendum: ex qua ſequitur prava affectio voluntatis eorum, quâ unuſquiſque dammatorum immobiliter adhæret fini perverſo, quem unuſquiſque ſelegit in ultimo inſtanti viæ. Ita ſententiam Scoti exponit Fraſſen *Tract. 1. Diſp. 3. a. 3. Q. 3. Concluſ. 2. de Malitia Dæmonum.* Sententia tamen D. Thomæ à nobis tenenda eſt. Unde

§. II.

Ratio D. Thomæ pro obſtinatione Dæmonum defenditur.

IX. Dico. Radicalis & prima ratio, quâ Dæmones poſt peccatum non reſipuerint, nec potuerint reſipiſcere, eſt inflexibilitas, & immobilitas voluntatis eorum in eo, quod ſemel perfectè, & deliberatè elegerunt. Dixi *radicalis & prima ratio*; quia non nego, denegationem auxilii ad reſipiſcendum eſſe cauſam proximam, quâ immobiliter pravo fini adhæreat: ſed quare Deus deneget auxilium ad reſipiſcendum Angelo peccanti, & non deneget homini, dico, cauſam eſſe conditionem voluntatis angelicæ, quæ poſtquam ſemel elegit, vertibilis amplius non eſt, & ſtatim attingit terminum ſuæ viæ, vel æternæ beatitudinis, vel æternæ miſeriæ. Concluſio ſic explicata

X. Probatur primò. Nulli ex Angelis peccantibus Deus dedit auxilium ad reſipiſcendum, quia ex dictis nullus Angelorum à peccato reſipuit; ergo hoc ideò, quia voluntas eorum non erat capax reſipiſcentiæ, & proinde immobiliter adhæſerat peccato. Conſeq. probatur. Nam ſi voluntas Angelorum fuiſſet capax reſipiſcentiæ, pertinuiſſet ad Providentiam miſericordem Dei, ſaltem aliquibus auxilium ad reſipiſcendum conferre, ſicut illud confert hominibus peccatoribus; ergo ſicut, ex quo nulli Angelorum in primo inſtanti denegavit Deus auxilium neceſſarium ad non peccandum, arguimus ſupra, hoc ideò fuiſſe, quia pro illo inſtanti peccare non poterant; ita

ita ex quo nulli Angelorum poſt peccatum conceſſit auxilium ad reſipiſcendum, arguemus, eos reſipiſcere non potuiſſe: quare obſtinatio, & immobilitas adhæſionis fini perverſo non fuit effectus, ut putat Scotus, ſed cauſa denegationis auxilii ad reſipiſcendum.

XI. Probatur ſecundò, expendendo rationem D. Thomæ. Sicut voluntas immobiliter adhærens recto fini eſt cauſa, & ratio firmitatis in bono; ita voluntas immobiliter adhærens fini perverſo eſt cauſa, & ratio obſtinationis in malo: ſed voluntas Angeli talis conditionis eſt, ut immobiliter adhæreat fini recto, ſeu perverſo, quem ſemel perfectè ac deliberatè elegit; ergo hæc eſt cauſa, & ratio &c. Maj. traditur à D. Tho. in 2 *Sent. diſt.* 7. *q.* 1. *a.* 2. dicente: *ſicut impoſſibile eſt, à voluntate indeclinabiliter adhærente recto fini, procedere opus peccati; ita è contrario impoſſibile eſt, à voluntate adhærente inconvertibiliter perverſo fini, aliquod rectum opus provenire.* Et patet in Beatis, & in damnatis: in illis enim immobilis adhæſio ſummo bono eſt radix firmitatis eorum; in iſtis autem immobilis adhæſio fini perverſo eſt radix eorum obſtinationis in malo

Min. verò à D. Thoma probatur. Voluntas, quæ ex ſua natura talis conditionis eſt, ut in perfecta, & deliberata electione finis petat regulari à judicio intellectus prorsùs immobili, adhæret fini prorsùs immobiliter, & inconvertibiliter: ſed voluntas Angeli in perfecta, & deliberata electione finis, petit regulari à judicio intellectus prorsùs immobili; ergo adhæret &c. Maj. prob. Tùm quia talis naturæ eſt actus voluntatis, qualè eſt judicium intellectus, quod ſequitur tanquam regulam. Tum quia intantùm variatur electio in voluntate, ut diſplicere incipiat, quod ante placuerat, inquantum variatur in intellectu judicium; dùm, vel ceſſante paſſione, vel habitu mutato, proponitur ut malum, quod prius proponebatur ut bonum. Min. verò ſic evincitur. Voluntas Angeli dùm ſibi plenè, ac deliberatè finem præſtituit, regulatur à judicio comprehenſivo finis, videlicet proponente ei objectum cum omnibus circumſtantiis, quibus veſtiri poteſt; ergo tale judicium eſt prorsùs immobile: intantùm enim variatur judicium in nobis, inquantùm apparere incipit aliqua circumſtantia in objecto, quæ ante non apparebat, nec conſiderabatur. Et hoc eſt, quod dicit D. Thomas hoc a. 2. *quòd Angelus apprehendit immobiliter intellectum, ſicut nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum eſt intellectus: homo verò per rationem apprehendit mobiliter diſcurrendo de uno ad aliud, habens viam procedendi ad utrumque oppoſitorum. Unde & voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quaſi potens ab eo diſcedere, & contrario adhærere: voluntas verò Angeli adhæret fixè & immobiliter.*

XII. Explico magis. Quidquid ex vi principiorum comprehenſivè cognitorum acceptatur, vel recuſatur, inflexibiliter acceptatur, vel recuſatur; quia eâdem indiviſibili tendentiâ acceptatur, vel deſeritur, quâ ipſa principia: ſed Angelus in deliberando de fine uſus eſt principiis à ſe comprehenſis, non ſolùm pro appetenda propria excellentia, ſed etiam pro recuſanda divina regula, & lumine ſuperiori; ergo inflexibiliter non ſolùm acceptavit pro fine ſuam excellentiam, ſed & ipſam excluſionem divini luminis; & ſic determinatus manſit in non admittendo illud, ut immobiliter fixus ſit in malo, & in recuſatione remedii. Unde ut Deus Diabolum converteret, neceſſe foret, ut, vel infunderet illi lumen clarum ſupernaturale vincens totam comprehenſionem naturalium principiorum; vel quod deſtruendo modum connaturalem ejus in cognoſcendo, reduceret illum ad modum cognoſcendi, & ſtatum, quo fuit in primo inſtanti ſuæ creationis; ut inde inciperet iterùm de novo eligere, & deliberare de fine.

XIII. Si dicas cum Scoto, & ſuis, rationem hanc fundari in eo, quòd Angelus attingat ſine diſcurſu, quod eſt falſum. Deinde eſto non eſſet in Angelo diſcurſus ſecundùm cauſalitatem, eſt tamen diſcurſus ſecundum ſucceſſionem; quia cognoſcere poteſt unum poſt alium, & ſic dari in eo mutatio cognitionum, quæ poſſit mutare voluntatem: nam mutatio cognitionis non tam dependet ex diſcurſu cauſali, ſed & ſucceſſivo, quo diverſa objecta vel motiva ſucceſſivè manifeſtantur: ex diverſa autem manifeſtatione objecti mutatur voluntas, & ſic poteſt novo modo objecta conſiderare, & ab eo, quod voluit ſemel, reſilire. Ita Dęmones modò Chriſti mortem procurabant, modò ab ea retrahebant; unde variato motivo variabatur voluntas.

XIV. Præterea: Poteſt Angelus uti aliquâ ſpecie, vel principio ſolùm inadæquatè, & modò ut repræſentat hoc, & non illud; ergo poteſt uti aliquo principio ad cognoſcendam unam veritatem, & unum motivum, & poſtea aliud, & ſic variari in Angelo cognitio.

XV. Non obſtant tamen hæc. Non primum; quia Angelum ſine diſcurſu intelligere non ſolùm in naturalibus, ſed & in ſupernaturalibus, jam ſuperiùs oſtendimus. Quo ſuppoſito, & probato, cùm eâdem immobilitate ex parte actus feratur in concluſionem, ac in principium, æquè immobiliter adhæret utrique: & quidem neceſſariò, non quoad exercitium, ſed quoad ſpecificationem, ut non poſſit divertere ad oppoſitum, tàm in cognoſcendo, quàm in eligendo.

XVI. Neque obſtat, quod ſecundò additur. Nam eſto admittamus in Angelo diſcurſum ſecundùm ſucceſſionem, nempè quòd cognoſcat unum poſt aliud; negamus tamen, hoc conducere ad retractationem ejus, quod ſemel deliberatè elegit: quia ad retractationem non confert quidquam ſucceſſio, aut diverſitas cognitionum diverſa objecta attingentium; ſed ſolùm conducit nova, & diverſa cognitio circa idem objectum, quod meliùs, & diverſo modo apparet nunc, quàm ante: quod ſolùm poteſt contingere, quando novo lumine illuſtratur, aut aliquid novum, quod de illo latebat, nunc apparet. Si enim tale objectum novo modo non conſideratur, ſed id, quod per cognitionem ſuccedentem cognoſcitur eſt diverſum, nihil omnino conducit ad mutandum dictamen circa prius objectum. Circa autem id, quod ſemel reſolutoriè Angelus elègit, non poteſt ei repræſentari aliquid, quod ejus variet judicium; aut ſaltem connaturaliter hoc fieri nequit: tùm generali ratione. Nam ſi homo cordatus, & prudens non procedit ad ultimam reſolutionem in magno negotio, niſi attentis, & benè perpenſis omnibus motivis, & circumſtantiis; quantò magis Angelus hoc modo proceſſit in deliberando de ſuo ultimo fine. Tùm ratione ſpeciali. Nam Angelus cùm deliberavit de ſuo ultimo fine peccando, eodem indiviſibili actu conſideravit excellentiam propriam comprehenſivâ, & plenâ cognitione in ſuis principiis, & recuſavit, ſeu excluſit à ſe ſupernaturale lumen, nolens per illud dirigi, ſed in ſua naturali excellentia remanere; & ipſa excluſio divini luminis fuit una ex concluſionibus ad quam ſe determinavit: unde excluſit viam omni remedio ad ſuam converſionem; ad eum modum, quo peccantes in Spiritum Sanctum ex ipſo genere, & objecto peccati ſe opponunt gratiæ Spiritus Sancti. Unde ſi tales dùm aliquando ſanantur, quaſi miraculosè ſanantur, ut docet D. Th. *2. 2. q. 14. a. 3.* multò magis nonniſi vero miraculo ſanaretur Dæmon, qui, nedùm ex parte objecti, ſed ex parte actus, poſt plenam omnium conſiderationem noluit conſiderare divinam regulam, & à ſe Spiritum Sanctum plena deliberatione excluſit. Quod autem dicitur de Diabolo, qui modò

modò Chriſti mortem procurabat, modò ab ea retrahere conabatur; ſicut, & alia exempla, quæ ex Sacra Scriptura afferri poſſunt, quibus apparet, Angelos mutaſſe voluntatem, non ſunt ad rem. Sunt enim de rebus, de quibus Angeli habebant ſolùm notitiam dubiam, & conjecturalem, non verò certam, perfectam, & comprehenſivam, de qua in præſenti loquimur. Diabolus enim, cùm non certò ſciret, quòd Chriſtus eſſet verus Filius Dei, ſed ſolùm ex aliquibus ſignis conjectaret, potuit modò ejus mortem velle, modò nolle; ſicut & in aliis caſibus, in quibus non erat ante explorata Dei voluntas: hâc poſtea cognitâ, potuerunt Angeli voluntatem mutare, ut legitur Danielis 1. ubi Angelus Cuſtos Perſarum, qui ante repugnabat Angelo Cuſtodi Iſraelitarum pro eorum liberatione, auditâ per Archangelum Michaelem contrariâ Dei voluntate, mutavit ſententiam. At nos loquimur de eo, quod Angelus certò firmiter, & completè ſtatuit, & elegit maximè circa ultimum finem: hoc enim dicimus retractare non poſſe.

XVII. Huic non obſtat, quod tertiò dicitur. Ex quo enim Angelus poſſit inadæquatè ſolùm uti ſpecie, vel principio, ſequitur quidem, poſſe dari in Angelo ſucceſſionem cognitionum; non autem, quòd à cognitione ſemel habitâ, & electione vi illius factâ, poſſit reſilire: quia ſemper ſupponitur facta cum plena, & comprehenſiva advertentia objecti, & omnium circumſtantiarum, qualem ſuponimus habuiſſe Angelos dum peccarunt.

XVIII. Sed dices primò. Conſtat, omnes Angelos, qui peccaverunt mutaſſe priorem voluntatem, quam in primo inſtanti habuerunt, de bona ſcilicet in perverſam; ergo etiam poſtea mutare potuerunt de perverſa in bonam.

XIX. Dices ſecundò. Diabolus experiendo pœnam damnationis, quam patitur, videnſque ſe factum creaturæ, nempe igni, ſubjectum, judicat modò, non eſſe ſibi conveniens, appetere ſuam beatitudinem, & recuſare divinum lumen; ergo modò mutavit judicium &c. & proinde etiam voluntatem.

XX. Reſpondeo ad primum, neg. conſequ. non enim benè arguitur à prima voluntate, quam habuit in primo inſtanti, ad quam non ſe movebat, ſed movebatur ſpecialiter à Deo, ut oſtenſum eſt, ad ſecundam voluntatem, quam in ſecundo inſtanti ſeſe determinans, & quaſi ſui juris, ex plena deliberatione habuit. Eſto enim etiam tunc comprehenſivè attingeret principia, & formaret judicium practicè certum, illud tamen non formabat, ut motus à propria voluntate, ſed à Deo; ideòque non erat ſufficiens ad electionem perfectè liberam, hoc eſt libertate tam exercitii, quàm ſpecificationis: nec plenè operabatur ſecundum ſuam naturam, quomodo operatus eſt in ſecundo inſtanti, quo à ſe movebatur plenè ad eligendum. Quare ex electione facta in ſecundo inſtanti ſecuta eſt immutabilitas in objecto electo, non ex electione facta in primo. Unde D. Thom. hoc a. 2. cautè dixit: *ſi conſideretur ante adhæſionem* (deliberatam, & reſolutoriam) *poteſt liberè adhærere huic, & oppoſito, in his ſcilicet, quæ non naturaliter vult* (qualia ſunt contingentia, & ſupernaturalia) *ſed poſtquam jam adhæſit, immobiliter adhæret;* quia non poteſt ampliùs formare judicium practicum de oppoſito.

XXI. Ad id, quod ſecundò dicitur, diſt. ant. judicat ſpeculativè, conc. ant. practicè, nego ant. & ideò nequit in eo naſci voluntas deteſtativa culpæ commiſſæ. Sentit ergo pœnam, & eam nollet; at non ſentit culpam, quaſi eam refugiat. Unde D. Thom. Q. 16. de Malo a. 5. ad 5. *Diabolus* (inquit) *non poteſt in ſe propriè loquendo culpam ſentire: ità ſcilicet, quòd apprehendat, & refugiat, quaſi malum culpæ ſuum peccatum; quia hoc pertine-*

tineret ad mutationem liberi arbitrii. Et hoc fateri debent etiam Scotiſtæ; aliàs dicere cogerentur, Dæmones voluntatem mutare, & à peccato ad Deum converti, quod tamen negare debent, & cum D. Thoma citato *in fine Corp.* dicere, quòd Dæmones poſt peccatum, *quamvis diverſa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant; quia in omni eorum electione permanet via primæ electionis ipſorum*.

Ex quibus infertur, Angelum peccando, eſto manſerit liber circa hoc, vel illud malum, amiſiſſe tamen libertatem circa bonum. Et hoc ex conditione ſuæ naturæ, quæ petit immobiliter adhærere fini, quem ex plena deliberatione ſemel elegit. Unde D.Th. Q. 16. de Malo a. 5. ad 4. ait: *Immobiliter permanere in malo non convenit Diabolo ex una cauſa, ſed ex duabus. Nam eſſe in malo convenit ei ex propria voluntate: ſed immobiliter inhærere ei, ad quod voluntas applicatur, convenit ei ex propria natura*. Quamvis verò in hoc ſtatu poſito ſit impoſſibile ei converti ad Deum; attamen: *Sicut ebrius tenetur non peccare, non quidem conſiderato præſenti ſtatu, ſed conſideratâ ebrietatis voluntariâ cauſâ, ſecundùm quam imputatur ei aliquid ad culpam: ita etiam poteſt intelligi, quòd Diabolus tenetur converti ad Deum, quamvis hoc ſit ei impoſſibile ſecundùm præſentem ſtatum, quia in hunc ſtatum ex voluntaria cauſa devenit*. Ita S. Th. Q. 16. *de Malo a. 5. ad 11.*

§. III.

Solvuntur aliqua contra dicta.

XXII. PRo majori tamen explicatione dictorum, objicies primò. Eſſe immutabilem, factâ electione, vel convenit Angelo ratione perfectionis, vel ratione imperfectionis: non ratione imperfectionis; quia eſſe immobilem in malo, & inemendabilem, non eſt perfectio, imò ſumma imperfectio, & miſeria: non ratione imperfectionis; aliàs homini, qui eſt imperfectior Angelo, hoc deberet convenire, quod tamen eſt falſum.

XXIII. Secundò. Liberum arbitrium Angeli nihil amiſit poſitâ electione quod ante habuit, nihil etiam acquiſivit de novo, quod antea non haberet; ergo ſicut antea habebat libertatem ad bonum, ſic etiam poſt.

XXIV. Tertiò. Eſto Angelus procedat comprehenſivè circa naturalia, non tamen circa ſupernaturalia, quæ imperfectè ſolum cognovit, nempè per fidem: ſed peccatum Angeli fuit circa ſupernaturalia; ergo eum non reddidit inflexibilem.

XXV. Quartò. Si confirmatio in malo eſt ex conditione naturæ Angeli, idem dicendum erit de confirmatione in bono, cui ſemel adhæſit; ergo perſeverantia in bono, vel non erit ex gratia Dei, vel non erit gratia diſtincta à gratia primæ electionis: cùm tamen perſeverantia ſit ſpecialiſſimum donum.

XXVI. Reſpondetur ad ſingula. Ad primum; eſſe inemendabilem non dicere quidem perfectionem, ſed eam ſupponere, quia ſupponit modum apprehendendi res ſine diſcurſu, & comprehenſivè; ex quo oritur firma, & immobilis adhæſio fini ſemel electo. Quare ſicut immobiliter adhærere bono, formaliter ſumma perfectio, & felicitas eſt tàm in ſe, quàm in ſua radice: ita immobiliter adhærere malo, eſto in ſe imperfectio, & miſeria ſit, in ſua tamen radice perfectio eſt; licèt peccando eâ Diabolus abuſus ſit, & voluntariè ſe in miſeriam dejecerit.

XXVII. Ad ſecundum, reſpondeo, hoc argumentum ſibi proponere D. Tho. Q. 24. *de Veritate a.10. in arg.* 14. cui ſic reſpondet. *Ad* 14. *dicendum, quòd peccatum libero arbitrio adveniens non adimit aliquid eſſentialium, quia ſic ſpecies liberi arbitrii non remaneret; ſed per peccatum aliquid additur, ſcilicet unitio quædam liberi arbitrii cum fine perverſo, quæ ei quodammodo naturalis efficitur. Et ex hoc neceſſitatem habet, ſicut &*

Digitized by Google

& alia, quæ ſunt libero arbitrio naturalia. Induit ergo Angelus, poſt electionem, novam diſpoſitionem, & novum ſtatum, quo objectum de ſe indifferens non reſpicit ampliùs cum indifferentia, ſed cum determinatione; quod de damnatis omnes dicere tenentur.

XXVIII. Ad tertium dico, quòd cùm Angelus peccaverit circa finem ſupernaturalem recuſando illum, vel ordinem ad illum ex inordinata adhæſione ad finem naturalem, & ſuam excellentiam naturalem; eàdem comprehenſione, quâ ſuam excellentiam naturalem elegit, motus eſt ad recuſandum finem ſupernaturalem, & claudendum oculos, ne illum modo affectivo ex modo ſaltem operandi videret. Quare quidquid ſit, an principia ſupernaturalia comprehendat Angelus, potuit tamen ex principiis naturalibus comprehenſis ad ea recuſanda moveri, & contrahere in iis recuſandis immobilitatem. Vide D. Thom. Q. 16. de Malo a. 5. inferiùs referendum nu. 31.

XXIX. Ad quartum, nego conſequ. Perſeverantia enim in bono in ſanctis Angelis ſpecialiſſima gratia fuit, & diſtincta à prima omnibus in primo inſtanti conceſsâ, quâ deſtituti fuerunt, qui in ſecundo inſtanti à fine ſupernaturali, ad quem in primo converſi fuerant, oculos averterunt. Quod verò qui per gratiam ſteterunt ita in bono firmati ſint, ut immobiliter ei adheſerint; hoc fuit, quia cùm gratia ſe accommodet modo connaturali operandi, qui in Angelis eſt, ut poſt primam liberam, & plenam electionem in bono immobilitentur; ideò per gratiam fuerunt in bono firmati: ſicut ab oppoſito, ex eorum naturali conditione ortum fuit, ut malis pro ſemper ſubtraheretur gratia, & firmarentur in malo; quia ſtatim factâ primâ electione, finitur via Angelorum, ſive in bono, ſive in malo.

XXX. Hinc concludo præſentem aſſertionem, afferendo aliam rationem, quâ utitur D. Thomas in 2. diſt. 7. q. 1. a. 2. ſic. Quandocumque aliquis devenit ad terminum viæ, non poteſt deflecti ab eo fine, cui adhæſit, ſive ſit bonus, ſive malus: ſed ſicut finis viæ hominis eſt mors ſua, ita finis viæ Angeli eſt terminus electionis ſuæ, quâ bono adhæſit, vel malo; ergo ſicut homines poſt mortem in bono confirmantur, vel in malo, ita & Angeli poſt converſionem vel averſionem. Ita diſcurrit S. Doct. qui ſtatim ſubdit: *Datur autem homini longior via, quàm Angelo, quia erat magis à Deo diſtans, & oportebat, quod in ejus cognitionem inquirendo perveniret. Angelus autem ſtatim deiformi intellectu, ſine inquiſitione in divina pervenire potuit*. Ex his conficitur ratio alia. Nam Angeli ſunt ſimiles Deo, quantum patitur creaturæ conditio: ſed voluntas Dei poſtquam aliquid ſemel decrevit eſt prorſus immutabilis, quia cognovit omnes rationes, quas habere poterat decernendi; ergo ſimiliter cùm Angeli penetraverint in ſecundo inſtanti omnes rationes, quas habere poterant ſuam formandi plenam electionem, nec ulla eis nova ratio potuerit occurrere ad eligendum, quam tunc non cognoverint; poſtquam ſemel elegerunt in ſua electione immobiles permanſerunt. Quapropter ſi cum plena cognitione quòd debebant adhærere Deo ut ultimo fini, ex malitia ſuæ voluntatis, & pravo dictamine practico elegerunt potiùs ſuo bono proprio adhærere, recuſantes Deum pro ultimo fine, in hac electione prava perſiſtere debuerunt.

XXXI. Claudant omnia hæc verba S. Thomæ Q. 16. de Malo a. 5. ſæpè citato in corp. ubi poſtquam docuit, quòd ſicut angelicus intellectus *immobiliter ſe habet circa omnia, quæ naturalitèr cognoſcit: & quia voluntas proportionatur intellectui conſequens, eſt, quod etiam voluntas eorum ſit immutabilis circa ea, quæ ad ordinem naturæ pertinent*; tranſiens poſtea ad ſupernaturalia, proſequitur: *Verum eſt autem, quòd ſunt in potentia reſpectu motus in ſuper-*

Digitized by Google

ſupernaturalia, ſive per converſionem, ſive per averſionem. Unde hæc ſola mutatio in eis eſſe poteſt, ut de gradu naturæ ipſorum moveantur in id, quod eſt ſupra naturam convertendo ſe, vel avertendo. Sed quia omne, quod advenit alicui, advenit ei ſecundùm modum ſuæ naturæ; conſequens eſt, ut immobiliter Angeli perſeverent, vel in averſione, vel in converſione reſpectu ſupernaturalis boni (& hoc eſt ab intrinſeco) *ex parte verò extrinſeca immutabiles ſunt vel in bono, vel in malo poſt primam electionem; quia tunc finitur in eis ſtatus viatoris. Unde non pertinet ad rationem divinæ ſapientiæ, ut ulteriùs Dæmonibus gratia infundatur, per quam revocentur à malo primæ averſionis, in qua immobiliter perſeverant.*

XXXII. Ex dictis infertur primò, ſtatim poſt primam plenam electionem, completam fuiſſe viam Angelorum, & qui ſteterunt fuiſſe beatos, qui verò peccarunt, damnatos. Imò etſi, Deo ſic volente, diutiùs via Angelorum, puta ad centum annos, duraſſet; adhuc poſt primam electionem fuiſſent immobiles, ſive in bono, ſive in malo, immobilitate tamen nondum conſummatâ.

XXXIII Infertur ſecundò, obſtinationem in hominibus damnatis eſſe quoque petendam non ſolùm ex ſubtractione divinæ gratiæ, ſed ex intrinſeca eorum inflexibilitate in malo. Unde D. Thom. Q. 24. de Verit. a. 11. *Anima* (inquit) *ſeparata Angelo conformatur, & quantùm ad modum intelligendi, & quantùm ad indiviſibilitatem appetitus, quæ erant cauſa obſtinationis in Angelo peccante. Unde per eandem rationem in anima ſeparata obſtinatio erit.* Et quia poſt reſurrectionem corpus ſequetur conditionem animæ, dicit, quòd *tunc eadem obſtinationis ratio manebit.*

XXXIV. Infertur tertiò. Etſi Dæmones aliquod opus ex ſua ſpecie bonum facerent, in eo tamen peccant; quia ſemper eſt pravâ intentione vitiatum. Quare D. Thom. Q. 16. de Malo a. 5. ait: *Et ideò quamvis diverſa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant; quia in omni eorum electione permanet via primæ electionis ipſorum.* Et quidem ſi ſtatus beatorum non eſt capax alicujus peccati, neque ſtatus damnatorum erit capax alicujus boni moralis; quia ſicut illi ſunt conſummatè in bono firmati; ita iſti in malo: & ſicut illi ratione gloriæ, quâ felices ſunt, nunquam ceſſant ab amore Dei, & ex ipſo omnia faciunt; ſic iſti ratione pœnarum, quibus continuò torquentur, nunquam ceſſant ab odio Dei, & ex eò ad omnia, quæ faciunt, moventur.

§. IV.

An dolor ſit in Dæmonibus?

XXXV. ALtera pœna, quam in voluntate Dæmones contraxerunt peccando, eſt dolor. Quia tamen dolor accipi poteſt, ut eſt paſſio appetitus ſenſitivi, & ut eſt ſimplex actus voluntatis,

Dicit D. Thomas hâc q. 64. a. 3. quòd dolor, ut eſt paſſio appetitus ſenſitivi, in Dæmonibus eſſe non poteſt; quia cùm ſint naturæ purè intellectualis, hujus appetitus expertes ſunt, cùm organo corporali ſit alligatus: dolor verò, ut eſt ſimplex voluntatis actus, in eis eſt. Et probat: quia dolor hoc modo nihil aliud eſt, quàm *reniſus voluntatis ad id quod eſt, vel non eſt;* ſeu reniſus voluntatis, fruſtra aliquid, quod habet, à ſe removere cupientis; vel fruſtra molientis aliquid acquirere, quod non habet: ſed Dæmones multa vellent non eſſe, quæ ſunt, ſeu non habere, quæ habent, & eſſe, quæ non ſunt, ſeu habere, quæ non habent; vellent enim, cùm ſint invidi, damnari eos, qui ſalvantur; vellent ſe non detineri igne, nec puniri; vellent liberari à pœnis, non expelli à corporibus humanis: quia ſuperbi vellent omnibus præeſſe, ab omnibus adorari, quæ omnia fruſtra volunt; ergo &c.

XXXVI.

XXXVI. An verò dolor ita impleat voluntatem Dæmonum, ut nullum in ea relinquat gaudio locum, controvertitur inter Doctores. Videri poteſt, vero gaudio eos perfundi, cùm hominem tentatione vincunt, cùm Damnatur, cùm ei aliquid malum inferunt; hôc enim conſequuntur id, quod maximè deſiderabant; ad impletionem autem deſiderii conſequitur gaudium: unde ſicut Angeli in Cœlo gaudent ſuper peccatoris converſione; ſic Dæmones gaudeant ſuper hominis lapſu, & damnatione. Quibus favere videtur S. Auguſtinus l. 2. de Geneſ. contra Manich. c. 17. dicens: *Diabolus poteſtatem habet in eos, qui Dei præcepta contemnunt, & de hac tam infelici poteſtate lætatur*. Cui adhærere etiam cenſent aliqui D. Thomam, qui hoc a. 3. ad 1. prælaudato Auguſtini textu ſuppoſito, dicit: *gaudium, & dolor de eodem ſunt oppoſita, non autem de diverſis. Unde nihil prohibet, unum ſimul dolere de uno, & gaudere de alio, & maximè ſecundùm quod dolor, & gaudium important ſimplices voluntatis actus: quia non ſolùm in diverſis, ſed etiam in una & eadem re poteſt eſſe aliquid, quod volumus, & aliquid, quod nolumus*.

XXXVII. Alii tamen cenſent, in Dæmonibus verum gaudium eſſe non poſſe; quia ſummus dolor non admittit ſecum aliquod verum gaudium, etiam de alio objecto diſtincto: unde, qui vehementi dolore cruciatur, & exceſſivà conficitur mæſtitia, de nulla re gaudet ac delectatur: ſed Dæmones ſummo dolore cruciantur, ac in ſumma poſiti ſunt mæſtitia, quæ nullo modo remitti, aut mitigari poteſt, imò eſſentialis eorum miſeria ſemper invariata manet; ergo &c. Quod ſi maximum miraculum fuit, quod Chriſtus ſimul frueretur viſione Dei, & dolores pateretur; miraculum eſſet ponere in Dæmonibus cum ſumma triſtitia, & miſeria, aliquod verum gaudium, quod non eſt dicendum.

XXXVIII. Conciliari tamen poſſe crederem has duas opiniones dicendo, gaudium quod in Dæmonibus ex prædictis conſurgit non eſſe verum, ſed phantaſticum; ſeu revera Dæmones non gaudere, ſed gaviſuros fore de præfatis, niſi ſummo dolore impedirentur; quod eſt admittere cauſam ſufficientem gaudii, non gaudium. Prior modus eruitur ex D. Thoma in 4. *diſt.* 45. *q.* 2. *a.* 2. *quæſtiunc.* 1. *ad.* 4. ubi de damnatis dicens, quòd habent aliquod gaudium, dum impletur hoc, quod deſiderant, ſicut & Dæmones, dùm homines ad peccata pertrahunt; expreſsè dicit, hoc gaudium *non verum* eſſe, ſed *phantaſticum*; quia eorum pœna eſſentialis per hoc non minuitur, ſed potiùs accidentalis creſcit ex multitudine damnatorum; ſicut ex multitudine beatorum creſcit gaudium accidentale bonorum Angelorum, ut indicat S. Tho. in 2. *diſt.* 7. *q.* 1. *a.* 2. *ad.* 5. Secundus autem modus conciliandi ex eodem D. Tho. in 4. *Sent.* loco citato deducitur, ubi ait, Dæmones aliquomodo gaudere de malis noſtris, ſicut boni Angeli de iiſdem compati dicuntur. Certum eſt autem, bonos Angelos, nec compaſſionis, nec doloris formalis capaces eſſe, cùm id eorum ſtatus non permittat, ſed quia malum noſtrum; cùm contrarium ſit eorum deſiderio natum eſt excitare in eis compaſſionem, & dolorem, quamvis de facto in eis non excitet. Ita in Dæmonibus malum noſtrum cùm impleat eorum deſiderium, natum eſt in eis aliquod gaudium cauſare, eſto de facto ob eorum infelicem conditionem non cauſet; quod eſt admittere in eis cauſam gaudii, non effectum. Sed hæc ſufficiant.

DU-

DUBIUM III.

De pœna ignis, quâ Dæmones torquentur.

§. I.

An in Inferno ſit ignis corporeus crucians?

I. Ullum Infernum eſſe qui hominibus in impœnitentia mortuis, ſicut & Dæmonibus locus pœnalis eſſet, negavit anno 1204. Almaricus natione Gallus, patriâ Carnotenſis, Pariſienſis Doctor, Philippo Barbaroſſæ filio Imperante, & Innocentio III. Romano Pontifice; qui conſequenter etiam nullum Paradiſum eſſe contendebat, dicens: quòd, qui in ſe Dei cognitionem haberet, illum habere quoque in ſe Paradiſum; qui contra peccatum mortale haberet, infernum habere in ſe, non aliter, quàm dentem putridum in ore.

Errorem iſtum in Concilio Lateranenſi IV. Cum aliis eiuſdem Almarici blaſphemiis damnatum, anno 1499. excitavit quidam Hermanus Riſvich Batavus; qui ob hunc, alioſque errores, captus, ſed pœnitentiam ſimulans dimiſſus, deinde in graviores amentias relapſus, anno 1512. Hagæ-comitis iterùm captus, igni addictus eſt: ut qui ignem pro altera vitâ negabat, in hac vita, & altera experiretur.

II. Cæterum Infernum, & pro hominibus, & pro Angelis peccatoribus eſſe, clamat Scriptura. Pro hominibus quidem Chriſtus ipſe teſtatus eſt in illo divite, de quo *Luca* 16. *v.* 22. & 23 dixit: *Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in Inferno. Elevans autem oculos ſuos cùm eſſet in tormentis &c.* Pro Dæmonibus autem indicavit Divus Petrus in ſua Epiſt. 2. *c.* 2. *v.* 4. dicens: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in Judicium reſervati &c.* Pluraque inferius Scripturæ teſtimonia adducemus, dùm de igne, & perpetuitate pœnarum Inferni ſermo erit.

III. Ex his, qui Infernum admittentes, in eo ignem verum eſſe, quo damnati torqueantur, negarunt, unum fuiſſe Origenem cenſet, inter alios, S. Hieronymus *lib.* 2. *adv. Ruffinum*, dicens: *Ignes autem æternos, quos intelligere ſolet Origenes, puto quòd te non fugiat, conſcientiam videlicet peccatorum, & pœnitudinem interna cordis urentem: De qua, & Iſaias loquitur* (cap. 66. v. 24.) *Vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur.* Aliqui tamen ab hoc nævo Origenem liberare conantur. Hoc tamen certum iudico, ſaltem Origeniſtas hunc errorem ex ſcriptis Origenis eruiſſe. Id enim teſtatur Oroſius in conſultatione ad S. Auguſt. de errore Priſcillianiſtarum, & Origeniſtarum (quæ inter Opera S. Auguſt. legitur tom. 8. edit. Maurinæ) dicens de Priſcillianiſtis, & Origeniſtis: *Ignem ſanè æternum, quo peccatores puniantur, neque eſſe ignem verum, neque æternum prædicaverunt dicentes, dictum eſſe ignem, propria conſcientia punitionem.*

IV. Verùm quidquid ſit de Origeniſtis, ac Priſcillianiſtis, certum eſt, errorem hunc adoptatum fuiſſe à modernis Hæreticis, quos *Deiſtas* aliqui, ſeu *novos Arianos*, & communiter *Trinitarios*, ſeu veriùs *Anti-Trinitarios* nuncupant, quia S. Trinitatis violatores impios: hi enim inter multos alios ſuæ ſectæ errores, hunc habent: *Quod anima ſeparata à corpore poſt mortem non patitur ignem corporeum*, ſeu nullam poſt mortem remanere pœnam ſenſibilem. Contra hos omnes ſit

§. II.

Catholica veritas.

V. Dico. Ignis Inferni, quo torquentur homines peccatores poſt mortem, & Dæmones, eſt verus, phyſicus, realis, & corporeus. Hanc

Digitized by Google

Hanc veritatem oſtendunt primò verba Chriſti Judicis, qui Matth. 25. v. 41. Reprobis dicit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus*. Verum autem eſſe ignem expertus fuit miſer ille dives, qui in Inferno ſepultus exclamabat Lucæ 16. v. 24. *Pater Abraham, miſerere mei: & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Quid ergo miſer ille petjit aquam in refrigerium, ſi non in vero igne corporali ardebat, ſed metaphorico?

VI. Reſpondent Deiſtæ, flammam illam, & aquam debere ibi accipi, ſicut accipiuntur *oculi*, *digitus*, & *lingua*, de quibus ibi fit mentio: ſed oculi, digitus, & lingua nonniſi per metaphoram intelligi poſſunt de anima damnata; ergo pari modo flamma, quâ cruciantur Damnati, & maximè Dæmones, qui puri Spiritus ſunt, & aqua, quam dives ille petebat, in ſenſu metaphorico debent intelligi.

Ita intelligit S. Auguſtinus *lib.* 21 *de Civit. Dei cap.* 10. qui de præfato textu loquens, ait: *Dicerem quidem ſic arſuros eſſe ſine ullo ſuo corpore ſpiritus, ſicut ardebat apud inferos ille dives, quando dicebat*, crucior in hac flamma: *niſi convenienter reſponderi cernerem, talem fuiſſe illam flammam, quales oculi, quos levavit, & Lazarum vidit, qualis lingua, cui humorem exiguum deſideravit infundi, qualis Lazari* (digitus) *de quo id ſibi fieri poſtulavit: ubi tamen erant ſine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis, & illa flamma, quâ exarſit, & illa guttula, quam popoſcit, qualia ſunt viſa dormientium, ſive in exſtaſi cernentium res incorporales, habentes tamen ſimilitudinem corporum*. Ecce Sanctum Auguſtinum accipientem metaphoricè, & ſpiritualiter, ſicut oculos, linguam, & digitos, ita & flammam, & aquam.

VII. Ad hoc tamen, in quo ſe triumphaſſe exiſtimant hæretici, reſpondeo, neg. maj. Non enim novum eſt, in eadem narratione Scripturam aliquando metaphorica interſerere veris, maximè ut humano captui, quæ narrat accommodet. Sic Chriſtus, *Joann.* 4. *v.* 13. Mulieri Samaritæ dixit: *Omnis qui bibit ex aqua hac* (hìc ſumit aquam corporalem, & veram) *ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei* (hìc ſumit aquam ſpiritualiter, & metaphoricè) *non ſitiet in æternum*. Item Matth. 26. v. 29. & Marci 14. v. 25. *Jam* (inquit) *non bibam de hoc genimine vitis uſque in diem illum* (ubi loquitur de vino vero, & propriè) *cùm illud bibam novum in Regno Dei* (ubi de vino ſpiritualiter accipi debet) Sic ergo cùm Dives ille ait: *Crucior in hac flamma*; cùm rogat, ut Lazarus *aquâ* refrigeret ipſum, de flamma, & aqua vera, & corporea ſermo eſt: dùm verò ſic deſcribitur, ac ſi habeat oculos, linguam, & Lazarus digitos, metaphorica locutio eſt. Obſervandum quippe eſt, quòd cùm Chriſtus de Divite. & Lazaro tanquam de hominibus loqui cæpiſſet; congruum fuit, ut de eiſdem poſt mortem ſimiliter loqui pergeret, per ſynecdochen eis tribuens corporea membra, velut ſi illa adhuc haberent. Atque ita futuræ vitæ ſtatum repræſentaret corporaliter accommodatè ad captum noſtrum; quemadmodum Deo etiam corporea membra tribui ſolent. Quis enim rudiorum facilè intelligeret, eum ſine oculis vidiſſe, ſine lingua locutum, ſine corpore cruciatum?

VIII. Porrò ſi attentè S. Auguſtinum legiſſent, in eo Deiſtæ non exultarent; ibi enim eum loqui vidiſſent opinando, non aſſerendo, in aliorum ſententia, non ſuâ. Et quod ita ſit, oſtendo. Tùm ex verbis quæ habet, nempè: *niſi convenienter reſponderi cernerem*. Tùm ex iis, quæ dicit ante verba ab Adverſariis allegata. Tùm ex iis, quæ poſtea ſubjicit. Ante enim, ſtatuto, Angelos nulla habere cor-

corpora, hæc habet: *Si autem quiſquam nulla habere corpora Dæmones aſſeverat, non eſt de hac re, aut laborandum operoſâ inquiſitione, aut contentioſâ diſputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœnâ corporalis ignis affligi, ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebunt ergo, ſi eis nulla ſunt corpora, ſpiritus Dæmonum, imò ſpiritus Dæmones, licet incorporei, ignibus cruciandi; non ut ignes ipſi, quibus adhærebunt, eorum juncturâ inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtent ſpiritu, & corpore; ſed ut dixi miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.* Clariùs ne loqui poterat Auguſtinus, & pro catholica veritate aſſerenda, & pro ea ſuadenda? Si enim ſpiritus hominis quamvis prorsùs incorporeus poteſt nunc corpore includi, & tunc, idest poſt reſurrectionem, corporis vinculis poterit inſolubiliter alligari; cur non poterint Dæmones, etſi puri ſpiritus, igni, etſi corporeo, adhærere, *accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam?*

IX. Verba etiam ſequentia id evincunt. Poſt enim ea, quæ ab Adverſariis adducta ſunt, mentem ſuam exponens, ait: *At verò gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis, & ſulphuris dictum eſt, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum, & Dæmonum; ſolida hominum, aeria Dæmonum: aut tantùm hominum corpora cum ſpiritibus, Dæmones autem Spiritus ſine corporibus hærentes ſumendo pœnam, non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Unus quippe utriſque ignis erit, ſicut veritas dicit* (Matth. 25. 41.) En Auguſtinum aſſerentem, quòd Dæmones ſive aeria corpora habeant, ſive Spiritus incorporei ſint; igni corporeo adhærent, & ab eo torquentur.

X. Aliis quoque Scripturæ textibus veritas hæc confirmatur. Nam Deuteron. 32. v. 22. legitur: *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima.* Pſalm. 10. v. 7. *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars Calicis eorum.* Et Iſaiæ 66. v. 24. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quæ aſſumens Chriſtus Marci 9. v. 44. & 45. *Bonum* (inquit) *eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis: Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

XI. Sed dices. Sicut præfatis verbis dicitur, quòd *ignis* Damnatorum *non extinguetur*, ita, quòd *Vermis eorum non morietur*: ſed *vermis* ibi ſumitur metaphoricè; quis enim dicat, Dæmones, & animas ſeparatas vermibus rodi? at vermis nomine intelligitur remorſus conſcientiæ, quæ ſicut vermes corpora, ita quodammodo animum rodit; ergo ſimiliter *ignis* ſumitur metaphoricè pro animi dolore, intenſiſſimo, qui non extinguetur, ſed in æternum cruciabit.

XII. Circa hoc S. Auguſtinus *l. 21. de Civit. Dei c. 9.* dicit, ſuo tempore duas fuiſſe opiniones. Unam eorum, qui utrumque, ignem ſcilicet, & vermem, referebant ad animi pœnas, non corporis; & hi tam nomine ignis, quàm vermis intelligebant dolorem animi, quo ſerò, atque infructuosè damnatos pœnitet. Alteram eorum, qui pœnas animi, & corporis ibi deſignari exiſtimantes, dicebant, igne uri corpus, animum quoque rodi verme mæſtitiæ. Quod credibilius ipſe exiſtimat, nempè quòd dùm corpus uritur igne, animus ſterili pœnitentiâ crucietur: legitur enim Eccleſiaſtici 7. v. 19. *Vindicta carnis impii, ignis & vermis.* Concludit autem S. Doct. *Eligat quiſque quod placet, aut ignem tribuere corpori, animo vermem, hoc propriè, illud tropicè: aut utrumque propriè corpori.* Hæc S. Auguſtinus. Qui tamen ibi loquitur de cruciatibus,

Digitized by Google

bus, quibus homo ſeu corpus, & anima torquebuntur poſt univerſalem reſſurrectionem. Cæterùm loquens de pœna, quâ torquentur puri ſpiritus, vel anima ſeparata, vel Dæmones, hanc dicit eſſe verum ignem corporeum, ut ſuperiùs oſtendimus ex eodem *lib. 21. de Civit. Dei c. 10.*

XIII. Ad inſtantiam factam reſpondeo, quòd non eſt eadem ratio de igne, quo cruciabuntur in æternum damnati, ac de verme. Ignis enim propriè ſumendus eſt; vermis autem ſolùm metaphoricè. Nam nec corpora damnatorum poterunt vermibus corrodi, & quia incorruptibilia, & quia poſt judicium non erunt vermes, aut aliud animal præter hominem, ut ex D. Tho. in 4. *D ſt. 50. q. 2. a. 3. quæſtiunc. 2.* Nec animæ ſeparatæ, ſive Dæmones capaces ſunt corroſionis vermis: hæc enim cum fiat per ſubtractionem de ſubſtantia alterius, hujus ſubtractionis & diviſionis capax non eſt ſubſtantia ſpiritualis, & indiviſibilis. Quare neceſſe eſt, ut vermis accipiatur metaphoricè pro remorſu conſcientiam velut verme corrodente. De igne autem aliter diſcurrendum eſt. Nam eſto non poſſit ſpiritus combuſtione cremare, & affligere; alia tamen actione, ut dicemus, illos torquere poteſt.

XIV. Sicut ergo de Beatis aliqua in Scripturis intelligenda ſunt propriè, nempè eos regnaturos cum Chriſto in æterno gaudio, & fruitione; alia verò ſolùm metaphoricè, ut eos ſeſſuros ad menſam, comeſturos, & bibituros: ita de Damnatis, quæ de igne dicuntur, propriè accipienda ſunt; quæ verò de aliis, nempè de vermibus, de nivibus, de caligine, de aqua &c. tropicè ſunt intelligenda. Horum diſcrimen didicimus ex S. Thoma in 4. *Contrag. c. 90.* dicente: *licèt corporalia, quæ de præmiis Beatorum in Scripturis leguntur ſpiritualiter intelligantur, ſicut... de promiſſione ciborum, & potuum; quædam tamen corporalia, quæ Scriptura peccantibus comminatur in pœnam, corporaliter ſunt intelligenda, & quaſi propriè dicta.* Cujus rationem aſſignans, proſequitur: *Non enim eſt conveniens, quòd natura ſuperior per uſum inferioris præmietur, ſed magis per hoc, quòd ſuperiori conjungitur. Punitur autem convenienter natura ſuperior per hoc, quòd cum inferioribus deputatur: nihil tamen prohibet, quædam, etiam quæ de damnatorum pœnis in Scripturis dicta corporaliter loquuntur, ſpiritualiter accipi, & velut per ſimilitudinem dicta: ſicut dicitur Iſaiæ ultimo:* Vermis eorum non morietur; *poteſt enim per vermem intelligi conſcientiæ remorſus, quo etiam impii torquebuntur. Non enim eſt poſſibile, quod corporeus vermis ſpiritualem corrodat ſubſtantiam, neque etiam corpora damnatorum, quæ incorruptibilia erunt. Fletus etiam, & ſtridor dentium in ſpiritualibus ſubſtantiis nonniſi metaphoricè intelligi poſſunt: quamvis in corporibus damnatorum poſt reſurrectionem nihil prohibeat, corporaliter ea intelligi: ita tamen, quòd per fletum non intelligatur lacrymarum deductio, quia ab illis corporibus nulla reſolutio fieri poteſt: ſed ſolùm dolor cordis, conturbatio oculorum & capitis, prout in flentibus eſſe ſolet.* Hæc D. Thomas.

XV. Reſponderi etiam ſecundò poſſe crederem, Iſaiam in laudato textu non loqui de pœna extrinſeca, nempè de igne corporali, qui eſt cauſa communis pœnæ damnatorum; ſed de pœna intrinſeca, ſeu de effectibus à pœna extrinſeca cauſatis in Damnato, quos nomine *vermis*, & ignis Propheta deſcribit. Nam ex detentione per ignem ſequitur in Damnatis conſcientiæ remorſus, qui velut vermis eſt nunquàm moriens, & deſperatus dolor, quo tanquam igne inextinguibili uruntur; & hoc mihi ſuadeo, quia Iſaias non dicit: *Vermis non morietur*, ſed *vermis eorum.* Non dicit: *ignis non extinguetur*, ſed *ignis eorum*. Quibus de verme, & igne, qui in ipſis eſt, ſe loqui probabiliter indicat.

XVI. Dicent tandem. Ignis ille ſi corporeus eſt, inutilis, & abſque ulla actione erit in Inferno. Quid enim a-

g…e poteſt in puros ſpiritus, niſi maximo accedente miraculo, quod admitti non debet, niſi vel ex Scriptura, vel aliunde certò conſtet?

Hæc inſtantia petit, ut explicemus quid agat in Dæmones, aut animas ſeparatas ignis inferni. Pro quo ſit

DUBIUM IV.

Quomodo Dæmones ab igne corporeo torqueantur.

§ I.

Explanato dubio, Opiniones referuntur.

I. HOc dubium excitat D. Thomas in 4. *Sent. diſt.* 44. *q.* 3. *a.* 3. *quæſtiunc.* 3. *Et* 4. *Contrag. c.* 90. his verbis: *Poteſt venire in dubium, quomodo Diabolus, qui incorporeus eſt, & animæ Damnatorum ante reſurrectionem ab igne corporali poſſint pati, à quo patientur in Inferno corpora Damnatorum, ſicut & Dominus, di it Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.

Non igitur ſic æſtimandum eſt, quòd ſubſtantiæ incorporeæ ab igne corporeo pati poſſint, quòd earum natura corrumpatur per ignem, vel alteretur, aut qualitercumque aliter tranſmutetur, ſicut nunc noſtra corpora corruptibilia patiuntur ab igne. Subſtantiæ enim incorporeæ non habent naturam corporalem, ut poſſint à rebus corporeis immutari; neque etiam formarum ſenſibilium ſuſceptivæ ſunt, niſi intelligibiliter: talis autem ſuſceptio non eſt pœnalis, ſed magis perfectiva, & delectabilis.

Neque etiam poteſt dici, quòd patiantur ab igne corporeo afflictionem, ratione alicujus contrarietatis, ſicut corpora poſt reſurrectionem patientur; quia ſubſtantiæ incorporeæ organa ſenſuum non habent, neque potentiis ſenſitivis utuntur. Hæc D. Thomas.

II. Quibus ſuppoſitis, varias opiniones recenſet S. D. in 4. *Sent. diſt.* 44. *q.* 3. *a.* 3. *quæſt.* 3. citatis. Quidam dixerunt, *quòd hoc ipſum quod eſt ignem videre, ſit animam ab igne pati.* Sed hoc non ſufficere ait S. D. quia quodlibet viſum, ex hoc quòd videtur, eſt perfectio videntis. *Unde oportet, quòd præter hoc, quòd anima illum ignem videt, ſit aliqua comparatio animæ ad ignem, ſecundùm quam ignis animæ noceat.*

Alii propterea dixerunt, animam torqueri ab igne, quia apprehendit ipſum, ut nocivum ſibi. Sed niſi aliud addatur, cruciatus animarum, & Dæmonum ex falſa imaginatione procederet; ex eo nimirum quòd putarent, ignem cremando ſibi poſſe nocere, & cruciatus earum eſſet ſecundùm apparentiam. Præterquam quòd falſa imaginatio in animabus ſeparatis, & Dæmonibus locum habere non poteſt.

Unde alii dicunt, animam pati ab igne non ſolùm videndo, ſed eum etiam experiendo, non ſecundùm quòd agit virtute propria, ſed ut agit tanquam inſtrumentum divinæ virtutis; eo modo, quo aqua in Baptiſmo, ut inſtrumentum divinæ virtutis animam ſanctificat. Sed nec etiam hic modus dicendi à D. Thoma probatur: *Quia* (inquit) *omne inſtrumentum in id, circa quod operatur, habet propriam actionem ſibi connaturalem, & non ſolùm actionem ſecundùm quam agit in virtute principalis agentis; imò exercendo primam actionem, oportet, quòd efficiat hanc ſecundam, ſicut aqua lavando corpus in Baptiſmo, ſanctificat animam; & ſerra ſecando lignum perducit ad formam domus: unde oportet dare igni aliquam actionem in anima, quæ ſit ei connaturalis ad hoc, quòd ſit inſtrumentum divinæ juſtitiæ peccata vindicantis.* Ita D. Thomas. Cùm ergo ignis nullam actionem connaturalem habere poſſit in animam ſeparatam, & in Dæmones; non videtur poſſe in eos agere per modum inſtrumenti. Nunc quid dicendum ſit cum eodem S. Thoma exponemus.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Reſolutio Dubii.

III. Dico primò. Ignis Inferni torquet Dæmones, quatenus, ut inſtrumentum divinæ juſtitiæ eos tenet alligatos, ne operentur id, quod vellent, quando, & ubi vellent. Et in hoc veraciter ignis ille eſt Spiritui noxius, quòd Dæmon ignem illum ſibi noxium videns, ab igne cruciatur. Ita D. Thomas citato loco ex 4. *Sent.* Ubi ſupponit, Spiritum poſſe uniri corpori, vel ut forma unitur materiæ, quo pacto Spiritus vivificat corpus: vel ſicut movens mobili, vel ut locatum loco. Primo modo Spiritus Dæmonis non unitur igni, benè tamen ſecundo. Porrò quamvis corpus ex ſua natura habeat, quòd definiat Spiritum, ut dùm in illo operatur, & eſt, alibi eſſe, & operari non poſſit: non tamen habet ex ſua natura, quòd Spiritum ita intra ſe detineat, ut ita illi alligetur loco, quòd ad alia divertere non poſſit; cùm Spiritus non ita ſit in loco naturaliter, quòd loco ſubdatur. *Sed hoc ſuperadditur igni corporeo in quantùm eſt inſtrumentum divinæ juſtitiæ vindicantis, quòd ſic detinet Spiritum; & ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab executione propria voluntatis, ne ſcilicet poſſit operari ubi vult, & ſecundùm quòd vult.* Quibus explicat D. Thomas duplicem ab igne alligationem: unam quoad locum, dum ait: ne *poſſit operari ubi vult*; aliam quoad operationem dum ait: *ſecundùm quod vult.*

IV. Dæmonum cruciatus per vincula, rudentes, & alligationem nobis deſcribunt Scripturæ. S. Judas Epiſtolâ ſuâ Canonicâ v. 6. *Angelos verò* (inquit) *qui non ſervaverunt ſuum Principatum ... in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* S. Petrus Epiſt. 2. c. 2. v. 4. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos &c.* Et S. Jo. Apoc. 20. v. 2. & 3. *Et apprehendit* [Angelus] *draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus, & Satanas, & ligavit eum per annos mille. Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat ampliùs gentes.* Hanc Damnatorum alligationem indicavit Chriſtus Matth. 22. v. 13. cùm de eo, qui abſque veſte nuptiali in nuptiis ſedere auſus fuerat, inquit: *ligatis manibus, & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores &c.*

V. Ita quoque pœnam, quam Spiritus, & Dæmones ab igne corporali patiuntur explicavit S. Auguſtinus ſupra relatus *lib. 21. de Civit. Dei c.* 10. dùm poſtquam ait, quòd ſicut nunc animæ, eſto ſpirituales, corpori includuntur, & poſt reſurrectionem *poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari, ita adhærebunt ... Spiritus Dæmones, licet incorporei ignibus cruciandi ... accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.* Ita quoque S. Gregorius (relatus quoque à D. Tho. in 4. *ſent. diſt.* 44. *citatâ*) *l. 4. dialog. c.* 29. ubi Petro dubitanti, quomodo incorporeus Spiritus poſſit teneri igne corporeo, quem non vivificat, reſpondet: *ſi incorporeus Spiritus, Petre, in hoc teneri poteſt, quod vivificat, quare non pœnaliter, & ibi teneatur, ubi mortificatur? Teneri autem Spiritum per ignem dicimus, ut in tormento ignis ſit videndo, atque ſentiendo. Ignem namque eo ipſo patitur, quo videt, & quia concremari ſe aſpicit, concrematur. Sicque fit, ut res corporea incorpoream exurat, dùm ex igne viſibili, ardor ac dolor inviſibilis trahitur.* Eodem exemplo utitur Julianus (Epiſcopus Tolet. *lib. 2. Prognoſtic. c.* 27. à D. Tho. eodem loco adductus) dicens: *ſi viventis hominis incorporeus Spiritus detinetur in corpore, cur etiam non tenetur poſt mortem corporeo igne?* Quare D. Tho. ex Auguſtino ſupra laudato, concludit ſic: *ſicut anima in hominis conditione jungitur corpori, ut dans ei vitam*

(quam-

(quamvis illud ſit ſpirituale, & hoc corporale) & ex illa conjunctione vehementer concipit amorem ad corpus: ſic ligatur illi, ut accipiens ab eo pœnam, & ex illa conjunctione concipit horrorem.

VI. Probatur autem hoc diſcurſu. Pœna Dæmonum explicari debet per maximum, & acerbiſſimum cruciatum, qui ipſis convenire poſſit, cùm enim eorum peccatum fuerit maximum, ei debetur pœna graviſſima: ſed hæc pœna, hic cruciatus graviſſimus habetur per alligationem, ſive quantùm ad locum, ſive quantùm ad operationem; ergo &c. Min. prob. Tantus eſt Dæmonum cruciatus, quanta eſt contrarietas, & diſconvenientia pœnæ eorum naturæ, & voluntati; quia nil aliud eſt dolor quàm reniſus, & contrarietas voluntatis malo; & quanta eſt diſconvenientia apprehenſa, tantus debet eſſe reniſus, & dolor: ſed hæc maxima diſconvenientia habetur in Angelo per præfatam alligationem, ſive ad locum, ſive ad operationem; ergo &c. Min. prob. In primis ſi conſideremus celſitudinem naturæ Dæmonum, & ſuperbiam, ea eſt naturæ ipſorum dignitas, & præſtantia, ut ei corporalia omnia naturæ jure ſubijciantur, & obſequantur: ea eſt eorum ſuperbia, ut neque Deo ipſi ſubjici voluerint, & tanquam ſuperiorem eum venerari voluerint. Cùm ergo videant ſe viliſſimo elemento, qualis eſt ignis tartareus, ſubjectos, ab eo ut in anguſto carcere detentos, ac in perpetuum concludendos, ac deprimendos; ij nempè, qui in loco omnium ſupremo ac nobiliſſimo, ut ſibi debito fuerunt creati, ibi ſi in gratia permanſiſſent, in æternum beatificandi; ij inſuper qui cum Deo ſimilitudinem ambierant, cùm ſe ad locum omnium viliſſimum dejectos conſpiciant, quantum inde cruciabuntur? Habere quippe omnia corpora ſibi naturaliter ſubdita, & tamen infimis corporibus violenter ſubjici, quanta depreſſio! Nolle humiliari Deo, & tamen ignis ſupra ſe dominium, ac principatum, ſubire cogi, quanta diſconvenientia! Cœlo creatos, & ad tartara detruſos eſſe, & hoc in æternum, quanta, & quàm afflictiva mutatio!

VII. Neque minor eſt cruciatus, quem ex potentiarum in operando alligatione patiuntur. Cum enim, utpote purè ſpirituales, ſint ſummæ activitatis in operando; itaut vita eorum conſiſtat in continuo exercitio operationis, ſicut vita animalis in motu cordis: videntes ſe ab infimo elemento ignis ligari, ne operentur ubi, quando, & quid vellent; non poteſt, quin maximam patiantur violentiam, & in extremum diſcrucientur.

VIII. Ex his apparet, convenientiſſimum fuiſſe, quòd Dæmones ſuam luerent pœnam per alligationem ad corporalia, inquit S. Thom. in 4. *Contrag. c.* 90. Omne enim peccatum, & maximè Dæmonum, *ex hoc eſt*, quòd creatura rationalis *Deo obediendo non ſubditur: pœna autem proportionaliter debet culpæ reſpondere, ut voluntas in contrario ejus affligatur, quod diligendo peccavit. Eſt igitur conveniens pœna naturæ rationali peccanti, ut rebus ſe inferioribus, ſcilicet corporalibus, quodammodo alligata ſubdatur.*

Rursùs (inquit idem S. D. laudato loco) *ſi pœna afflictiva peccato debetur, quam dicimus pœnam ſenſus, . . . oportet, quòd ex illo hac pœna proveniat, quod poteſt afflictionem inferre: nihil autem afflictionem infert, niſi inquantùm eſt contrarium voluntati: non eſt autem contrarium naturali voluntati rationalis naturæ, quòd ſpirituali ſubſtantiæ conjungatur, quin immò hoc eſt delectabile ei, & ad ejus perfectionem pertinens; eſt enim conjunctio ſimilis ad ſimile, & intelligibilis ad intellectum; nam ſubſtantia intellectualis ſecundùm ſe intelligibilis eſt: eſt autem contrarium naturali voluntati ſpiritualis ſubſtantiæ, ut corpori ſubdatur, à quo ſecundùm ordinem ſuæ naturæ libera eſſe debet:*

debet: conveniens igitur eſt, ut ſubſtantia ſpiritualis per corpora puniatur.

IX. At dices primò. Pœna damnatorum Dæmonum debet eſſe inæqualis, ſicut in ipſis fuit inæqualis culpa: ſed ſi pœna eorum ſtatuatur in alligatione ad ignem, & detentione in Inferno, cùm hæc ſit æqualis, pœna æquali cruciabuntur; ergo &c.

Reſpondeo, neg. min. Sicut enim non valet: omnes Angeli per conjunctionem cum Deo beatificantur; ergo omnes ſunt æquales in intenſione beatitudinis, ut errabat Jovinianus: quia unus alio magis intenſivè Deo conjungitur. Ita nec valet in caſu Dæmonum damnatorum: nam etſi omnes puniantur per ſubjectionem, & detentionem ad ignem; unus tamen alio magis alligatur, & in operando detinetur, & igni tortori ſubjicitur, prout graviùs alio peccavit.

X. Dices ſecundò. Pœna, quam Dæmones ab igne patiuntur, debet eſſe pœna ſenſus, & non pura pęna damni: ſed ſi ab igne paterentur per alligationem, & detentionem, non paterentur ex hoc pœnam ſenſus, ſed ſolam damni, eo modo, quo patiuntur in Limbo pueri cum originali decedentes; aliàs dici deberet, etiam iſtos ſic detentos, puniri pœnâ ſenſus. Tùm etiam, quia detentio iſta ab igne nihil aliud eſt, quàm excluſio à Cœlo Empyreo, & relegatio ad ignem: hoc autem ad pœnam damni reducitur.

Reſpondetur, negando min. quam non evincit exemplum parvulorum decedentium ſine Baptiſmo. Horum enim perpetua præſentia in Limbo non eſt propriè alligatio, aut detentio; quia ibi non ſunt cum ſubjectione, aut depreſſione ad illum locum ligantem eorum potentias; ſed ibi permittuntur operationes ſibi connaturaliter debitas exequi, nec ullam violentiam, aut coactionem patiuntur: ideòque ſolam pœnam damni, nempè carentiam viſionis Dei experiuntur. Dæmones verò non ſolâ præſentiâ in loco tartareo cum excluſione à Cœlo Empyreo puniuntur, ſed ulteriùs igni ultori ſubjiciuntur; ab eo violenter ſic ligantur eorum potentiæ, ut non, quantum velint, ſed quantum ignis ille eis permittit, agere poſſint: quod certè maximum illis infert cruciatum, & alia pœna eſt, ab excluſione à Cœlo Empyreo diſtincta.

XI. Dices tertiò. Omnes Dæmones ſtatim ac peccarunt, pœnam ſui criminis ſuſceperunt: ſed non omnes igni tartareo alligati fuerunt, cùm eorum multi in hoc aere detineantur, qui propterea ab Apoſtolo *Epheſ. 2. v. 2.* dicuntur Principes *poteſtatis aeris hujus*, & nos ſuperiùs agentes de loco Angelorum admiſimus; ergo &c.

Reſpondent aliqui, Dæmones in hoc aere detentos, non adhuc recepiſſe ultimum eſſentiale ſupplicium, nec complementum infernalis pœnæ = Sed contrarium ſupra de Viſione oſtendimus, nempè, & animas ſine labe à corpore decedentes ſtatim eſſentiali beatitudine donari; & cum mortali hinc abeuntes, ultimum ac eſſentiale ſupplicium confeſtim recipere, contra Calvinum, ac plures Veteres oppoſitum ſentientes: & hoc nedum quoad pœnam damni, ſed ſenſus. Unde Lucæ 16. de divite illo non ſolùm legitur: *mortuus eſt dives, & ſepultus eſt in Infetno;* Sed ſtatim ſubditur *v.* 23. *Cùm eſſet in tormentis*. Et *v.* 24. auditur dicens: *Crucior in hac flamma*. Cùm ergo teſte Damaſceno *lib. 2. fidei c.* 4. Id quod in hominibus eſt mors, in Angelis ſit lapſus; manifeſtum eſt, omnes Angelos poſt lapſum eſſentiali, & conſummato ſupplicio fuiſſe addictos.

XII. Reſpondent ſecundò alii, Dæmones in hoc aere exiſtentes ſecum deferre infernalis ignis portionem, quâ crucientur. Hoc videtur indicaſſe Rupertus *lib. 4. de Victoria Verbi Dei*, dicens: Diabolus *quòcumque ſe vertat, pœnam ſuam ſecum portat, & plaga ignis ignitorum lapidum, quâ ſemel eſt fulminatus intrinſecùs in ipſo perſeverat*. Et Beda ad caput 3. Epiſt. Jacobi

Jacobi

Digitized by Google

Jacobi hoc egregiè explicans: *Ubicumque* (inquit) *vel in aere volitant, vel in terris, aut ſub terris vagantur, ſive detinentur, ſuarum ſecum ferunt ſemper tormenta flammarum; inſtar febricitantis, qui etſi in lectis eburneis, etſi in locis ponatur apricis, fervorem tamen, vel frigus inſiti ſibi languoris evitare non poteſt. Sic ergo Dæmones, etſi in Templis colantur auratis; etſi per aera ſua diſcurrant, igne ſemper ardent gehennali: & ex ipſa ſua pœna commoniti, deceptis quoque hominibus fomitem vitiorum, unde & ipſi pereant, invidendo ſuggerunt.* = Quæ reſponſio, ſi intendat, Dæmones ſemper ſecum ferre pœnam ſuam internam, nempè apprehenſionem, & dolorem de ſua alligatione, ut ſtatim dicemus, nobis probatur. Si verò intendat, ſecum ſemper ferre etiam cauſam extrinſecam, nempè ignem realem, & phyſicum, probari ſine ſcrupulo non poteſt; quia videtur multiplicare miracula ſine gravi fundamento. Eſſet enim miraculum, quòd ignis ille coram oculis noſtris poſitus non videretur. Miraculum, quòd exiſtens propè hominem, eum, vel non combureret, vel ſaltem non calefaceret. Miraculum denique, quòd Dæmon ſecum deferens ignem, intraret cubiculum clauſum.

XIII. Neque dicas, miraculum quoque eſſe, quòd Dæmones torqueantur, alligentur, & detineantur ab igne in Inferno, quod tamen admittimus = Nam reſpondeo, ad hoc admittendum nos provocare Scripturas relatas ſuperiùs: quòd tamen Dæmones quòcumque vadant ſecum deferant corporeum ignem, & quòd loca, quò vadunt, non inflamment, quænam Scriptura dicit?

XIV. Reſpondeo ergo tertiò cum D. Thoma in 4. ſent. diſt. 44. q. 3. a. 3. quæſtiunc. 3. ad 8. *Quòd ſpiritus damnati nunquam ſunt extra infernum, niſi ex diſpenſatione divina, vel ad inſtructionem, vel ad exercitium Electorum. Ubicumque extra Infernum ſint, ſemper tamen vident ignem Inferni ut eis in pœnam præparatum; unde cùm iſta viſio ſit immediatè affligens, ut dictum eſt, ubicumque ſunt, ab igne Inferni affliguntur: ſicut & captivi etiam extra carcerem exiſtentes, quodammodo à carcere affliguntur, dùm vident ſe ad carcerem damnatos. Unde ſicut gloria Electorum in nullo minuitur, nec quantum ad præmium eſſentiale, neque quantum ad accidentale, ſi aliquando extra Cœlum Empyreum ſint, quod quodammodo in gloriam eorum cedit: ita etiam in nullo minuitur pœna damnatorum, ſi extra Infernum ex divina diſpenſatione ad tempus ponantur. Et hoc eſt quod dicit gloſſa ſuper illud Jacobi 3.* Inflammat Rotam nativitatis &c. *Diabolus ubicumque ſit, ſive ſub aere, ſive, ſub terra ſecum fert tormenta ſuarum flammarum. Objectio autem procedit, ac ſi ignis corporeus affligeret Spiritus immediatè, ſicut affligit corpora.* Hæc D. Th. quæ repetit 1. *p. qu.* 64. *a.* 4. *ad* 3. ut ſuperiùs de Loco Angelorum obſervavimus.

§. III.

An ignis alliget Dæmones, phyſicè aliquid in eis producendo.

XV. **A**B hoc quæſito libentiùs me expedirem cum S. Auguſtino *l.* 21. *de Civitate Dei c.* 10. dicendo: Dæmones affligi quamvis *veris*, tamen *miris, & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.* Etenim Dæmones, ac damnatos Spiritus igni corporeo conjungi, ab eo detineri, alligari, torqueri, omnes fatentur, ut vidimus: at modus, quo fiat iſta detentio, & alligatio; an phyſicè, an objectivè, & intentionaliter; an aliquam qualitatem intrinſecè in eis imprimendo; an ſolùm extrinſecè eos ligando, ſicut funes ligant progreſſivam potentiam animalis, omnes quærunt: ſed vix ullum gloriari poſſe veritatem certò ſe inveniſſe crediderim.

XVI.

Digitized by Google

XVI. Noſtrates communiter, & alii Exteri, opinantur, ignem Inferni torquere Dæmones, & alios damnatos ſpiritus, producendo in eis aliquid phyſicum, & hoc tanquam inſtrumentum divinæ Juſtitiæ punientis, ad eum modum, quo aqua Baptiſmi, ut inſtrumentum divinæ Miſericordiæ producit gratiam ſanctificantem in anima: hoc autem phyſicum eſſe aliquam qualitatem, vel ſubſtantiam Dæmonis detinentem, vel ejus potentias alligantem; ideòque eam vel in ſubſtantia Dæmonis, vel in ejus potentiis executivis, vel in utriſque velut in ſubjecto collocant.

XVII. Iſtis lubens acquieſcerem, niſi à mente D. Thomæ eos recedere vehementer ſuſpicarer. Nam S. Doctor *in 4. Sent. diſt. 44. q. 3. a. 3. quaſtiunc. 3.* ſepè citatâ, *& in Supplemento 3. partis q. 70. a. 3.* ubi rem hanc ex profeſſo agitat, nunquam vel leviter indicat, ex igne tartareo aliquid intrinſecum, etiam inſtrumentaliter, in Spiritus derivari. Imò ibi reſpondens ad quartum argumentum, quod tale erat: *omne quod patitur recipit aliquid ab agente; ſi ergo anima patiatur ab igne corporeo, aliquid ab eo recipiet*, ſcilicet vel materiale, vel ſpirituale, dicit: *Ad quartum dicendum, quòd ignis in animam non agit per modum influentis, ſed per modum detinentis... & ideò ratio non eſt ad propoſitum.* Eſſet autem ad propoſitum, ſi anima ab igne corporeo aliquid intrinſecum reciperet. Et reſpondens *ad ſeptimum*, quo probabatur, omne agens corporeum agere per contactum; nullum autem contactum eſſe poſſe inter corpus, & Spiritum, dicit: inter corpus, & Spiritum poſſe eſſe aliquem contactum ſpiritualem, *per modum quo dicitur contriſtans tangere.*

Cenſeo igitur, mentem D. Thomæ (cui ſubſcribo) eſſe, Dæmones, & Spiritus damnatos ab igne tartareo torqueri, non tanquam ab agente aliquid phyſicum adhuc inſtrumentaliter in eos producendo, ſed tanquam ab objecto noxio, cujus continuâ viſione cruciantur. In quo D. Thomam cum Scoto convenire exiſtimo.

XVIII. Prior hujus aſſerti pars, præter mox dicta, probatur ex iis, quæ in corpore citatæ *quæſtiunculæ* 3. habet S. Tho. & ſuperius §. 1. recitavimus. Ibi enim referens opinionem dicentium, ignem agere in Spiritus, ut inſtrumentum divinæ Juſtitiæ, *per modum quo de Sacramentis dictum eſt D. ſt. 1. quòd animam ſanctificant:* eam non probat: *quia omne inſtrumentum in id circa quod operatur habet propriam actionem ſibi connaturalem ... ſicut aqua lavando corpus in Baptiſmo ſanctificat animam.* Unde oporteret, quòd ignis haberet aliquam actionem connaturalem, quâ ageret in Spiritum, quam exercendo elevaretur ut inſtrumentum ad eum torquendum.

XIX. Secunda verò pars probatur verbis ejuſdem loco citato, ubi ſuam ſententiam exponens ait: *Et ſic anima ignem ut noxium ſibi videns, ab igne cruciatur.* Et ad *octavum argumentum*, quod probabat, ignem Inferni non poſſe agere in Spiritus, quandoque in aere, aut aliis locis diſtantibus, aliàs deberet agere in locis mediis; reſpondet, ut ſuperiùs vidimus: quòd Spiritus, vel Dæmones *ubicumque extra Infernum ſint, ſemper tamen vident ignem Inferni, ut eis in pœnam præparatum. Unde cùm iſta viſio ſit immediatè affligens ... ubicumque ſunt ab igne Inferni affliguntur.* Et ponit exemplum in captivis, qui *etiam extra carcerem exſtentes à carcere quodammodo affliguntur, dùm vident ſe ad carcerem damnatos*, & in Beatis, quorum gloria non minuitur, ſi aliquando extra Cœlum Empyreum ſint. Et in reſponſione ad primum diſtinguit in damnatis Spiritibus duplex affligens, unum proximum, aliud remotum, & concludit: *ignis ergo apprehenſus eſt proximum affligens; ſed ignis corporeus extra animam exiſtens eſt affligens remotum.* Quibus manifeſtè patet, S. Doctorem velle, alligationem ad ignem, ut à Dæmone apprehenſam, ſeu ignem appre-

apprehenſum, ut alligativum potentiarum Dæmonis, eſſe proximum ejus affligens, non autem aliquam impreſſionem, ſeu formam factam, & derivatam ab igne in potentiis ejus.

XX. Formo igitur hanc rationem. De maxima pœna naturæ intellectualis proportionaliter loquendum eſt, ac de ejuſdem maximo præmio, ſeu ultima beatitudine: ſed in apprehenſione, ac viſione objecti beatificantis conſiſtit naturæ intellectualis præmium, ac ultima beatitudo; ita ut objectum beatificum ſit ejus beatitudo objectiva, & quaſi remota: ipſum autem, ut apprehenſum ſit ipſa formalis, & proxima beatitudo, unde ex ſummo, ac beatifico bono oriatur ſumma in ea fruitio, & gaudium; ergo ſimiliter ultimum, ac ſummum naturæ intellectualis ſupplicium conſiſtet in apprehenſione, ac viſione mali ſummè ei contrarii, & noxii; ita ut ipſum malum noxium extra poſitum ſit affligens objectivum, ac remotum: ipſum verò ut apprehenſum, ſit ipſum formale, & proximum affligens, & ex tali apprehenſione oriatur in eadem ſummus dolor, cruciatus, ac infelicitas.

XXI. Confirmo hoc. Ex conjunctione intellectuali, & poſſeſſione objecti beantis cauſatur in Angelo ſancto ejus fruitio, & gaudium; ergo ex conjunctione intellectuali cum malo ſummè diſconvenienti, & noxio, quâ vident, ſe ab illo teneri, ac poſſideri, cauſabitur in Angelo damnato afflictio, cruciatus, & pœna. Quamvis enim intelligibile, quatenùs tale, perfectio intellectus ſit, ingeratque delectationem: *viſio* tamen *intellectualis poteſt eſſe contriſtans, in quantùm id, quod videtur, apprehenditur ut nocivum; non quaſi noceat eo ipſo quod videtur, ſed alio quocumque modo. Et ſic anima videndo ignem affligitur.* Ita D. Tho. ſepè citatus *ad* 5.

XXII. Sed dices. Ut Dæmon verâ, & non falsâ apprehenſione concipiat, ſe teneri ab igne, oportet ut reverà ab igne teneatur, & ligetur: at quomodo tenebitur, ſi ignis nihil intrinſecum in eo producit?

Reſpondeo, hoc facile percipi poſſe, ſi conſideretur, Dæmon detineri ab igne præcisè formaliter, eo proportionali modo, quo captivus detinetur à carcere, & ligatus tenetur à vinculis, non verò effectivè: ſic enim detinetur à Deo, ejuſque imperio potentiæ ejus operativæ effectivè ligantur, ne extra ignem poſſit ſe movere, & operari: ignis autem ſolùm ex Dei imperio illum detinet, & alligat. Alligatio autem & detentio in loco adeò vili à Dæmone apprehenſa facit, eum ſummè triſtari, & odiſſe non ſolùm detentionem activam Dei, & ſuam paſſivam à Deo, ſed etiam & multò magis detentionem formalem perpetuam ab illo igne. Hæc dixi, judicans, me loqui ſecundùm S. Thomæ mentem. Si quis aliter ſenſerit, alios Thomiſtas adeat, & cum illis loquatur.

DUBIUM V.

An Dæmonum pœna futura ſit æterna?

§. I.

Quædam prænotata.

I. DÆmonum, ac cæterorum Damnatorum pœnas non fore perpetuas, ſed finem aliquando habituras eſſe, palmaris error Origenis fuit. Is enim æquè in Chriſtum impius, ac Dæmonibus favorabilis, teſte Theophilo Alexandrino *lib.* 2. *Paſchali* (apud D. Hieron. *Tom.* 4. *edit. Maurinæ*) dixit, Chriſti Regnum non futurum æternum, ac Dæmones ad culmen, unde ceciderant, aliquando aſcenſuros. Idem teſtatur S. Hieronymus *Epiſt.* 59. modò 94. *ad Avitum*, ubi Origenis latè deſcribit errores, inter quos recenſet Origenis ſiſtema fuiſſe, quòd qui modò homines ſunt, poſ-

poſſunt in alio mundo Dæmones fieri; Ipſoſque Dæmones, ſi voluerint ad meliora converti, fieri homines. *Ita dumtaxat, per ſupplicia, atque tormenta, quæ multo, vel brevi tempore ſuſtinuerint, in hominum eruditi corporibus, rursùm veniant ad Angelorum faſtigia.* Hunc eundem Origenis errorem refert S. Auguſtinus *l. de Hæreſibus c.* 43. & impugnat *lib.* 21. *de Civit. Dei c.* 17. & 23. & *lib. contra Priſcillianiſtas, & Origeniſtas ad Oroſium c.* 6. 7. *&c.* Tandemque anathemate confixit V. Synodus Generalis, nempe Conſtantinopolitana II. anno 545 *Anathematiſmo* 9. his verbis: *Si quis dicit, aut ſentit, ad tempus eſſe Dæmonum, & impiorum hominum ſupplicium, ejuſque finem aliquando futurum: ſive reſtitutionem, & redintegrationem fore Dæmonum, aut impiorum hominum: anathema ſit.*

II. Hunc errorem tribuit Armenis Prateolus ex Guidone Carmelita, quòd dicerent, Inferni pœnam non eſſe perpetuam, & Chriſtum; cùm ad Inferos deſcendit, omnes animas inde eduxiſſe. Eruperunt autem hi hæretici ſeculo ſeptimo, circa ann. 640. Conſtantino III. Heraclii filio imperante, ac Theodoro Petri ſedem tenente. Eum quoque (referente Ivenin *Inſtit. Theolog. p.* 3. *diſſert.* 1. *De Angelis qu.* 6. *c.* 4.) Sociniani hiſce poſtremis temporibus amplexi ſunt; impiè arbitrantes, æquum non fore Dei judicium, ſi creaturas ob unum, vel cogitationis peccatum lethale, æternis ſuppliciis addixerit.

III. Quòd ſi Studioſus pro ſua eruditione quærat, quis fuerit Origenes totiès à Theologis in judicium vocatus, quibuſdam eum ex toto damnantibus, quibuſdam eum ex parte ſaltem excuſantibus.

IV. Dicam breviter. Origenes (ob indefeſſum ac infractum in ſtudiis religionis causâ laborem *Adamantius* dictus) Alexandriæ natus eſt anno 186. Patre Leonidâ viro Chriſtianæ fidei cultore, pro qua martyrium ſuſtulit. Hujus curâ omnigenam ſacrarum Scripturarum cognitionem à teneris annis edoctus fuit. Tali pro fide accenſus ardore, ut pro ea vitam prodigere parentis ſui exemplo non ſemel exoptarit. Caſtitatis cuſtos adeò tenax, ut timens, ne ex mulierum ad ſe confluentium diſciplinæ causâ, converſatione, aliquod ei periculum immineret, ſe ſe eviraverit. In ſtudiis indefeſſus longævam conſumſit ætatem ſemper ſcribens; adeò ut ſena librorum millia edidiſſe feratur (librorum tamen nomine Homilias intelligendas eſſe crediderim) Græci, atque Hebraici ſermonis peritus Translationes Sacræ Scripturæ, quæcumque extarent collegit; eam nimirùm, quam ſeptuaginta Interpretes ante Chriſtum ediderant; deinde eorum, qui poſt Chriſtum natum, ſcilicet Aquilæ Judæi, qui eam grecè verterat, aliam Symmachi, aliam Theodotionis, aliam denique innominati, atque incerti Auctoris. Has diſtinxit per *Tetrapla*, *Hexapla*, & *Octapla*. Tetrapla vocavit editionem Scripturæ quatuor columnis per ſingulas paginas diſtinctam. Prima exhibebat verſionem lxx. Interpretum. Altera translationem Aquilæ. Tertia Symmachi. Quarta Theodotionis. Hexapla continebant ſex columnas in ſingulis paginis. Quarum prima exprimebat textum Hebraicum hebraicè ſcriptum. Secunda eundem textum, ſed græco charactere exaratum. Tertia Verſionem Aquilæ. Quarta Symmachi. Quinta lxx. Interpretum. Sexta Theodotionis. Octapla complectebantur octo columnas, claudentes ſex præfatas verſiones, & ulteriùs duas alias ab Hebræis, ſeu (ut putat Hieronymus) piis hominibus elaboratas. Hiſce tùm pietatis, tùm doctrinæ monumentis celebre ſuum nomen poſteris reliquiſſet; ni ingenio plùs æquo indulgens, volenſque plùs ſapere, quàm oportet ſapere, ſenium ſuum multis erroribus contaminaſſet, quos Veteres recenſuerunt, & Eccleſia condemnavit: inter quos ille eſt, quem

Digitized by Google

modò impugnandum ſuſcipimus. Multi contra ipſum, pro ipſo alii apologias ediderunt, quod diſcutere noſtrum non eſt. Satis enim extra campum ſeminavimus.

§. II.

Catholica veritas.

V. Dico. Dæmonum, aliorumque Damnatorum pœna finem nunquam eſt habitura, ſed in æternum duratura. Hoc nimis clarè expreſſit Chriſtus, cùm Matth. 25. *v.* 41. pœnam Reprobis in extremo Judicio à ſe infligendam prænuncians: *Diſcedite* (inquit) *à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus.*

VI. Reſpondebant Origeniſtæ (referente Oroſio ad S. Auguſt.) Æternum non eſſe idem, ac perpetuum; ſed exprimere diuturnam ſeculorum ſucceſſionem, juxta illud Pſalm. 9. v.6. *In æternum, & in ſeculum ſeculi.* Ex quo inferebant, *exuſtâ in totum malitiâ, Diaboli aliquando ſalvandam eſſe ſubſtantiam.*

VII. Reſpondebant ſecundò: ignem quidem ſuturum æternum, non tamen ſuturam æternam combuſtionem, & pœnam.

VIII. Sed contra primum. S. Auguſt. Oroſio reſpondens *lib. contra Priſcillianiſtas, & Origeniſtas c.* 5. *&* 6. Obſervat primò, quòd verbo latino *in ignem æternum* græcè reſpondet, non *æona*, ſed *æonion*: eſto autem *æona* aliquando ſignificet ſeculum; *æonion* tamen non dicitur niſi æternum, quod finem non eſt habiturum. Obſervat ſecundò, quòd ſicut ibi dicitur, Reprobos ituros in ignem æternum; ita Electi dicuntur ituri in vitam æternam v. 46. *Et ibunt hi in ſupplicium æternum* (vel ut habet verſio Auguſtini: *in combuſtionem æternam*) *Juſti autem in vitam æternam*, & in utroque Græcus habet *æonion*: ſed *æternum* dictum de vita Juſtorum ſumitur pro eo, quod finem nunquam eſt habiturum; cur ergo non etiam dictum de pœna impiorum? *In utroque* (inquit Auguſt.) *Græcus* æonion *habet. Si miſericordia nos provocat credere, non futurum impiorum ſine fine ſupplicium: quid de præmio Juſtorum dicturi ſumus, cùm in utraque parte, eodem loco, eâdem ſententiâ, eodem verbo pronuncietur æternitas? An iterum etiam Juſtos ex illa ſanctificatione, & vita æterna in peccatorum immunditiam, atque in mortem relapſuros eſſe dicemus? Abſit hoc à Chriſtianæ fidei ſanitate.* Deinde pergit, dicens: *quid de illis Prophetæ verbis reſponſuri ſumus, ubi ſcriptum eſt* (Iſaiæ 66. v. 24.) Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur? *Qualiſcumque pœna ſignificata ſit nomine vermis, atque ignis, certè ſi non morietur, nec extinguetur, ſine fine prædicta eſt: nec aliud agebat Propheta, cùm hoc diceret, niſi ut eam ſine fine prædiceret.*

IX. Contra ſecundùm eodem modo inſtatur. Nam eodem modo Chriſtus loquitur de Electis, ac de Reprobis: ſed non ſolùm Regnum Cœlorum dicitur æternum, ſeu finem non habiturum, ſed etiam gloria eorum, ac beatitudo dicitur æterna, & finem non habitura; ita ut Electi numquam reverſuri ſint ad miſeriam, aliàs non eſſent perfectè beati, ſi poſſent iterum eſſe miſeri; ergo non ſolum Inferni ignis erit æternus, ſed etiam combuſtio, & ſupplicium Reproborum erit æternum, & finem non habiturum. Quare huic reſponſioni præcluſit viam Chriſtus ipſe *v.* 46. dum ait: *Ibunt hi in ſupplicium* (vel combuſtionem) *æternum; Juſti autem in vitam æternam.* Non ait: *ignem æternum*, ſed *combuſtionem*, vel *ſupplicium æternum*, ut ſignificaret, non ſolùm ignem tartareum finem non habiturum, ſed nec pœnam, ac ſupplicium eorum, qui tali igni traditi ſunt. Audiendus eſt S. Aguſt. lib. de Fide, & Operibus c. 15. *neque* (inquit) *dici hic poterit, in quo nonnulli ſeipſos ſeducunt dicentes, ignem æternum*

dictum,

Digitized by Google

dictum, non ipſam pœnam æternam: per ignem quippe, qui æternus erit, tranſituros arbitrantur eos, quibus propter fidem mortuam per ignem promittunt ſalutem; ut videlicet ipſe ignis æternus ſit, combuſtio verò eorum, hoc eſt operatio ignis, non ſit in eos æterna: cùm & hoc prævidens Dominus, tanquam Dominus, ſententiam ſuam ità concluſerit, dicens: ſic ibunt illi in combuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam. *Erit ergo ęterna combuſtio, ſicut ignis.* Idem docet in Enchiridio c. 112.

X. Eodem modo prefatum Chriſti dictum interpretantur alii Patres. S. Hieronymus in *c.* 25. Matth. ſuper verba pręfata: *Prudens* (inquit) *Lector adverte, quod & ſupplicia æterna ſint, & vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum.* S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum c. 43. *Firmiſſimè* (inquit) *tene, & nullatenus dubites...* quòd *ex ejus ore juſti, æternique judicii ſempiternâ, atque incommutabili prolatâ ſententiâ, iniqui omnes* ibunt in combuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam: *iniqui ſemper arſuri cum Diabolo: Juſti autem regnaturi ſine fine cum Chriſto.*

XI. Sed præ cæteris audire præſtat S. Gregorium *lib.* 34. *Moral. c.* 16. modò 19. ubi quorumdam ſibi adulantium, Inferorum pœnas aliquando finem habituras, rationes affert, & evertit, ita: *ſunt enim* (inquit) *nunc etiam, qui idcircò peccatis ſuis ponere finem negligunt, quia habere quandoque finem futura ſuper ſe judicia ſuſpicantur. Quibus breviter reſpondemus: ſi quandoque finienda ſunt ſupplicia Reproborum. quandoque finienda ſunt ergo & gaudia Beatorum. Per ſemetipſam namque veritas dicit:* Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. *Si igitur hoc verum non eſt, quod minatus eſt, neque illud verum eſt quod promiſit.*

At inquiunt: ideò æternam pœnam peccantibus minatus eſt, ut eos à peccatorum perpetratione compeſceret; quia creatura ſua æterna ſupplicia minari debuit, non inferre.

Quibus citiùs reſpondemus: ſi falſa minatus eſt, ut ab injuſtitia corrigeret, etiam falſa pollicitus eſt, ut ad juſtitiam provocaret. Et quis hanc eorum veſaniam toleret, qui dùm promiſſionibus ſuis Reproborum ſupplicia finiri aſſerunt, aſſertione ſuâ etiam Electorum præmia, remunerationeſque confundunt? Quis hanc eorum veſaniam toleret, qui conantur adſtruere, verum non eſſe, quod veritas de æterno igne minata eſt; & dùm ſatagunt Deum perhibere miſericordem, non verentur prædicare fallacem?

XII. *At inquiunt: ſine fine puniri non debet culpa cum fine. Juſtus nimirum eſt Omnipotens Deus, & quod non ęterno peccato commiſſum eſt, æterno non debet puniri tormento.*

Quibus citiùs reſpondemus, quòd rectè dicerent, ſi Judex juſtus, diſtrictuſque veniens, non corda hominum, ſed facta penſaret. Iniqui enim ideò cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt; voluiſſent quippe ſine fine vivere, ut ſine fine potuiſſent in iniquitatibus permanere.... Ad diſtricti ergo Judicis juſtitiam pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato. Quibus S. Gregorius prævenit objectionem palmarem, quâ ſe tuebantur Origeniſtæ, & moderni Sociniani ſe defendunt.

XIII. Dicunt enim. Non videtur juſtum, ut pro peccatis quamtumlibet magnis, parvo tamen tempore perpetratis, pœnâ homo, vel Angelus damnetur æternâ, gravitas enim ſupplicii peccatorum gravitati reſpondere debet: ſed peccatum temporaneum fuit, imò aliquando momentaneum, ut in Angelo; ergo non debet eſſe perpetua illius pœna.

XIV. Cui argumento reſpondit Sanctus Gregorius, quòd peccatum eſto parùm duraverit facto, duravit tamen, & durat ſemper animo, & corde; ut patet in iis, qui affectum ad peccatum non deponentes, ſtatum viæ clauſerunt: in iſtis enim ſicut voluntas peccandi perpetua eſt, ità pœna debet eſſe perpetua. Hinc D. Thomas

in 3.

in 3. Contrag. c. 144. ait: *Apud divinum judicium voluntas pro facto computatur: quia ſicut homines vident ea, quæ exteriùs aguntur, ità Deus inſpicit hominum corda: qui autem propter aliquod temporale bonum averſus eſt ab ultimo fine, qui in æternum poſſidetur, prapoſuit fruitionem temporalem illius boni temporalis æternæ fruitioni ultimi finis. Unde patet, quòd multò magis voluiſſet in æternum illo bono temporali frui; ergo ſecundùm divinum judicium ità puniri debet, ac ſi æternaliter peccaſſet. Nulli autem dubium eſt, quin pro æterno peccato æterna pœna debeatur.* Quæ D. Thomæ doctrina mirè explicat reſponſionem S. Gregorii.

XV. Negari etiam poteſt maj. Quantitas enim pœnæ non debet reſpondere durationi actus peccati, ſed ejus gravitati. Homicidium enim, conjuratio contra Regem, parùm durat; & tamen punitur pœnâ mortis: omniaque crimina parvo tempore patrantur, quorum tamen aliqua, pœna perpetuâ in hac vita vel exilii, vel carceris, vel triremium lege humana, & divina puniuntur. Pœna ergo gravitati culpæ reſpondere debet: & hæc maximè ſumitur ex Perſona, contra quam peccatur, quæ eſt Deus; qui cùm ſit majeſtate infinitus, exigit, ut peccatum contra ipſum pœnâ infinitâ poſſibili puniatur, & proinde pœnâ infinitâ ſaltem duratione.

XVI. Rurſus: *Naturalis æquitas* (inquit S. Thomas citato loco) *hoc habere videtur, quòd unuſquiſque privetur bono, contra quod agit. Ex hoc enim reddit ſe tali bono indignum: & inde eſt, quòd ſecundùm Civilem juſtitiam, qui contra Rempublicam peccat, ſocietate Reipublicæ privatur omnino, vel per mortem, vel per exilium perpetuum: nec attenditur quanta fuerit mora temporis in peccando: ſed quid ſit contra quod peccavit. Eadem autem eſt comparatio totius vitæ præſentis ad Rempublicam terrenam, & totius æternitatis ad ſocietatem Beatorum, qui, ut ſupra oſtenſum eſt, ultimo fine æternaliter potiuntur. Qui ergo contra ultimum finem peccat, & contra Caritatem, per quam eſt ſocietas Beatorum, & tendentium in beatitudinem, in æternum debet puniri, quamvis aliqua brevi temporis morâ peccaverit.* Hæc S. Thomas.

XVII. Hanc Doctrinam ſumſit Angelicus ex ſuo Magiſtro Auguſtino *lib. 21. de Civit. Dei c. 11.* ubi quærens, an ſint extenſiora pœnarum tempora, quàm fuerint peccatorum; relatis ex Tullio octo generibus pœnarum, nempè damno, vinculis, verberibus, talione, ignominiâ, exilio, morte & ſervitute, ait: *Quid horum eſt, quod in breve tempus pro cujuſque peccati celeritate coarctetur, ut tantâ vindicetur morula, quantâ deprehenditur perpetratum, niſi fortè talio? Id enim agit, ut hoc patiatur quiſque, quod fecit. Unde illud eſt Legis* (*Exod.* 21. 24.) Oculum pro oculo, dentem pro dente. *Fieri enim poteſt, ut tam brevi tempore quiſque amittat oculum ſeveritate vindictæ, quàm tulit ipſe alteri improbitate peccati. Porrò autem ſi alienæ fœminæ oſculum infixum rationis ſit verbere vindicare; nonnè qui illud puncto temporis fecerit, incomparabili horarum ſpatio verberatur, & ſuavitas voluptatis exiguæ diuturno dolore punitur? Quid in vinculis? Nunquid tamdiu quiſque judicandus eſt eſſe debere, quamdiu fecit, unde meruit alligari; cùm juſtiſſimè annoſas pœnas ſervus in compedibus pendat, qui verbo, aut ictu celerrimè tranſeunte vel laceſſivit Dominum, vel plagavit? Jam verò damnum, ignominia, exilium, ſervitus, cùm plerumque ſic infliguntur, ut nullâ veniâ relaxentur; nonnè pro hujus vitæ modo ſimilia pœnis videntur æternis? Ideò quippe æterna eſſe non poſſunt, quia nec ipſa vita, quæ his plectitur, porrigitur in æternum: & tamen peccata, quæ vindicantur longiſſimi temporis pœnis, breviſſimo tempore perpetrantur. Nec quiſquam exiſtit, qui cenſeret, tàm citò nocentium finienda eſſe tormenta, quàm citò factum eſt, vel homicidium, vel adulterium, vel ſacrilegium, vel quodlibet aliud ſcelus,*

non

Digitized by Google

non temporis longitudine, ſed iniquitatis & impietatis magnitudine metiendum. Qui verò pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, nunquid morâ, quâ occiditur, qua perbrevis eſt, ejus ſupplicium Leges æſtimant, & non quòd eum in ſempiternum auferunt de ſocietate viventium?

Quod eſt autem de iſta Civitate mortali homines ſupplicio prima mortis, hoc de Civitate illa immortali homines ſupplicio ſecunda mortis auferre. Sicut enim non efficiunt Leges hujus Civitatis, ut in eam quiſque revocetur occiſus; ſic nec illius, ut in vitam revocetur æternam, ſecundâ morte damnatus.

XVIII. Quia verò opponebant illud Chriſti (Lucæ 6. 38.) *In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis.*

Reſpondet: *Nec adtendunt, non propter æquale temporis ſpatium, ſed propter viciſſitudinem mali, ideſt, ut qui mala fecerit, mala patiatur, eandem dictam fuiſſe menſuram. Quamvis hoc in ea re propriè poſſit accipi, de qua Dominus, cùm hoc diceret, loquebatur, ideſt, de Judiciis, & condemnationibus. Proinde, qui judicat, & condemnat injuſtè, ſi judicatur, & condemnatur juſtè, in eadem menſura recipit, quamvis non hoc, quod dedit. Judicio enim fecit, judicio patitur: quamvis fecerit damnatione quod iniquum eſt, patiatur damnatione quod juſtum eſt.* Acutè de more Auguſtinus.

Rationes generales pro æternitate pœnarum ſive Dæmonum, ſive omnium Damnatorum tam Infidelium, quàm Chriſtianorum, & quod pro eis nulla unquam futura ſit miſericordia; ſicut & argumenta in contrarium, Candidato meo percurrenda relinquo apud D. Thomam in 4. *diſt.* 46. Q. 1. *a.* 3. & Q. 2. *a.* 3. Nec non in *Supplem.* 3. *p. q.* 99. per totam, ubi hanc materiam fusè proſequitur.

*** ✠ ***

QUÆSTIO X.

De Illuminatione, & Locutione Angelorum.

QUamvis S. Thomas rem hanc diſtulerit ad quæſtionem 106. & 107. hujus Primæ partis; quia tamen ad perfectam naturæ & conditionis Angelorum (maximè comparatè ad invicem) notitiam, valdè utilem judico; ideò eam præſenti Tractatui velut coronidem annectere operæ pretium duxi. Horum tamen, quæ hìc dicentur multa referenda, & conferenda erunt cum eis, quæ de cognitione Angelorum ſuperiùs dicta ſunt.

DUBIUM I.

An unus Angelus alium illuminet, & quomodo?

§. I.

Reſolutio prima partis.

I. ILluminationis nomine nil aliud intelligimus, quàm veritatis manifeſtationem. Nam ſicut in corporalibus lumen illuminare dicitur, quia manifeſtat oculo colores; ſic (ait S. Tho. hâc 1 p. q. 106. a. 1.) *lumen, ſecundùm quòd ad intellectum pertinet, nihil eſt aliud, quàm quædam manifeſtatio veritatis, ſecundùm illud ad Epheſ.* 5. omne quod manifeſtatur lumen eſt. *Unde illuminare nihil aliud eſt, quam manifeſtationem agnitæ veritatis alteri tradere, ſecundùm quem modum Apoſtolus dicit ad Epheſ.* 3. Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſeculis in Deo.

II. Dico ergo. Unus Angelus illuminat alium, inquantùm ei manifeſtat veritatem, quam ipſe cognoſcit. Ita D. Tho. loco laudato. Porrò, cùm

ma-

manifeſtare veritatem contingat dupliciter; vel purâ, & nudâ veritatis oſtenſione; vel cum artificio, magiſterio, & doctrina, ſicut magiſter diſcipulo manifeſtat veritatem, eam dividendo, diſponendo, & ad diſcipuli captum temperando: ad hunc poſteriorem modum pertinet propriè illuminatio, de qua agimus, cùm ad priorem potiùs ſpectet ſimplex locutio, de qua infra.

III. Veritas hæc inſinuatur à Scriptura, quæ *Pſalm.* 23. introducit quoſdam Angelos admirantes triumphum Chriſti, & quærentes edoceri, dicendo ſemel ac iterùm: *quis eſt iſte Rex gloriæ*; & alios ipſos inſtruentes, dicendo: *Dominus fortis, & potens, dominus potens in prælio... Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.* Verba autem hæc eſſe Angelorum edoceri cupientium, & Angelorum manifeſtando reſpondentium, tradidit Dionyſ. *c.* 7. *de cœleſti Hierarch.* dicens: *Hoc Theologi perſpicuè declarant, ut inferiores quidem Cœleſtium eſſentiarum Ordines, à Superioribus divinorum operum ſcientiam convenienti modo percipiant. Hi verò, qui omnibus antecellunt, ab ipſamet Deitate ſumma, uti fas eſt, ſacris diſciplinis illuſtrantur. Quoſdam enim eorum introducunt à Superioribus ſacroſanctè eruditos, illum eſſe Dominum cœleſtium Virtutum, Regemque gloriæ, qui humanâ ſpecie aſſumtus eſt in Cœlum.* Quibus, ex mente Dionyſii apparet, ſupremos Angelos edoceri, & illuminari immediatè à Deo, medios à Supremis, & inferiores à mediis. Nam c. 4. *Hæc* (inquit) *lex à Deo ſancita eſt, ut in unaquaque Hierarchia, & primi ſint, & medii, & poſtremi ordines; inferiorumque ſuperiores Doctores ſint, eiſque quaſi digito viam monſtrent.* Cap. 7. dicit, Cherubim communicare cum ſecundis, *ſapientia, quæ conceſſa eſt, effuſione.* Et c. 8. *Hoc* (inquit) *in Univerſum divinâ præſcriptione, ac lege pro Dei dignitate ſancitum eſt, ea, quæ ſecunda ſunt, primorum procuratione participare divinis illuſtrationibus.*

IV. Hæc certè non de ſola mediatione conſequentiæ, ut putat Durandus, ſed mediatione cauſalitatis intelligenda ſunt. Si enim ſuperiores Angeli inferiorum Doctores ſunt, ſi eis quaſi digito viam monſtrant, & hoc ſapientiæ eis conceſſæ effuſione, & eorum procuratione divinas illuſtrationes participant; his indicatur Deum non ſolùm priùs illuminare ſuperiores tanquam digniores, deinde inferiores; quæ eſt pura mediatio conſequentiæ, & ordinis: ſed Deum immediatè ſe ſolo illuminare ſupremos, inferiores verò mediis ſuperioribus, mediatione cauſalitatis, nimirùm docentibus, viam monſtrantibus, ſapientiam effundentibus &c.

Quapropter Damaſc. l. 2. *de fide c.* 3. ait: *Alii alios illuſtrant, ob ordinis, vel naturæ præſtantiam. Liquet autem, eos, qui ſublimiores ſunt, inferioribus lumen ac ſcientiam affundere.* Et S. Bernardus lib. 5. de Conſiderat. c. 4. *Putemus* (inquit) *Cherubim ex ipſo ſapientiæ fonte ore Altiſſimi haurientes, & refundentes fluenta ſcientiæ univerſis Civibus ſuis.*

V. Accedit quoque ratio. Nam cùm Angeli ſint purè intellectuales, & in perfectione intellectualitatis inæquales, unus ſubtiliùs alio, altiùſque intelligat; poterit altiores illas ac ſubtiliores intelligentias aliis inferioribus manifeſtare, & conſequenter eos de illis illuminare. Ut enim docet D. Th. hâc 1. p. q. 106. a. 4. *Omnes creaturæ ex divina bonitate participant, ut bonum, quod habent, in alia diffundant. Nam de ratione boni eſt, quòd ſe aliis communicet. Et inde eſt etiam, quòd agentia corporalia ſimilitudinem ſuam aliis tradunt, quantum poſſibile eſt. Quantò igitur aliqua agentia magis in participatione divinæ bonitatis conſtituuntur; tantò magis perfectiones ſuas nituntur in alios transfundere, quantum poſſibile eſt. Unde B. Petrus monet eos, qui divinam bonitatem per gratiam participant, dicens 1. Petri 4.* Unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpen-

penetratores multiformis gratiæ Dei. *Multò igitur magis ſancti Angeli, qui ſunt in pleniſſima participatione divinę bonitatis, quidquid à Deo percipiunt, ſubjectis impartiuntur*. Et ſubdit: *non tamen recipitur ab inferioribus ità excellenter, ſicut eſt in Superioribus. Et ideò Superiores ſemper remanent in altiori ordine, & perfectiorem ſcientiam habent. Sicut unam, & eandem rem pleniùs intelligit Magiſter, quàm Diſcipulus, qui ab eo addiſcit*.

VI. Ne tamen quis putet, hanc inferiorum à ſuperioribus illuminationem ab initio quidem fuiſſe, ſed poſtea ceſſaſſe, addit ibi ad 3. *Quòd uſque ad diem Judicii ſemper nova aliqua ſupremis Angelis revelantur divinitùs de his, quæ pertinent ad diſpoſitionem Mundi, & præcipuè ad ſalutem Electorum. Unde ſemper remanet, unde ſuperiores Angeli inferiores illuminent*. Poſt diem autem Judicii ceſſabit quidem illuminatio *quantum ad novam acquiſitionem ſcientię*, non autem *quantum ad cognitionis conſervationem*, ut docet S. Doct. 1. p. q. 108. a. 7. ad 2. *Licèt ergo poſt Judicium non proficiant inferiores Angeli in cognitione aliquarum rerum; non tamen propter hoc excluditur, quin à ſuperioribus illuminentur*. Similiter (ait ibi ad 3.) *etſi poſt diem Judicii homines non ſint ulteriùs ad ſalutem adducendi per miniſterium Angelorum; tamen illi, qui jam ſalutem erunt conſecuti, aliquam illuſtrationem habebunt per Angelorum officia*.

VII. Inter Dæmones autem propriè illuminatio non datur. Nam licèt unus alteri aliquam veritatem manifeſtet; quia tamen *unus alium non intendit ordinare ad Deum* (quod ad rationem propriæ illuminationis requiritur, quæ eſt manifeſtatio veritatis ſecundùm quòd habet ordinem ad Deum) *ſed magis ab ordine divino abducere; ideò unus Dęmon alium non illuminat: ſed unus alii ſuum conceptum per modum locutionis intimare poteſt*. Ita S. Doct. q. 109. a. 3. Eadem ratione, etſi Dæmones hominibus aliqua manifeſtent; eos tamen illuminare dici non poſſunt, ſed eis ſuum conceptum intimare per modum locutionis.

VIII. An verò Dæmones ab Angelis ſanctis propriè illuminari dicantur? reſpondet S. Doct. eadem q. 109. a. 4. ad 1. *Quòd per ſanctos Angelos multa de divinis myſteriis Dæmonibus revelantur, cùm divina juſtitia exigit, ut per Dæmones aliqua fiant, vel ad punitionem malorum, vel ad exercitationem bonorum. Sicut in rebus humanis aſſeſſores Judicii revelant tortoribus ejus ſententiam. Hujuſmodi autem revelationes, ſi ad Angelos revelantes comparentur, illuminationes ſunt; quia ordinant eas ad Deum: Ex parte verò Dęmonum non ſunt illuminationes; quia eas ad Deum non ordinant, ſed ad expletionem propriæ iniquitatis*.

IX. Circa quæ verò Angeli inferiores ſancti à ſuperioribus illuminentur, quærendum eſt.

Reſpondet D. Thom. 1. *p. q.* 106. *a.* 1. *ad* 2. quòd unus Angelus illuminat alium *manifeſtando ei veritatem de his, quæ pertinet ad ſtatum naturæ, & gratiæ, & glorię*. Et quidem quoad ea quæ pertinent ad ſtatum gratiæ, & gloriæ, certum omnibus eſſe debet. Nam circa ordinem gratiæ, conſtat ex dictis, Angelos inferiores multa à ſuperioribus fuiſſe edoctos de myſterio Incarnationis, maximè quoad circumſtantias; & edoceri in dies de his, quæ pertinent ad hominum ſalutem. Circa quoque ſtatum gloriæ, oſtendit S. Th. *a.* 1. *citato ad* 1. quod eſto omnes Angeli immediatè videant divinam eſſentiam, & ideò quantùm ad gloriam eſſentialem, unus ab alio non illuminetur; quantùm tamen ad gloriam accidentalem, cùm *ſuperior Angelus plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoſcat, quàm inferior, de his eum illuminat*. Quod aſſerit quoque in 1. *Sent. diſt.* 11. *q.* 1. *a.* 2.

X. Verùm difficultas eſt, quomodo poſſit Angelus inferior illuminari ab Angelo ſuperiori de his, quæ pertinent

nent ad ſtatum naturæ. Cùm enim quilibet Angelus omnia naturalia ab initio ſuæ conditionis comprehendat, ut ſuperiùs diximus, non videtur, quomodo de iis poſſit illuminari. Unde D. Thomas ipſe Qu. 9. *de Verit. a. 1. ad 9.* dicit, quòd *illuminatio, quâ unus Angelus aliùm illuminat non eſt de his, quę ad naturalem cognitionem Angelorum pertinent, quia ſic omnes à principio ſuę conditionis perfectam habuerunt naturalium cognitionem .... ſed eſt de his, quę revelantur Angelis eorum naturalem cognitionem exeedentibus.*

XI. Attamen obſervandum eſt, aliud eſſe Angelum illuminari de rebus naturalibus, quæ ex cauſis naturalibus dependent; aliud eſt illuminari de rebus pertinentibus ad ſtatum naturæ. Fatemur ergo, quemlibet Angelum ab initio ſuæ conditionis comprehendere res naturales, ſecundum quòd dependent à ſuis cauſis naturalibus, & neceſſariis; præſertim ſi ſint inferiores Angelo, & ad hoc Univerſum pertineant, & in his non illuminatur; in quo ſenſu loquitur S. Thom. Q. 9. *de Verit.* citatâ. At de his, quæ. etſi pertineant ad ſtatum naturæ, pendent tamen à cauſis contingentibus, vel aliquo ſpeciali Dei beneficio eveniunt, aut ab Angelis ſuperioribus adminiſtrantur, non habuit quilibet Angelus cognitionem comprehenſivam ab initio; & de his poteſt illuminari. Quare D. Thomas non dixit Angelum poſſe illuminari de rebus naturalibus, ſed *de rebus, quę pertinent ad ſtatum naturę.*

Addo: quòd, cùm (ut ſuperiùs diximus) inferiores Angeli non comprehendant ſuperiores, non proinde cògnoſcunt omnia ſibi ſuperiora etiam in ordine naturæ; nec oportet, ut de omnibus, quæ cum aliis Angelis connexionem habent, cognitionem diſtinctam, & in particulari quilibet eorum habeat. Igitur etiam de his quæ ſuperiora ſunt in ordine naturæ, & de quibus cognitionem habent ſolùm confuſam, poſſunt à ſuperioribus diſtinctè inſtrui, & conſequenter illuminari.

XII. Contra illuminationem Angelorum ſolet afferri textus *Apocal. 21. v. 23.* ubi de Civitate Cœleſti dicitur: *Civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus eſt Agnus* Et Jerem. 31. v. 34. *Et non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum,* ubi ſermo eſt de Beatis. Cum ergo Angeli ſint beati, non egent illuminari, & doceri ab alio, niſi à Deo.

XIII. Sed ad hæc reſpondit jam D. Thomas. Ad primum ex Apoc. reſpondit Q. 9. de Verit. a. 1. ad 13. *quod auctoritas illa intelligenda eſt de his, quę pertinent ad cognitionem beatitudinis* (eſſentialis) *in quibus omnes Angeli illuminantur à Deo* = Ad ſecundum ſimiliter reſpondet *1. p. q. 106. a. 1. ad 1.* ibi ſermonem eſſe de Viſione Dei, quam unus non docet alium, ſed Deus ſolus ſeipſum repræſentans; unde Propheta dicit: *Non docebit ultra ... vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſque ad maximum.* Quod non tollit, quin unus alium etiam ibi illuminare poſſit de his, quæ extra Verbum cognoſcuntur, & pertinent ad beatitudinem ſolùm accidentalem.

§. II.

Reſolutio ſecundæ partis.

XIV. DE modo, quo unus Angelus illuminet alium fortè major difficultas eſt. Cum enim D. Thomas hâc *q. 106. a. 1.* doceat, illuminationem fieri per hoc, quòd & confortetur virtus intellectiva Angeli inferioris, & quòd proponatur ei veritas ſecundùm ejus capacitatem; dubitatur, an præfata confortatio virtutis intellectivæ fiat per impreſſionem alicujus phyſici factam ab Angelo Superiori in intellectu Inferioris: Cujus tamen oppoſitum ſuperiùs diximus, nempè

unum Angelum non poſſe illabi, & agere in intellectum, & voluntatem alterius. Attamen

XV. Dico. Illuminatio, quâ Angelus ſuperior illuminat inferiorem, fit, non ſolâ propoſitione objecti, ſed ad modum cujuſdam artificioſi magiſterii accommodantis veritatem, quam manifeſtat, ad captum Angeli inferioris. Et hæc eſt confortatio virtutis intellectivæ, quam D. Thomas requirit. Explicatur Aſſertio. Quemadmodum enim Magiſter veritatem à ſe perfectiori modo intellectam oſtendens diſcipulo, eam ad ejus captum accommodatè explicat, & proponit, & medium ei aſſentiendi demonſtrat; & hoc modo corroborat, & illuminat intellectum ipſius, quin aliquid phyſicè imprimat in eo, vel formam intelligibilem, vel veritatis notitiam, vel ejus naturalem vim intrinſecè augeat: ita dum Angelus ſuperior illuminat inferiorem, veritatem ſibi notam ei proponit accommodatè ad ejus ſpecies, eique oſtendit medium cognoſcendi, & aſſentiendi; hoc autem medium, cùm in eo qui illuminatur, teneat ſe ex parte luminis, ideò lumen intellectus dicitur, & confortari.

XVI. Hanc eſſe mentem D. Thomæ, oſtendo ex Qu. 9. *de Verit. a.* 1. *ad* 2. ubi hæc habet: *Quòd ab Angelo illuminante non fit novum lumen gratiæ, vel naturæ, niſi ut participatum. Cùm enim omne quod intelligitur, ex vi intellectualis luminis cognoſcatur, ipſum cognitum, in quantùm hujuſmodi includit in ſe intellectuale lumen, ut participatum, ex cujus virtute habet intellectum confortare: ſicut patet quando Magiſter tradit diſcipulo aliquod medium alicujus demonſtrationis, in quo participatur lumen intellectus agentis ut in inſtrumento; prima enim principia ſunt inſtrumenta intellectus agentis.... Unde per hoc quod ſuperior Angelus ſuum cognitum alteri Angelo demonſtrat, ejus intellectus confortatur ad alia cognoſcenda, quæ priùs non cognoſcebat. Et ſic non fit in Angelo illuminato novum lumen naturæ, vel gratiæ; ſed lumen, quod priùs inerat, confortatur per lumen contentum in cognito percepto à ſuperiori Angelo.*

Idem docet eâdem Qu. 9. *de Verit.* a. 5. in corp. ubi poſtquam ſtatuit, locutionem poſſe eſſe ſine illuminatione, ſubjungit: *ſed illuminatio ſemper habet locutionem adjunctam, & in Angelis, & in nobis. Nos enim ſecundùm hoc alium illuminamus, quòd ei aliquod medium tradimus, quo intellectus ejus roboratur ad aliquid cognoſcendum, quod per locutionem fit. Similiter etiam oportet, quòd & in Angelis* (illuminatio) *fiat per locutionem.*

XVII. Deinde explicans modum talis locutionis illuminativæ, proſequitur: *Superior enim Angelus habet cognitionem de rebus per formas magis univerſales. Unde inferior Angelus non eſt proportionatus ad accipiendum cognitionem à ſuperiori Angelo, niſi ſuperior Angelus cognitionem ſuam quodammodo dividat, & diſtinguat, concipiendo in ſe illud, de quo vult illuminare per modum talem, quo ſit comprehenſibile ab inferiori Angelo: & talem conceptum ſuum alteri Angelo manifeſtando, eum illuminat. Unde dicit Dionyſius* 15. *cap. Cæleſt. hierarch.* unaquæque intellectualis eſſentia donatam ſibi à deiformi uniformi intelligentiam, providâ virtute dividit, & multiplicat ad inferioris ductricem analogiam, *& eſt ſimile de Magiſtro, qui videt diſcipulum non poſſe capere ea, quæ ipſe cognoſcit per illum modum, quo ipſe cognoſcit: & ideò ſtudet diſtinguere, & multiplicare per exempla, ut ſic poſſint à diſcipulo comprehendi.*

Hoc eodem exemplo utitur hîc 1. *p. q.* 106. *a.* 1. ubi etiam explicans modum, quo virtus intellectiva Angeli inferioris confortetur, & fortificetur ab Angelo Superiore illuminante, dicit: *ſicut enim virtus imperfectioris corporis confortatur ex ſituali propinquitate perfectioris corporis* (*ut minus calidum creſcit in calore ex præſentia magis calidi*) *ita virtus intellectiva Inferioris Angeli*

geli confortatur ex converſione Superioris Angeli ad ipſum. Hoc enim facit in ſpiritualibus ordo converſionis, quod facit in corporalibus ordo localis propinquitatis.

XVIII. Ex his omnibus ſic diſcurro. De mente S. Thomæ, Angelum Superiorem illuminantem confortare, & fortificare virtutem intellectivam Angeli Inferioris, quem illuminat, nil aliud eſt, quàm intellectualiter converti ad ipſum, proponendo ei objectum, quod cognoſcit: & medium, quo ipſe cognoſcit; illud tamen dividendo, multiplicando, & attemperando captui intellectus Angeli Inferioris, ad eum, modum, quo in humanis Magiſter fortificat, & confortat intellectum diſcipuli; dùm videns, diſcipulum non poſſe capere ea, quæ unitim ipſe cognoſcit, ea dividit, ac multiplicat per exempla, ut ab eo poſſint comprehendi: atqui hoc totum fit abſque impreſſione alicujus luminis phyſicè in intellectum producti, ſed ſola objectivà, & intelligibili confortatione, nempe medii, quod eſt quoddam intellectuale lumen objectivum, propoſitione: nec enim magiſter aliter agit in intellectum diſcipuli; ergo &c.

XIX. Inter Angelum tamen illuminantem, & hominem Magiſtrum docentem, hæc differentia eſt. Quod Angelus illuminans habet actionem immediatè circa intellectum ejus, quem illuminat, quatenus & objectum cognoſcendum, & medium cognoſcendi intellectui immediatè proponit: At homo, qui alium docet non verſatur ſuâ actione immediatè circa diſcipuli intellectum, ſed circa ſenſus, & ſenſibilia, quæ proponit, & mediantibus iſtis intellectum diſcipuli docet. Neuter tamen, ſive Angelus, ſive homo phyſicè agit in intellectum alterius. Ut enim ait D. Tho. Q. 11. de Verit. a. 3. ad 11. *in intellectum poteſt imprimere homo, vel Angelus repræſentando objecta*. Et Q. 21. de Verit. a. 9. ad 4. *Angeli* (inquit) *non imprimunt intellectui, quaſi interiùs aliquid in intellectu agentes, ſed ſolum ex parte objecti, in quantum intelligibile proponunt, quo intellectus noſter confortatur, & convincitur ad aſſenſum.* Quapropter exemplum de minus calido, quod ex propinquitate magis calidi confortatur, non eſt in totum ſimile. Sicut enim diverſitas eſt inter ſitualem propinquitatem corporum, & converſionem intellectualem, ac intelligibilem: ita in modo confortationis diverſitas eſt; eſto enim illa ſit per aliquid phyſicum, iſta tamen non.

Abſtineo à proponendis rationibus in contrarium. Tum quia ex dictis ex D. Thoma benè penſatis omnes ſolui poſſunt. Tum quia apud Auctores poterit ſtudioſus eas percurrere.

DUBIUM II.

An, & quomodo unus Angelus alteri loquatur?

§. I.

Reſolutio de locutione Angelorum.

I. Upponenda eſt ex dictis differentia inter ſimplicem locutionem, & illuminationem, quòd nimirùm ſimplex locutio eſt nuda manifeſtatio rei ignotæ; illuminatio verò addit ſupra locutionem, quòd ſit confortativa intellectus. Quare (ut ex D. Tho. Q. 9. *de Verit.* a. 4.) poteſt eſſe locutio ſine illuminatione, *ut cùm recitatur mihi aliqua hiſtoria, vel cùm unus Angelus alteri conceptionem ſuam demonſtrat*. Non tamen poteſt eſſe illuminatio ſine locutione: ſicut enim in nobis, ità in Angelis illuminatio locutione fit.

II. Dico ergo. Unus Angelus alteri loquitur, manifeſtando ei proprium conceptum. Hanc veritatem tradit Scriptura *Iſaia 6. v. 3.* Seraphim *clamabant alter ad alterum*. Zacharias *cap. 1.* refert varias Angelorum interrogationes, & reſponſiones, tum invicem, tùm erga Deum v. 12. *Et reſpondit An-*

Angelus Domini, *& dixit: Domine exercituum &c.* S. Judas in ſua Epiſt. canonica *verſ.* 9. refert Michaelem diſputantem cum Diabolo de Moyſi corpore, & dicentem: *Imperet tibi Dominus*. Hanc Angelorum locutionem nomine *linguæ* expreſſit Paulus 1. Cor. 13. v. 1. *Si linguis hominum loquar & Angelorum*. Non quia Angeli corpoream habeant linguam; ſed quia Angeli ſuos conceptus invicem manifeſtant, quod homines linguâ faciunt. Hinc Apoc. 7. v. 2. *Vidi* [inquit Joannes] *alterum Angelum aſcendentem ab ortu Solis... & clamavit voce magna quatuor Angelis*.

III. Neque ad hoc probandum rationes deſunt. Prima. Angeli ex dictis Superiores Inferiores illuminant: ſed illuminatiò ſecum adjunctam habet locutionem, & ſine locutione non fit; ergo &c.

Secunda. Angeli perfectam habent inter ſe ſocietatem; ſunt enim Cives Cœleſtem Rempublicam componentes: ſed ad perfectam ſocietatem requiritur communicatio ſecretorum, & affectuum cordis, quod per locutionem fit; ergo &c.

Tertia, ut ait D. Thom. *Q. 9. de Verit. a.* 4. quod poteſt virtus inferior, perfectiori modo poteſt ſuperior: ſed quia inter homines unus non cognoſcit ſecreta cordis alterius, ad ea manifeſtanda datur inter homines locutio; ergo cùm nec unus Angelus internos alterius conceptus cognoſcat, ut diximus, ad eos exprimendos, & alteri communicandos, dabitur in eis locutio. quæ nihil aliud eſt, quàm manifeſtatio interioris verbi, quod mente concepimus.

IV. Porrò, hac ſimplici locutione, quæ illuminativa non eſt, loquuntur non ſolùm Superiores Inferioribus, ſed etiam Inferiores Superioribus. Quemadmodum enim Inferiores non cognoſcerent conceptus internos Angeli Superioris, niſi ipſe eos vellet manifeſtare; ita nec Angelus Superior cognoſceret conceptus internos Inferiorum, niſi hi vellent ei manifeſtare: talis autem voluntaria manifeſtatio, locutio eſt. Ita D. Thom. hâc *q.* 107. *art.* 2.

V. Angelos Deo quoque loqui, docet D. Thom. laudatâ *quæſt. a.* 3. non tamen ſicut Magiſter diſcipulo, manifeſtando aliquid ei, qui omnia novit; ſed ſicut diſcipulus loquitur Magiſtro, ut aliquid ab eo diſcat: *vel conſulendo divinam voluntatem de agendis, vel ejus excellentiam, quàm numquam comprehendit, admirando. Sicut Gregorius dicit* 2. *Moral. c.* 4. Angeli loquuntur Deo, cùm per hoc, quòd ſuper ſemetipſos reſpiciunt, in motum admirationis ſurgunt... *Locutio enim non ſemper eſt ad manifeſtandum alteri: ſed quandoque ad hoc ordinatur finaliter, ut loquenti aliquid manifeſtetur: ſicut cum diſcipulus quærit aliquid à Magiſtro*. Ita S. Doct. *ad* 1.

VI. Docet inſuper D. Thomas *a.* 4. & *Qu.* 9. *de Verit. a.* 6. localem diſtantiam non impedire angelicam locutionem. Unde in quacumque diſtantia poſiti poſſunt ſibi invicem loqui. Probat primò. Quia ſicut dicitur Lucæ 16. Dives in Inferno poſitus loquebatur Abrahæ, non impediente locali diſtantiâ: multò igitur minùs localis diſtantia poteſt impedire locutionem unius Angeli ad alterum.

Probat etiam ſecundò. Locutio Angeli actione purè intellectuali (quæ à loco, ſitu, tempore, ſeu hîc, & nunc abſtrahit, & præſcindit) conficitur, & conſummatur: ſed in eo, quod præſcindit à loco, & ſitu, localis & ſitualis diſtantia nihil facit; ergo &c. *Sicut enim diſtantia localis non impedit, quin unus Angelus alium videre poſſit: ita non impedit, quin percipiat, quod in eo ad ſe ordinatur, quod eſt ejus locutionem percipere*. Ita S. Th. ibi *ad* 1.

VII. Sed dices. Anima Petri ſi eſſet hìc cognoſceret ea, quæ hìc aguntur, cum autem eſt in Cœlo non cognoſcit: Unde Iſaiæ 63. v. 16. *Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit*.

Digitized by Google

vit nos. Et D. Auguſt. à Gloſſa relatus: *Neſciunt mortui etiam Sancti, quid agant vivi, etiam eorum filii*, ergo diſtantia localis impedit animæ beatæ cognitionem, eâdem etiam ratione Angeli locutionem.

Reſpondet D. Thom. *Qu. 9. de Verit. a. 6.* cujus eſt 5. argumentum quòd *Auguſtinus loquitur de cognitione naturali animarum, per quam etiam Sancti non poſſunt cognoſcere, quæ hîc aguntur, ſed ex virtute gloriæ ea cognoſcunt... ſed Angeli habent naturalem cognitionem magis elevatam, quàm animæ. Unde non eſt ſimile de Angelo, & animâ.*

VIII. Dices ſecundò. Clamor loquentis fit propter diſtantiam audientis: ſed Iſaiæ 6. dicitur de Seraphim, quòd *clamabant alter ad alterum*; ergo in locutione Angelorum aliquid operatur localis diſtantia.

Reſpondet D. Thom. hoc a. 4. ad 2. *quod clamor ille non eſt vocis corporeæ, quæ fit propter diſtantiam loci, ſed ſignificat magnitudinem rei quæ dicebatur* (nempè unitatem eſſentiæ & Trinitatem Perſonarum, dicendo Sanctus &c. ut reſpondet idem S. Thom. Q. 9. de Verit. a. 6. ad 3.) *vel magnitudinem affectus, ſecundum quòd dicit Gregorius 2. Moral. c. 4.* Tantò quiſque minus clamat, quantò minùs deſiderat.

IX. Dices tertiò. Locutio oportet, quòd deferatur à loquente in audientem, & conſequenter per medium; ergo diſtantia impedit Angeli locutionem.

Reſpondet D. Thom. Q. 9. *de Verit. a. 6. ad 4.* hoc procedere ex falſa imaginatione, quòd locutio angelica ſit corporalis, quæ à dicente ad audientem deferatur: ſed *Angelus, ad quem fit locutio, non recipit aliquid à loquente, ſed per ſpeciem, quam penes ſe habet, & alium Angelum, & locutionem ejus cognoſcit. Unde non oportet ponere aliquod medium, per quod deferatur aliquid ab uno in alterum.*

X. Quærendum ultimò ſupereſt: An unus Angelus poſſit alteri loqui, quin alii locutionem ejus percipiant?

Affirmativè reſpondet D. Thom. Tum hàc q. 107. a. 5. Tùm Q. 9. *de Verit. a. 7.* Et probat primò. Si enim homo poteſt manifeſtare conceptum ſuum alteri, quin omnes percipiant, cur non Angelus, qui magis ſuorum actuum dominus eſt?

Probat ſecundò. Quæ à libera voluntate pendent poſſunt, ut libuerit, uni concedi, alteri denegari: ſed manifeſtatio interioris conceptus à libera voluntate Angeli pendet, liberè illum extra ſe ordinantis, ſive intra ſe retinentis; ergo ſic poteſt eum ordinare ad unum, ut erga alios retineat.

XI. Sed dices. Quicumque intuetur aliquem Angelum percipit ſpeciem ejus, quâ intelligit, & loquitur: ſed Angeli invicem ſemper ſe intuentur; ergo &c.

Rurſus: ſi aliquis homo loquatur, æqualiter auditur ab omnibus, qui ei æqualiter appropinquant, niſi ſit defectus ex parte audientis; utpote ſi deficiat in auditu: ſed quandoque alius Angelus eſt propinquior Angelo loquenti, quàm ſit ille, ad quem loquitur, vel ſecundùm ordinem naturæ, vel ſecundum locum; ergo non ſolùm auditur ab eo, ad quem loquitur.

Reſpondetur ad primum ex D. Tho. Q. 9. Verit. a. 7. ad 3. *Quod quamvis unus Angelus alterum intueatur, non tamen oportet; quòd ſpeciem, prout ea actu aliquid cogitat, videat niſi convertatur ad ipſum*, ordinando ſcilicet ad ipſum ſuam cogitationem, quo pacto facit eum cognoſcere, id, quod cogitat.

Ad ſecundam. Reſpondeo cum eodem S. D. ibi ad 4. *quòd locutio humana movet auditum actione, quæ eſt per neceſſitatem naturæ, quia impellendo aerem uſque ad aurem: ſed hoc modo non eſt in locutione Angeli, ſed totum dependet ex voluntate Angeli loquentis.*

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Modus, quo ſit Angelica locutio.

XII. QUæ hactenus dicta ſunt, ab omnibus, puto, nemine diſſentiente, probantur: non ita tamen quæ dicenda erunt de modo, quo fiat Angelorum locutio. Sunt enim, vel ſaltem fuerunt, qui putarint, Angelos loqui per ſigna quædam corporea, & ſenſibilia, in aliquo corpore exarata, ſicut nos in aere voces, & in charta litteras edimus. Quod alterutro ex his modis fieri arbitrati ſunt; nimirùm, vel quòd illa ſigna ſenſibilia veluti figuræ habentes peculiarem ſignificationem Angelis notam, in Cœlo exarentur: vel quod ſint quidam ſoni ſenſibiles in aere formati inſtar vocis, vel nutus, & ſigna facta in corporibus aſſumtis, ſicut homines dum invicem ſibi loquuntur. Ita refert Durandus, qui hanc ſecundam partem approbat velut neceſſariam ad veram locutionem.

Aliqui volunt, Angelos ſibi invicem loqui per ſigna quædam ſpiritualia repræſentativa verbi, quod Angelus intra ſe formavit, à loquente producta, aliis Angelis nota. In hunc dicendi modum propendit Vazquez cum aliis.

Alii volunt, Angelum loquentem ſui conceptus notitiam actualem in intellectu audientis producere, per formatam in eo, ſeu directam ad illum ſpeciem ſui conceptus expreſſivam. Ità Scotus *in* 2. *Diſt.* 9. *q.* 2. & cum eo Scotiſtæ.

Thomiſtæ tandem cum ſuo Angelico Præceptore locutionem Angelorum fieri contendunt per puram ordinationem conceptus loquentis ad eum, cui loquitur, abſque eo, quòd loquens aliquid efficiat in audiente.

XIII. Dico primò. Angelorum locutio non fit per aliqua ſigna ſive ſenſibilia, ſive ſpiritualia. Prima pars probatur. Modus locutionis angelicæ debet eſſe congruus naturæ ipſorum, & communioni, quâ invicem ſociantur: ſed natura Angeli eſt omnino ſpiritualis, & à corpore prorsùs abſoluta: communio etiam, quâ ſociantur, prorsùs intellectualis eſt, & ſpiritualis; ergo locutio per ſigna corporalia ad Angelos minimè pertinere poteſt, aliàs incideremus in Veterum opinionem ponentium, Angelos eſſe corporeos.

Præterea: Etiamſi Deus nullam rem corpoream creaſſet, reverà tamen inter Angelos ſtrictiſſima eſſet ſocietas, & communicatio conceptuum per locutionem; ergo hæc fit independenter à quolibet corporeo.

Ulterius: Ideò enim Angeli in aſſumtis corporibus per ſigna ſenſibilia loquuntur hominibus; quia anima rationalis ſenſibus alligata non poteſt, ſive objecta, ſive aliorum conceptus percipere, niſi moveatur à ſenſu, & phantaſmate; ergo in Angelis, in quibus nec eſt ſenſus, nec indigentia phantaſmatum ad intelligendum, dùm ſibi invicem loquuntur, ſermo, vel quodcumque ſignum ſenſibile locum habere non poteſt.

XIV. Hinc S. Joannes Damaſc. *lib.* 2. *de Fide c.* 3. de Angelis loquens: *quibus* (inquit) *nec linguâ opus ſit, nec auribus; ſed ſine ulla prolati ſermonis ope mutuò ſibi ſenſa ſua communicant, & conſilia*. Et Nicephorus Conſtantinopolitanus *lib. de inculpata Chriſtianorum fide contra Iconomachos cap.* 70. de Angelis, inquit: *Ac quidem ſermo quoque in illis eſt, quandoquidem ratione præditi ſunt: non tamen eſt ſimilis noſtri, qui naturali, vitalique ſpiritu vocalium organorum ope progreditur, & articulatur, percuſſione aeris formatus, tranſienſque, ut audientium ſenſu percipiatur: ſed quia materia, & compoſitione vacant, ſimplicesque, & incorporei ſunt, invicem circumincedunt, ſuaſque mutuò perceptiones ſpeculantur, ut ſilendo clariùs, expreſſiùsque ſermones miſceant, quàm aliâ quâvis prolatione verborum*. Hactenus Nicephorus præfatus; qui

qui floruit circa initium ſeculi noni.

XV. Secunda autem pars, quòd nec per ſigna ſpiritualia locutio angelica fiat, probatur. Nam illa ſigna ſpiritualia, vel eſſent ſigna naturalia, vel ad placitum. Si eſſent naturalia, eſſent omnibus Angelis manifeſta: ſimiliter ſi eſſent ad placitum; quia ſignificarent ex impoſitione ortâ ex communi conſenſu Angelorum, ſicut voces apud nos, & conſequenter eſſent omnibus nota; ergo ſi per talia ſigna Angelus loqueretur, non poſſet loqui, uni, quin aliis loqueretur, vel ſaltem ſuam locutionem manifeſtaret.

XVI. Si dicas, hoc verum fore, quando unus Angelus ſuum conceptum exprimeret per ſigna generalia, & communia, quæ ſunt quaſi lingua communis omnibus nota; ſecus tamen ſi utatur ſigno ſpeciali inſtituto ad manifeſtandum ſuum conceptum huic Angelo, non alteri.

XVII. Contra eſt primò. Nam hæc reſponſio cogit admittere multitudinem quaſi infinitam ſignorum, & quaſi idiomatum, ſi velit Angelus ſervare ſecretum. Nam demus, quod Angelus velit loqui duobus, vel tribus ſimul, ut Angelus ille de quo ſuperiùs *Apoc. 7. v. 2.* qui clamavit voce magna quatuor Angelis, quo ſigno aut idiomate utetur? ſi privato; non intelligetur, niſi ab uno, cui ſoli eſt nota, quia pro illo ſolo impoſita. Si communi; intelligetur non ab iis ſolis, quibus loquitur, ſed ab omnibus, niſi dicamus, pro quibuſcumque combinationibus Angelorum eſſe ſpecialia ſigna: & cùm ferè infinitæ fieri poſſint hujuſmodi combinationes, infinita ferè ſigna, & idiomata eſſe in Angelis multiplicanda.

XVIII. Præterea: Illa ſigna vel communia, vel privata non potuiſſent inſtitui niſi prævia communi, vel privatâ conventione & conſenſu, quo vel omnes, vel duo invicem conveniſſent, ut hanc rem ad hoc ſignificandum uſurparent: ſed iſta conventio non potuiſſet fieri abſque prævia locutione invicem; ergo ante inſtitutionem illius ſigni potuiſſent loqui. Quòd ſi hæc locutio fuiſſet per aliqua ſigna; vel dabitur proceſſus in infinitum in ſignis, vel hæc ſigna non ſunt neceſſaria ad locutionem angelicam.

XIX. Dico ſecundò. Locutio Angeli non fit per influxum phyſicum Angeli loquentis in eum, cui loquitur, cauſando in eo, vel notitiam actualem vel ſpeciem ſui conceptus repræſentativam. Eſt contra Scotum. Eam tamen docet D. Thomas *Qu. 9. de Verit. a. 5. ad 2.* his verbis: *Angelus loquens nihil facit in Angelo, cui loquitur, ſed fit aliquid in Angelo ipſo loquente, & ex hoc ab alio cognoſcitur modo priùs dicto. Unde non oportet etiam, quòd loquens aliquid infundat ei, cui loquitur.* Et art. 6. ad 4. *Angelus* (inquit) *ad quem fit locutio ut dictum eſt, non recipit aliquid à loquente, ſed per ſpeciem quam penes ſe habet, & alium Angelum & locutionem ejus cognoſcit.*

XX. Probatur etiam ratione. Tùm quia, ut ſupra vidimus, unus Angelus non poteſt ſua virtute immediatè agere in alium, nec intra alium illabi, nec in illo ſpeciem producere, ſive imprimere, multò minus notitiam ſeu cognitionem; hæc enim cùm ſit actus vitalis non ſufficit, ut in cognoſcente producatur, ſed debet à cognoſcente exire, ut per illam vivere, quod eſt ab intrinſeco ſe movere, dicatur.

XXI. Deinde: Vel Angelus loquens, ut imprimat iſtam cognitionem in audiente, debet poni intimè intra intellectum ejus; vel etiam hoc poteſt extra, & diſtans. Primum eſt contra commune axioma, quod Angelus non illabitur menti, ſed ſolus Deus. Et rursùs: non ſalvat, quomodo unus Angelus poſſit ſimul pluribus Angelis loqui, & intra eos poni, & quomodo ad Angelum diſtantem loqui poſſit. Nam ſi, ut loquatur illi, intra eum eſſe debet, certè diſtanti loqui non poterit = Secundum verò aliud fert inconveniens. Nam ſi An-

ge-

Digitized by Google

gelus, dùm Angelo diſtanti loquitur, producit in eo cognitionem, hæc cognitio debet tranſire à loquente ad audientem per medium; cognitio autem, utpotè ſpiritualis, per media corporea tranſire non poteſt: & ſi tranſiret, non poſſet alios Angelos latere, qui ad illud medium, per quod tranſiret, attenderent.

XXII. Nec minùs impoſſibile eſt, quòd Angelus loquens producat ſpeciem ſui conceptus in mente audientis. Tùm quia, ex ſuperiùs dictis, ſolus Deus imprimere poteſt ſpecies, & ſolus operari in mentibus Angelorum; reliqua enim ſolùm objectivè ſe habere poſſunt ad illas ſpecies, non effectivè. Si autem ſolus Deus imprimit ſpeciem in mente audientis, ſolus Deus erit, qui loquitur, ſeu revelat Angelo cogitationem alterius, non ipſe Angelus.

Tùm etiam: explicari non poteſt, quomodo ab Angelo loquente imprimi poſſit illa ſpecies in mente Angeli diſtantis; puta, quomodo anima divitis in Inferno poſita, poſſet producere ſpeciem ſuæ cogitationis, & ſic loqui Abrahæ à longè: quod tamen ſalvâ fide negare non poſſumus.

Tùm tertiò. Nam nec ſalvatur ratio ſecreti: etenim illa ſpecies, vel lumen, ſive quodcumque aliud in mente alterius productum, ſæpè eſt aliquid naturale; non enim eſt libera cogitatio cordis, ſed effectus illius ad extra poſitus; nec etiam eſt contingens futurum, cùm de facto in rerum natura ſit: quomodo ergo ab aliis Angelis, qui omnia naturalia poſita extra cauſas cognoſcunt, iſtæ ſpecies, & repræſentatæ per eas cogitationes, non cognoſcerentur, ſi non ampliùs intra cognoſcentem manent, ſed extra diriguntur?

XXIII. Dico tertiò. Locutio Angeli unius ad alterum fit per voluntariam, & liberam ordinationem ſui conceptus ad illum abſque ulla, ſive ſigni, ſive luminis, ſive notitiæ, ſive ſpeciei in mente audientis impreſſione. In hoc Aſſerto perpetuus eſt D. Thomas Q. 9. de Verit. a. 4. ad 9. *ipſa ordinatio cogitationis ad alterum exterior locutio in Angelis dicitur*. Ad 11. *Angelus cogitationem alterius cognoſcit per ſpeciem innatam, per quam alium Angelum cognoſcit; quia per eandem cognoſcit omne, quod cognoſcit in alio Angelo. Unde quàm citò Angelus ſe ordinat ad alium Angelum ſecundùm actum alicujus formæ, ille Angelus cognoſcit cogitationem ejus, & hoc quidem dependet ex voluntate Angeli*. Et hac q. 107. a. 1. & 2. *Angelum* (inquit) *loqui Angelo, nihil aliud eſt, quàm conceptum ſuum ordinare ad hoc, ut ei innoteſcat per propriam voluntatem*. Videri etiam poteſt in 2. *Diſt*. 11. *q*. 1. *a*. 3. *ad* 4. præter loca, quæ ſuperiùs *num*. 5. & 11. citata ſunt.

XXIV. Ratio autem eſt: quia, ut unus Angelus cognoſcat cogitationem alterius, nihil intrinſecum ei deeſt: non deeſt lumen, quia lumen innatum Angeli promtum eſt ad omnes veritates naturales: non deeſt ſpecies, quia, ut ſupra oſtendimus, ab initio ſuæ conditionis habuit à Deo ſpecies repræſentativas omnium rerum naturalium, inter quas ſunt alii Angeli, & omnium eorum, quæ in Angelis ſunt, vel ab eis procedunt. Quòd ergo unus Angelus non cognoſcat ſecretum, vel cogitationem internam alterius, ex eo ſolùm procedit, quòd cùm talis cogitatio ſit libera, & ſub dominio cogitantis, & intra ipſum clauſa, quodam quaſi velamine obtegitur, & occultatur: unde ſi voluntate Angeli, cujus eſt cogitatio, auferatur hoc velamen, & ad alium Angelum dirigatur, ſtatim incipiet ad ipſum quoque pertinere, & nullo ei ſuperaddito eam cognoſcet. Sicut eo ipſo quòd aliquod contingens futurum exeat à ſuis cauſis, in quibus latebat, & fiat præſens, ſtatim ab Angelo cognoſcitur: quòd enim antea non cognoſceretur, defectus non erat ex parte Angeli, ſed objecti.

XXV. Accedant in confirmationem ea, quæ habet D. Thomas hâc *q*. 107. *a*. 1.

Digitized by Google

a. 1. *ad* 1. ubi docet, quòd *in nobis interior mentis conceptus quaſi duplici obſtaculo clauditur. Primò quidem ipſâ voluntate, quæ conceptum intellectus poteſt retinere interiùs, vel ad extra ordinare. Et quantùm ad hoc mentem unius nullus alius poteſt videre niſi ſolus Deus, ſecundùm illud* 1. *Cor.* 2. Quæ ſunt hominis nemo novit, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt. *Secundò autem clauditur mens hominis ab alio homine per groſſitiem corporis. Unde cùm etiam voluntas ordinat conceptum mentis ad manifeſtandum alteri, non ſtatim cognoſcitur ab alio; ſed oportet aliquod ſignum ſenſibile adhibere. Et hoc eſt, quod Gregorius dicit* 2. *Moral. c.* 4. Alienis oculis intra ſecretum mentis quaſi poſt parietem corporis ſtamus, ſed cùm manifeſtare nos ipſos cupimus, quaſi per linguæ januam egredimur, ut quales ſumus intrinſecùs oſtendamus. *Hoc autem obſtaculum non habet Angelus: & ideò quàm citò vult manifeſtare ſuum conceptum, ſtatim alius cognoſcit.* Ex quibus ſic: intantùm homo etiamſi ordinet ſuum conceptum ad alium, iſte ſtatim non cognoſcit, quia ne cognoſcat groſſitie corporis impeditur; ergo Angelus, in quo groſſities corporis non eſt, quàm cito ordinare vult ſuumconceptum ad alium, ſtatim alius cognoſcet.

§. III.

Solutio eorum, quæ contraria ſunt.

XXVI. **O**Bjiciunt primò. Per locutionem debet unus Angelus alterum excitare ad audiendum: ſed ſolâ directione, & ordinatione conceptus non poteſt excitari Angelus ad audiendum, & de non audiente fieri audiens; ergo &c. Maj. conſtat. Min. prob. Ut Angelus de non audiente fiat audiens, ſeu de non cognoſcente cognoſcens conceptum alterius, neceſſariò debet immutari, & moveri; non enim ſemper eſt in actuali conſideratione; ſed nihil immutatur realiter, niſi per aliquid reale in ſe receptum; illâ autem extrinſecâ alterius Angeli ordinatione non poteſt mutari, cùm nihil in audiente producat; ergo &c.

XXVII. Confirmatur primò D. Thomas 1. *p. q.* 107. *a.* 1. *ad* 3. dicit: *Sicut ſenſus movetur à ſenſibili, ità intellectus movetur ab intelligibili. Sicut ergo per ſignum ſenſibile excitatur ſenſus, ità per aliquam virtutem intelligibilem poteſt excitari mens Angeli ad attendendum;* ergo ſicut ſenſus excitatur ab objecto per immiſſionem ſpeciei ſenſibilis; ita mens Angeli excitabitur per immiſſionem ſpeciei intelligibilis.

XXVIII. Confirm. ſecundò. Idem S. Thomas in 2. *Sent. diſt.* 11. *q.* 1. *a.* 3. admittit Angelum loqui per ſigna. Et in *Cap.* 13. *prima ad Cor. lect.* 1. dicit, quòd in nobis occulta cordis manifeſtantur per voces, & quodcumque aliud corporale exterius apparens: in Angelis verò ea, *quæ ſunt naturaliter nota, in quantùm aſſumuntur ad manifeſtationem occultorum dicuntur ſigna, vel nutus. Poteſtas autem manifeſtandi conceptum ſuum hoc modo, metaphoricè lingua nominatur.*

XXIX. Reſpondeo, admiſsâ majori, intellectâ tamen de excitatione objectiva, & morali, non phyſicâ, nego min. Ad probat. nego, quòd, ut Angelus fiat audiens, & cognoſcens debeat realiter priùs immutari per aliquid à loquente in eo productum. Ad probationem adjunctam, diſtinguo. Non ſemper eſt in actuali conſideratione, defectu alicujus ex principiis requiſitis ex parte actus primi ad conſiderandum, nego: defectu objecti, quod ei actu non præſentatur, concedo. Sicut ergo dùm aliquid futurum liberum fit actu præſens, Angelus illud actu cognoſcit, eùm antea actu non cognoſceret; non quia ei adveniat novum lumen, vel nova ſpecies, ſed ſolum quia objectum dum fit præſens incipit eſſe de pertinentibus ad ipſum: ita dùm incipit attendere ad Angelum ſibi loquentem, & cognoſcere ſecretum, quod ei manifeſtat, hoc non

non ſit acquiſitione novæ virtutis, aut ſpeciei, ſed ſolùm novâ repræſentatione ſpeciei præexiſtentis, quæ, dùm Angelus loquens convertitur, & ordinat conceptum ſuum ad audientem, incipit in exercitio illum ei repræſentare, quem ante ſolùm in actu primo repræſentabat; quia poſitâ tali ordinatione incipit eſſe de pertinentibus ad ipſum. Hoc autem ſine ulla immutatione virtutis, aut ſpeciei fieri poteſt; ſicut genito ſecundo filio, relatio, quæ priùs ad ſolum unum filium terminabatur, abſque ſui immutatione, incipit actu terminari ad ſecundum. Conferantur, quæ ſupra diximus de angelica cognitione futurorum, & ſecretorum cordis. Interim audiatur D. Thom *in 2. Diſt. 11. q. 1. a. 3. ad 4.* dicèns: *Angelus, præcipuè beatus, ſemper eſt in actuali conſideratione ſui ipſius, & per conſequens eorum, quæ ad ipſum pertinent.... quàm citò autem unus Angelus ordinat locutionem ſuam ad alterum, efficitur locutio ejus de pertinentibus ad illum, & ita ab eo cognoſcitur.* Ordinatio autem illa conditio eſt, quâ poſitâ, ſtatim Angelus, nullo alio accedente, cognoſcit id, quod alter Angelus ei loquitur.

XXX. Ad primam confirm. nego, D. Thomam inſtituere paritatem in omnibus inter ſenſum, & mentem angelicam. Etenim excitatio ſenſus per ſignum ſenſibile fit per novæ ſpeciei immiſſionem; quod tamen ipſe negat de mente angelica, quam, ut vidimus, docet ab initio fuiſſe omnibus ſpeciebus imbutam. Paritas ergo in hoc ſita eſt, quòd, ſicut per ſignum ſenſibile ſenſus excitatur, ita mens Angeli per ſignum intelligibile: hoc autem ſignum nihil aliud eſt, quàm conceptus mentis ab Angelo dum loquitur ei oſtenſus, & ad eum ordinatus, & hæc eſt virtus intelligibilis, quâ excitatur; quia cùm incipiat eſſe de pertinentibus ad ipſum, ſpecies, quam habet de Angelo ſibi loquente, incipit etiam conceptum ejus repræſentare.

XXXI. Ad ſecundam confirm. aliqui (inter quos Sylvius ad hunc *a. 1. q. 107.*) exiſtimant, D. Thomam primò in ſententia fuiſſe, locutionem angelicam fieri per aliqua ſigna intelligibilia, producta, non in Angelo audiente, ſed in loquente, quibus ab alio Angelo viſis, ſtatim percipiat Angeli loquentis conceptum: quæ ſigna ſignificationem habeant, non ex natura ſua, ſed ex impoſitione, non quidem ab Angelis factâ, ſed quam Angeli ab Auctore naturæ acceperint, qui ſimul cum natura, ejuſmodi ſigna eis dedit, quaſi impoſita ad talem ſignificationem: ad eum ferè modum, quo primi homines ſtatim locuti fuerunt linguâ hebraicâ (vel quâcumque alia primigenia, ut alibi probabiliùs cenſebimus) ſeque mutuò intellexerunt, ex Dei impoſitione, qui talia ſigna eis dederat ad conceptus ſuos invicem ſignificandos. Et hoc putat ſe colligere, tùm ex allegato textu S. D. ſuper *1. ad Cor. tùm etiam ex 2. Sent. diſt. 11. q. 1. a. 3. in corp.* Deinde verò in ſententiam à nobis acceptatam tranſiſſe.

XXXII. Verùm exiſtimo, S. Thomam in hoc perpetuum fuiſſe, locutionem angelicam non fieri per productionem alicujus ſigni, ſive in audiente, ſive in loquente; ſed ſola manifeſtatione conceptus intra ſe formati: & hanc fieri per hoc, quòd conceptus intra Angelum formatus ordinetur ad alium, & fiat de pertinentibus ad ipſum; ſolùmque in locis citatis voluiſſe explicare modum, quo iſta ordinatio fiat: nimirùm per hoc, quòd ſpecies, ſeu conceptus, qui intra Angelum latens, erat occultus; dum ordinatur ad alterum coordinatur alicui eorum, quæ unus Angelus in alio naturaliter videre poteſt, puta potentiæ cognitivæ. Quare alter Angelus, ad quem ordinatur conceptus, videndo illud naturaliter cognoſcibile, puta potentiam cognoſcitivam, videt in ea conceptum mentis Angeli; ita ut *illud naturaliter cognoſcibile*

ſit ſignum expreſſivum interioris conceptus, & talis expreſſio vocatur locutio, non quidem vocalis, ſed intellectualibus ſignis expreſſa, & virtus exprimendi dicitur lingua eorum. Hæc D. Thomas loco ex 2. *Sent.* allato. Et clariùs Qu. 9. de Verit. a. 4. ad 12. *Ut ſignum* (inquit) *dicatur ipſa ſpecies, nutus autem, ordinatio ad alium, ſed poſſibilitas hæc faciendi dicitur lingua.*

XXXIII. Objiciunt ſecundò. Illa ſimplex directio, & manifeſtatio potiùs eſt actus voluntatis, quàm intellectus, non ſolùm quia eſt actus liber, ſed quia eſt ordinatio ad extrinſecum, nempè volitio, ut conceptus ſuus tali, vel tali fiat manifeſtus: At locutio angelica non eſt actus voluntatis, ſed intellectus; ergo &c. Maj. probatur. Nam D. Thomas hâc *qu.* 107. *a.* 2. *in corp. & ad* 1. ait: *Quàm citò* (Angelus) *vult manifeſtare ſuum conceptum, ſtatim alius cognoſcit.*

XXXIV. Reſpondeo, hoc argumentum æquè urgere Scotiſtas. Nam productio notitiæ, vel ſpeciei in mente audientis, in qua dicunt conſiſtere locutionem angelicam, erit quoque actus voluntatis, non ſolùm quia actio libera, ſed quia actio in aliquid extrinſecum. Nos ergo diſtinguimus maj. erit actus voluntatis moventis, & applicantis Angelum ad loquendum, conc. maj. elicientis immediatè locutionem, nego maj. Cùm ergo Angelus vult manifeſtare, & ordinare ſuum conceptum ad alterum, adeſt ipſa ordinatio, & voluntas ordinandi. Ordinatio, quæ formaliter eſt locutio, actus intellectus eſt ex D. Tho. 1. 2. q. 17. a. 1. *Ordinare eſt proprius actus rationis*, & propterea Providentiam, cujus eſt ordinare, in ratione ſuperiùs locavimus; & oratio, quia quandam ordinationem dicit, & propterea vocatur quaſi *oris ratio*, actus intellectus eſt, ut docet idem S. Doct. 2. 2. *q.* 83. *a.* 1. At quia hæc ordinatio libera eſt; ideò à voluntate procedit, ut applicante tamen, & movente potentiam cognoſcitivam ad ordinandum, & manifeſtandum: & ideò locutio actus rationis eſt ſupponens voluntatem.

XXXV. Objiciunt tertiò. Si illa directio conceptus eſſet locutio, non poſſet unus Angelus manifeſtare ſuum conceptum uni, puta Michaeli, quin manifeſtus fieret aliis advertentibus, quamvis illis non loqueretur.

XXXVI. Reſpondeo, hanc inſtantiam magis urgere Scotiſtas ponentes locutionem fieri per productionem notitiæ, ſeu ſpeciei in intellectu audientis. Cur enim ſi hanc producat in intellectu Michaelis, Raphael advertens, & intellectum Michaelis cognoſcens, eam non perſpiciet; maximè cùm non ſit actus à Raphaele liberè procedens?

Dico ergo, quòd cùm iſta ordinatio actus liber ſit, & adhuc ſub dominio Angeli loquentis, ſolùm facit innoteſcere conceptum Michaelis loquentis Raphaeli, cui loquitur; quia ad eum ſolum ordinatur, ei ſoli detegitur, & ad eum ſolum incipit pertinere.

XXXVII. Sed inſtabis. Etiam ipſa ordinatio conceptus Angeli loquentis ad audientem actus liber eſt, & tamen Angelo audienti manifeſta eſt; ergo ſimiliter &c.

Reſpondeo, dictam ordinationem eſſe quidem actum liberum quoad uſum, & exercitium; hoc tamen ipſo, quod voluntas Angeli loquentis applicat intellectum ad eam efficiendam, ut alteri manifeſtet conceptum, eſt de pertinentibus ad ipſum, & illam cognoſcit.

XXXVIII. Objiciunt quartò. Sola rei manifeſtatio non ſufficit ad locutionem; alioquin qui velum, quo tabella aliqua obtegitur, ſubduceret, ut imaginem in ea depictam alteri videndam exhiberet diceretur, hâc exhibitione, & manifeſtatione ei loqui; quod cum etiam à muto fieri poſſit, mutus diceretur loqui.

Confirmatur. Contingere poteſt, quòd dùm unus Angelus, alteri conceptum ſuum

ſuum manifeſtat ad eum ordinando; iſte alibi occupatus, vel mentè aliò diſtractus non attendat; hoc ergo non ſufficit ad illum excitandum, ut percipiat ea, quæ illi alter loquitur, niſi aliquid ponatur intrinſecum.

Rursùs: actus quo unus Angelus amat alium, vel Dæmon odit Angelum bonum, ordinantur ad Angelum, qui amatur, vel odio habetur; & tamen actus, quo amantur, vel odio habentur, non ſunt eis naturaliter noti.

XXXIX. Reſpondetur, concedendo, non quamcumque rei manifeſtationem ſufficere ad locutionem, ſed ſolam manifeſtationem conceptus interioris mentis, quæ in nobis fit per voces, aut per nutus, ut in mutis; ita in Angelis per ordinationem conceptus ad alterum: unde exemplum tabellæ non eſt ad rem.

XL. Ad confirmat. reſpondeo primò, incredibile eſſe, ut Angelum, in intelligendo perſpicaciſſimum, & expeditiſſimum aliquid ad ipſum pertinens, maximè morale, & liberum, ita effugiat; ut quamvis ad ipſum dirigatur, non advertat. Et hoc maximè in Angelis beatis, qui in Verbo vident quidquid ad ſe pertinet.

Cæterum etſi aliquando contingeret, ut Angelo aliò diſtracto, & occupato circa alia, alter Angelus loqueretur, & ille non attenderet, ſed illa locutio ejus advertentiam effugeret; quodnam, quæſo, inconveniens eſſet, cùm inter nos ſic quotidie contingat, ut valde diſtractis, & occupatis, nobis aliquis loquatur, quo non excitemur, nec ad illum attendamus? ſi ergo & hoc inter Angelos, maximè Dæmones, eveniat (quod evenire rariſſimè credo) non eſſet propterea excogitandus alius excitationis modus; ſed quærendum remedium, illum ad advertentiam excitandi, ſive per alios Angelos, ſive per acceſſum Angeli loquentis ad alterum, cui loquitur, exercendo aliquem motum, vel impulſum circa illum, quo ad attendendum locutioni excitetur.

XLI. Ad id, quod additur, diſt. maj. ordinantur ad ipſum ex ſua ſpecie, ut ad objectum, co. maj. ex libera directione voluntatis manifeſtantis conceptum mentis, neg. maj. Quòd autem unus actus ordinetur ex ſua ſpecie ad alium, ut objectum, non fit aliquid ipſius, nec habet modum manifeſtationis; ſed ſolùm quando liberè intellectus unius ordinat ſuum conceptum ad alterum, ut ei innoteſcat.

XLII. Objiciunt quintò. Si locutio inter Angelos fieret per meram ordinationem conceptus, quem alter habet in mente, malus Angelus nunquam poſſet alteri mentiri, aut eum decipere: ſed hoc eſt falſum; nam reipsâ Angeli mali Spiritus fallaces ſunt, pleni dolo, & Diabolus eſt parens mendacii; ergo &c. Ma. probatur. Mentiri enim eſt aliud manifeſtare exteriùs, & aliud habere in mente interiùs: ſed ſi locutio Angeli fiat per directionem conceptus, quem Angelus habet in mente, ad audientem, nunquam Dæmon alloquendo alterum, manifeſtabit aliud, quàm id, quod habet in mente, nempè ſuum conceptum; ergo nunquam illi mentietur.

Reſpondeo, negando maj. quæ eandem patitur inſtantiam apud Scotiſtas. Si enim Angelus malus alteri loquitur producendo in eo notitiam, vel ſpeciem objecti, quod ipſe cognoſcit, & vult, ut alter cognoſcat, nunquam mentietur; quia ſemper in eo producet notitiam, vel ſpeciem, quam in ſe habet. Sicut ergo Scotiſtæ dicent, quòd ſi Angelus malus velit alteri mentiri, producet in illo notitiam, & ſpeciem diverſam, imò contrariam ei, quam habet in mente: ita in noſtra ſententia Dæmon volens alteri mentiri, conceptum, quem intra ſe habet, retinebit, & formabit alium conceptum oppoſitum, quem ad alterum diriget, quo neget ſe habere conceptum, quem reverà habet; vel affirmet, ſe habere oppoſitum, præſertim de ſupernaturalibus, aut futuris contingentibus, affirmando ſe ſcire, quæ non ſcit, vel neſci-

Digitized by Google

neſcire, quæ ſcit; vel manifeſtando ſubſtantiam rei, & non circumſtantiam, in quibus omnibus mendacium eſt, ac deceptio.

Hæc ad notitiam Angelorum Candidato noſtro ſatis ſuperque ſint. Alia dicenda eſſent de eorum miniſterio circa homines, maximè de eorum Cuſtodia, & impugnatione; ſed hæc, quia ad hominem ſpectant, ſequenti Tractatui, quem de homine inſtituemus, inſerenda reſervabimus.

Tomi Quinti in I. Partem finis.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Eorum, quæ in hoc Quinto Tomo I. Partis viſa ſunt notatu digna.

A

Byſſus quid fuerit? 57.
Aer locus Dæmonum. 137. Non pœnalis. *ibid.*
Ægyptii plures annos Mundo conſignant. pag. 35.
Almaricus ullum Infernum eſſe negavit. 312.
Ametrita innumerabiles Mundos ponebant. 31.
Anaxarchus plures Mundos poſuit. 32.
Anaximander infinitos ponebat Mundos. 31. Aſtra quoque habitabilia poſuit. 32.
Angeli naturâ ſpirituales ſunt. Diu dubitatum. 95. 97. Eos eſſe pure ſpirituales ſtatuitur. 97. 98. &c. Cujuſque materiæ expertes. 100. 101. Veterum non pauci carnalis commixtionis eos capaces exiſtimarunt. 96. 102. 103. &c. Imò libidine aliquos prævaricaſſe. 102. 103. 104. 105. Corpora quidem aſſumunt. 105. 106. Nicænum II. Angelos eſſe corporeos non ſtatuit. 107. 108. Sunt tamen mutabiles. Quomodo? 109. Eos ſpirituales eſſe proximum fidei eſt. 110.
Angeli numero excedunt omnem materialem multitudinem. 111. Specierum non individuorum materialium, benè tamen hominum. 112. 113. 114. Specie differunt invicem. 115. 116. Imò omnes. 117. Quia carent materiâ. *ibid.* & 118. Quia perfectiores, & communicabiles. *ibi.* & 119. Adhuc inter eos eſt amicitia. 120. 121. An in eadem ſpecie multiplicari queant, problema? 123. 124. Naturâ incorruptibiles. 127. 128. Quomodo? 129. Quia formæ per ſe ſubſiſtentes. 130. 131. &c. Quomodo dicantur incorruptibiles ex gratia. 131. 132. 133. &c.
Angeli ſunt in loco. 134. Non ſunt ubique. 135. Non ſunt in loco circumſcriptivè. *ibid.* & 136. Locus Angelorum triplex. *ibid.* & 137. Naturalis, & violentus. 140. Ratio fundans eorum præſentiam in loco naturali non eſt ejus ſubſtantia. *ibid.* & 141. &c. ſed applicatio ſuæ virtutis per operationem. 142. 143. Non eſt priùs in loco quàm ibi operetur. 144. 145. Subſtantia Angeli eſt in loco ut quod, & hoc negantes damnavit Pariſienſis Facultas. 147. An ſint in loco, ubi non operantur? 150. 151. In loco violento, aut præternaturali ſunt per paſſionem. 153. Unus non poteſt ſimul eſſe in pluribus locis adæquatis, benè tamen in pluribus inadæquatis. 154. 155. &c. Poteſt eſſe in loco majori, vel minori. 158. 159. Plures poſſunt eſſe in eodem loco materiali, non formali. 160. 161. Moveri poſſunt localiter. 162. Etiam per accidens. 164. Motu continuo, & diſcreto. 165. 166. Motu continuo debet tranſire per medium, non tamen diſcreto. 167. 168. Neutro tamen in uno inſtanti. 170. 171. 172. 173.
Angeli ſubſtantia non eſt ſuum intelligere. 174. Ad intelligendum eget ſpecie. 177. quæ in cognitione ſui eſt ejus ſubſtantia. 178. Et in cognitione ſuarum proprietatum. 179. Etiam in cognitione abſtractiva ſui. 181.

181. Non tamen in cognitione aliorum. 182. Benè quidem Dei. *ibid.* Nequit habere rationem verbi adhuc in cognitione ſui. 183. Ad cognoſcendum alia eget ſpecie ſuperaddita. 184. Etiam materialia. 185. 186. Angelus in intellectum alterius illabi non poteſt. 185. 187. 188. 196. Species Angeli non ſunt acquiſitæ. 190. 191. ſed infuſæ. *ibid.* & 195. In eo non eſt intellectus agens. 192. 193. Nec tamen illis imperfectio eſt ſpecies ab alio habere. 193. Unus Angelus per ſui ſpeciem movere non poteſt intellectum alterius. 195. 196. Ab hominibus non edocentur. 197. 198. Quamvis ab initio habuerint omnium rerum ſpecies, non ſequitur quod omnia & futura, & ſecreta cognoverint. 198. Nec quod novâ cognitione ſpecies mutentur. 199. An influant ſpecies in animam ſeparatam? 200.

Angeli intelligunt per ſpecies univerſales, & eò univerſaliores quò Angeli ſunt perfecti. 204. 205. 206. Quia propinquiores Deo. *ibid.* In eis Deus imprimit rerum ſpecies ſicut Architectus ideam domus faciendæ in papyro, aut cera. 210. Quò perfectiores, eò per pauciores ſpecies intelligunt. 211. 212. Supremus omnia per unam ſpeciem cognoſcit. 211.

Angeli ſemper ſunt in actu cognoſcendi ſeipſos. 212. ac Deum, & ea quibus ſunt deſtinati. 213. Nec tamen cognoſcunt plura, ut plura. *ibid.* & 214. 215. Non diſcurrendo. *ibid.* & 216. Non diſcurrit, quando cognoſcens ſeipſum cognoſcit Deum. 218. Nec Dæmones diſcurrunt. *ibid.* Ex volitione finis vult media. 219. Non intelligit componendo. 220. In eis per ſe falſitas non eſt. 221. 222. Eſt cognitio matutina, & veſpertina. 223. 224. Inferior non comprehendit ſuperiorem. 226. &c. Non cognoſcit futura contingentia, & libera. 230. 231. &c. nec ſecreta cordis alterius. 235. 236. &c.

Angeli naturaliter non cognoſcunt myſteria gratiæ. 240. 241. &c. Incarnatio fuit eis ab initio revelata. 242. 243. Voluntate præditi ſunt. 243. &c. libero arbitrio. 245. ſecùs iraſcibili &c. 246. Diligunt ſe, & Deum neceſſariò. 247. &c. Beati in ſua creatione fuerunt beatitudine naturali, non ſupernaturali. 252. 253. 254. Gratiâ eguerunt. 255. Eam in primo inſtanti omnes habuerunt. 256. &c. Propria diſpoſitione. 258. Qui ſteterunt meruerunt beatitudinem. 260. 261. Eorum via quot inſtantibus completa? 262. 263. Peccare non poſſunt contra finem naturalem. 268. 269. &c.

Angeli. Quodnam fuerit eorum primum peccatum? 271. Fuit ſuperbia, ex qua alia conſecuta ſunt. 272. 273. Æqualitatem cum Deo non appetierunt. 276. quia impoſſibilis. 276. Nec fuit ambitio principatus ſuper alios. 280. 281. ſed inordinatus ultimi finis appetitus. *ibid.* & 282. &c. In primo inſtanti non peccarunt, nec peccare potuerunt. 289. 290. &c. Benè tamen in aliis inſtantibus. 295.

Angelorum locutio non fit per aliqua ſigna ſive ſenſibilia, ſive ſpiritualia. 335. Neque per influxum phyſicum Angeli loquentis in eum. 336. Sed fit per voluntariam, & liberam ordinationem ſui conceptus ad illum, abſque alia ſive ſigni, ſive notitiæ, ſive ſpeciei in mente audientis impreſſione. 337.

Angelus. Nomen. 80. Angelorum exiſtentiam, Sadducæi negarunt. 81. Eam probat experientia, & ratio. *ibid.* & 82. congruenter, non demonſtrativè. *ibid.* & 83. Adteſtantur Scripturæ. *ibid.* & 84. 85. Cur de Angelis in rerum creatione Moyſes non ſit locutus? *ibid.* Creati ſunt, non tamen ab æterno. 86. Non ante Mundum corporeum. 87. 88. In Cœlo Empyreo etiam mali. 93. 94. etſi non improbabile ſit oppoſitum. *pag.* 95.

Angelus inter peccantes ſupremus, an ſupremus fuerit inter omnes? 296. 297.

Digitized by Google

297. An fuerit aliis cauſa peccandi? *ibid.* & 298. An tot peccaverint quot remanſerunt? & an ex ſingulis Ordinibus aliqui peccaverint? 299. 300. Pœna peccantium. Vide *Pœna*.

Unus Angelus illuminat alium. 327. Illuminabit uſque ad diem judicii, poſt quem ceſſabit illuminatio quantùm ad novam aquiſitionem ſcientiæ, non autem quantum ad cognitionis conſervationem. 329. Inter Dæmones autem propriè illuminatio non datur. *ibid.*

Unus Angelus alteri loquitur, manifeſtando ei proprium conceptum. 332. Nec localis diſtantia impedit angelicam locutionem. 333.

Anima rationalis numero multiplicabilis, eò quod ſpiritualis. 120. Non poteſt animare partes extremas, quin animet medias. 156. An cognoſcat futura? 234.

Anima ſeparata cur, quæ hìc aguntur, non cognoſcat? 194. An ſpecies mediis Angelis recipiat? 200. 201.

Animalium terreſtrium productio. 78. An etiam imperfecta fuerint producta? 79.

Annum unde inciperent Ægyptii, unde Iſraelitæ. 41.

Æqualitas cum Deo non eſt appetibilis. 276.

Aqua ſuper Firmamentum quid ſint? 67. 68. 69. Aquarum congregatio in locum unum. 70. Quomodo facta. *pag.* 71. 72.

Æternitas nulli creaturæ convenit. Vide *Mundus*.

Aves cur ex aquis productæ? 77.

S. Auguſtinus Philoſophos plures Mundos aſſerentes redarguit. 31. 32. Plures annos Mundo adſignantes. 35. Ejus opinio de diebus creationis. 44. 45. Opinando potiùs quàm aſſerendo dixit. 46. De germinatione herbarum, & plantarum quid ſenſerit? 72. Anceps an Angeli ſint puri ſpiritus. 96. 97. An anima alienata à ſenſibus cognoſcat futura. 234. Non ſentit, Angelos fuiſſe creatos in beatitudine ſupernaturali. 254.

Autumnali tempore Mundum conditum non pauci aſſerunt. 38. 39.

B

BEatitudo naturalis, & ſupernaturalis. 251. In illa beati fuerunt Angeli creati, non in iſta. 252. 253. nec tranſeunter. *ibid.*

Behemoth nomine quid veniat? 48. 90.

C

CEte grandia quid ſint? 78.

Chriſtus gratiam propria diſpoſitione cur non acceperit? 260. Simul beatus, & merebatur. 261.

Cœli prima die creati nomine quid veniat? 53. 54. &c. Veniunt omnes Orbes Cœleſtes *ibid.* & 55. Cœlorum numerus. 69. 70. Non ſunt animati. 75. 76. Singuli ſpecie differunt 122. 128. Locus proprius Angelorum. 135. naturaliter in ſuis motibus indefectibilis, etſi ex nihilo. 166.

Cognitio angelica matutina, & veſpertina. 222. 223. 224. Inferioris an ſit comprehenſiva ſuperioris? 225. Negativa opinio præfertur. 226. Contraria ſolvuntur. 227. 228.

Cognitio de divinis Myſteriis non eſt totaliter ablata Dæmonibus, valida tamen imminuta. 302. Cognitione tamen per gratiam, quæ eſt affectiva, & inducens amorem Dei, totaliter privati ſunt Dæmones, ſicut & caritate. *ibid.*

Cognitio duplex eſt: una quæ habetur per naturam, alia quæ habetur per gratiam. 300. Cognitio quæ habetur per naturam, in Dæmonibus nec eſt ablata, nec diminuta. *ibid.*

Cognitionum multitudo non ſemper affert diſcurſum. 216. &c. Nec multitudo intellectorum compoſitionem. 221. nec locutio. *ibid.*

Concupiſcibilis in Angelis non eſt. 246.

Corpus eſt in loco ratione quantitatis. *pag.* 141. &c.

Digitized by Google

Corpus Chriſti quomodo ſit in Euchariſtia. 148. 149. In partibus extremis Hoſtiæ, quin ſit in media. 168.
Creare nulli creaturæ convenire poteſt naturaliter. 14. 15. aut ei communicari principaliter. 16. aut inſtrumentaliter. 17. 18. &c.
Creatio quid ſit? 6. 7. Impoſſibilis viſa fuit Philoſophis, & Hermogeni. *ibid.* 8. &c. Non eſt propriè mutatio. 11. 12. Activè eſt in Deo, paſſivè in creatura; eſt relatio etiam prædicamentalis. 13. 14.
Creatura nulla eſt æterna. Vide *Mundus.* Nulla impeccabilis datur, nec dari poteſt. 254. 265. Vide *Impeccabilis.* Verbum illud *Creavit Deus Cœlum &c.* exponitur. 53. 54.

D

Damnati quomodo appetant Deum non eſſe? 278.
Dæmon quid appetierit peccando? non æqualitatem cum Deo. 275. 276. &c. Ejus peccatum fuit ſuperbia. 272. &c. Non potuit eſſe actus inefficax 277. 278. Nec fuit appetitus unionis hipoſtaticæ. 279. 280. ſed ultimi finis inordinatus. 281. Naturâ malus non eſt. 285. Nec proprietate ſua. 287. Nec in primo inſtanti voluntate peccavit. 288. 289. Dæmonum pœna. Vide *Pœna.*
Dæmones corporei non ſunt. 102. Corpora quidem aſſumere. 105. Fugantur aliquibus corporalibus & cur? 106. 107. Aliqui in aere detenti ad exercitationem hominum. 137. Non omnes in Infernum detruſi, pœnam tamen patiuntur. 138. 139. Quomodo una legio Dæmonum poſſit in uno corpore eſſe? 160. Quomodo introivit in cor Judæ? 188. Quomodo alligetur à Superiori? 189. Non diſcurrunt. 218. Non cognoſcunt certò futura contingentia & libera. 232. 233. Nec ſecreta cordium. 240.
Dæmones obſtinati ſunt in malo. 303.
Defectus in voluntate eſſe non poteſt, quin in intellectu defectus præceſſerit. 284. 285.
Deiſtarum error circa Infernum. 313.
Democritus infinitos Mundos ſomniavit. 31.
Deus omnium Creator 2. &c. prima causa exemplaris, finalis. 4. 5. 6. per creationem. *ibid.* 7. &c. ex nihilo. 9. &c. Solus creare poteſt. 14. 15. &c. Solus æternus. 24. &c. Unum ſolum condidit Mundum. 32. &c. Alios tamen condere potuit. pag. 33. 34.
Dictamen primum à Deo eſt. 290.
Dies creationis Mundi quales fuerint? 44. 45. Naturales fuiſſe, non ſolùm intelligibiles, probabilius. 45. 46. Non derogat divinæ virtuti. 48. 49. Tribus primis diebus quomodo dies à nocte diſtingueretur? 49. 50. Prima dies non cæpit à Veſpere. 61. ſed à productione lucis. *ibid.* & 63. Primus dies fuit correſpondens diei Dominico. 64.
Diluvium quo anni tempore contigerit. 42.
Diſcurſus formalis in Angelis non eſt. 215. 216. Quid ad verum diſcurſum requiratur? *ibid.* Alius ſecundùm ſucceſſionem, alius ſecundùm cauſalitatem. *ibid.*
Dolor quotuplex ſit, & qualis ſit in Dæmonibus. 310.
Durandus malè aſſeruit Angelos eſſe ubique. 135. nec poſſe localiter moveri. 162. omnia per ſuam ſubſtantiam intelligere. 184.

E

Ecclesia annos Mundi computat ſecundùm Verſionem lxx. 35. 36. Quare? *ibid.* & 37.
Empyreum locus ſupremus in quo creati ſunt Angeli. 93. 94. Quid in eo operentur? 150.
Enoch liber Apocryphus. 104.
Epicurus Mundos infinitos ſomniavit. pag. 31.
Error in intellectu Angeli eſſe non poteſt. 285.

Eubu-

Digitized by Google

Eubulia in Angelis non eſt diſcurſiva. pag. 219.

F

F*Alſitas* in Angelis per ſe non eſt. pag. 221. 222.
Filii Dei ingreſſi ad filias hominum non ſunt Dæmones incubi. 103. 104. ſed filii Seth. 105.
Firmamenti nomine quid veniat? 56. 57. 64. Probabiliter venit ſpatium aeris, in quo nubes condenſantur. 65. 66. ubi objectis reſpondetur. Aquæ ſuper firmamentum quid ſint? pag. 67. 68. 69.
Forma pura & ſimplex non poteſt, ſemel producta, ab eſſe ſeparari. 129. quia eſſe convenit ei per ſe perfeitate phyſica. 130.
Futura quot ſint? 229. Contingentia, & libera ab Angelo naturaliter certò non cognoſcuntur. 230. 231.

G

G*Ratia* ſe attemperat naturæ. 217. Ejus myſteria Angeli naturaliter non cognoſcunt &c. 241. neceſſaria eis, ut ad Deum Auctorem ſupernaturalem ſe converterent. 255. Eam omnes in primò inſtanti habuerunt. 256. 257. etiam qui peccaverunt. 258. Propria diſpoſitione eam acceperunt. 258. 259.
Græci Patres exiſtimarunt Angelos creatos ante Mundum corporeum. 87. 89. 90 non tamen omnes. 88. eos habere corpora. 102. &c.

H

H*Adrianus* Papa in Nicæna II. Angelos immortales aſſeruit. 128.
Henricus Gandavenſis quid de Pariſienſi Facultate damnante opinionem *Angelos nuſquam eſſe*, ſenſerit. 147.
Herbarum germinatio. 72. Etiam noxiæ primò germinarunt. 73.
Hermogenes Mundum ex materia Deo coæterna factum aſſerebat. 7. 8. &c.
Hierarchia diverſæ arguunt diſtinctionem ſpecificam inter Angelos. 116.
Homo quomodo peccare poteſt in primo inſtanti uſus rationis? 292. 293.
Homines in minori numero ſunt, quam Angeli 112. 113. An tot ſint ſalvandi, quot Angeli ceciderunt? ib. & 114.

I

I*Gnis* Inferni qualis ſit. 312. Quomodo torqueat Dæmones. 317. 320 321.
Ignorantia in intellectum Angeli eſſe non poteſt. 285.
Illapſus in intellectum creatum ſolius Dei eſt. 186. 187.
Illuminatio Angeli. Vide *Angelus*.
Impeccabilis creatura omninò nec datur, nec dari poteſt. 264. 265. quia ex nihilo. *ibid.* & 256. 267. Impeccabiles tamen Angeli fuiſſent in puris naturalibus conditi. 268. 269.
Impoſſibile non poteſt appeti. 276. 277. An ſaltem actu inefficaci? *ibid.*
Incarnationis myſterium Angelis ab initio fuit revelatum 242. 280. Pleniùs poſt hominis lapſum, ac deinde. *ibid.* & 243. Vide *Unio Hypoſtatica*.
Inconſideratio privativa fuit in intellectu Angelico. 285. 286.
Infernus locus pœnalis Dæmonum. pag. 136. 138. 139.
Infinita diſtantia quomodo poſſit pertranſiri. 12.
Inſtrumentum ad creationem repugnat. 17. non tamen ad producendam gratiam, aut converſionem panis in corpus Chriſti, aut facienda miracula, aut torquendos Spiritus. 19. 20. 21. An ad Incarnationem & annihilandum? *ibid.*
Intellectus non eſt cauſa adæquata cognitionis. 189. Agens non eſt in Angelo. 192. 193. Angelicus nec ab objecto immateriali immutari poteſt. 200. An ſpecie differat ab intellectu hominis?
Intelligere Angeli non eſt ejus ſubſtantia. 174. nec ejus eſſe. 175.
Invidia non fuit primum Angeli peccatum, ſed ſecuta ad ſuperbiam. 272. 274.

Jo. Theſſalonicenſis in Synodo Nicæna ſecunda. 107. 108.
Iraſcibilis in Angelis non eſt. 145.
Juſtinus martyr Angelos corporeos opinatus eſt. 102.

L

Lateranenſe IV. Angelos ſtatuit creatos in temporis initio. 85. non ante mundum corporeum. 87. 91.
Lateranenſe V. animam rationalem immortalem aſſeruit. 128.
Lazari anima quomodo portabatur ab Angelis. 188.
Leonida Origenis Pater. 323.
Libertini Angelos & animas rationales corruptibiles putant. 127.
Liberum arbitrium eſt in Angelis. 145.
Localis diſtantia Angeli cognitionem non impedit. 194.
Locus in quem congregatæ ſunt aquæ quomodo factus? 70. 71. Cur unus, cùm ſint plures? 72.
Locus naturalis Angeli quis? 140. Eſt in eo, non per ſubſtantiam tanquam rationem eſſendi proximam. *ibid.* & 141. &c. ſed per operationem. 143. &c. In loco violento per paſſionem. 153. Unus adæquatus, alius inadæquatus. 154. In pluribus locis adæquatis ſimul unus Angelus eſſe nequit. *ibid.* & 155. benè tamen in pluribus inadæquatis. 156. 157.
Locutio Angelorum. Quomodo fiat. Vide *Angelus*. Et 335. 336. 337.
Locutio non ſemper infert diſcurſum. pag. 221.
Locutio Angelorum quomodo fiat. 335. 336.
Lucifer quid intenderit, dum ait: aſcendam in Cœlum? 94. 95. Superbiâ peccavit. 272. non tamen appetendo omnimodam cum Deo æqualitatem. 276. nec Unionem Hypoſtaticam. 280. nec Principatum ſuper alios. 281. ſed ultimum finem inordinatè. pag. 281. &c.
Lumen ſupernaturale non eſt diſcurſivum, niſi ex conditione ſubjecti. 217.
Luminaria primo die facta fuere quoad ſubſtantiam. 50. Quomodo dicantur facta quarta Die? 74.
Lunam & Aſtra eſſe habitabilia aliqui Recentiores ſentiunt. 32.
Lux primo die facta, quid eſſet? 50. Non Angeli, non nubes, varietas opinionum. 59. 60. Lux non eſt corpus. 61. In quo differat à lumine, radio, & ſplendore. 61. Fuit producta in Sole. 62. Quomodo diviſa à tenebris? *ibid.*

M

Manichæi quid ſenſerint de creatione Mundi? 1. & 2. Refutantur 3.
Materia Deo non eſt coæterna. 7. 8. &c. Quomodo præceſſerit informis? 53. Eſt principium numericæ multiplicationis. 117.
Menander Mundum dixit ab Angelis factum. 1.
Meritum. Angeli qui ſteterunt meruerunt beatitudinem. 260. 261. priuſquàm tamen eam conſequerentur. *ib.* Non datur merces ante meritum *ibid.* & 262. In primo inſtanti meruerunt, non tamen peccarunt. 288. nec peccare potuerunt. 293. Quomodo plus requiratur ad merendum, quàm ad peccandum? 294.
Metalla & marmora producta tertia die. 73.
Motus localis in Angelo eſſe poteſt. 162. An in Angelo ſit ut in ſubjecto? 164. Continuus, & diſcretus: utroque Angelus moveri poteſt. 165. 166. Motu continuo non poteſt tranſire ab uno extremo, quin tranſeat per medium. 167. 168. &c. benè tamen diſcreto. *ibid.* Unico tamen inſtanti compleri non poteſt. 170. 171.
Mundum eſſe æternum Platonici aſſerebant. 22. Alii, eorum rationes. 23. Origenes idem ſenſit. 23. 24. Oppoſitum ſtatuitur. *ibid.* & 25. Mundum ſemper fuiſſe, non petit natura Mundi, nec natura Dei. 26. 27. 28. 29. Incepiſſe, eſt Articulus fidei. *ibid.* Etſi potuerit eſſe ab æterno, non fuiſſet coæternus Deo. 30.
Mun-

Digitized by Google

Mundus alius non eſt præter hunc adſpectabilem. 32. 33. Alii tamen condi potuerunt. 33. 34. Circa annum, quo cæpit variæ opiniones. 34. 35. &c. Quo anni tempore conditus fuerit? 37. &c. An Autumnali? 38. Verno probabilius. 39. &c.

Moyſes cur Angelorum creationem omiſerit? 84. 85. 91. 92.

N

NEceſſario amore diligunt Angeli ſeipſos, & Deum. 247. 248. Non eſt contra rationem finiti, nec contra naturam voluntatis, nec aliquid mali ſapit. 249. 250. 251.

Neceſſitas duplex. 247.

Nicæna II. Synodus Angelos eſſe corporeos non ſanxit, ſed poſſe pingi, quia in corporibus apparuerunt. 107. 108. Non totum quod Joannes Theſſalonicenſis propoſuit, probavit. *ibid.*

Nihil quantum diſtet ab eſſe. 12. 15. 16.

Numerus Angelorum maximus. 111. Excedit numerum hominum. 112. 113. 114.

O

OBſtinatio Dæmonum in malo. 303.

Opera ſex dierum in generali. 44. 45. &c. Opus primæ diei. 51. &c. Secundæ diei. 64. &c. Tertiæ diei. 70. &c. Quartæ diei. 74. &c. Quintæ, & ſextæ diei. 77. &c.

Operatio eſt ratio fundans proximè præſentiam Angeli in loco. 143. &c. Qualis debeat eſſe operatio. *ibid.* & 151. 152. Incipiens cum eſſe rei ineſt ei ab Auctore illius. 289. etſi vitalis, & libera. 290.

Orphaus Lunam habitabilem poſuit. 32.

Origenes quis fuerit. 323. Ejus error circa Dæmonum pœnam. 322.

Origenis error de fine creationis Mundi. 5. De Mundi æternitate. 23. 24. De Mundorum pluralitate. 31. 32.

P

PAriſienſis Univerſitas S. Thomæ Doctrinam, aut nunquam damnavit, aut damnationem revocavit. 126. 127. 146. 147.

Patres non pauci Angelos eſſe corporeos exiſtimarunt. 96. 102. &c. Quomodo ex meritis Christi futuri gratiam receperint? 261. 262.

Peccatum contra legem naturalem, & ſupernaturalem. 263. Contra legem ſupernaturalem in Angelis de facto datur. 264. Non tamen dari poteſt contra finem naturalem. 268. Quomodo in eis ſtet peccatum contra finem ſupernaturalem cum dilectione Dei Auctoris naturalis? 270. Primum peccatum Angelorum, ex quo alia, fuit ſuperbia. 272. Non inobidientia, non luxuria ſpiritualis, non invidia. 273. 274. Peccatum præſumtionis odii &c. poſſunt eſſe in Dæmonibus. 275.

Peccatum Angeli non fuit appetitus æqualitatis cum Deo. 276. nec Unionis Hypoſtaticæ. 279. 280. nec Principatus ſuper alios. 280. ſed inordinatus ultimi finis. 281. 282. Non fuit tamen peccatum puræ omiſſionis. *ibid.* Quâ viâ irrepſerit. *pag.* 284. &c.

Perfectius eſt ſuam perfectionem ſtatim habere ab alio, quàm ſucceſſive eam acquirere. 193.

Pœna Dœmonum futura, an ſit æterna? 322. 324.

Philaſtrii deceptio circa Terram. 55.

Philoſophi veteres impoſſibilem judicarunt creationem. 7. &c. Ex nihilo nihil fieri aſſerebant. 10. 11. Mundum æternum aſſerebant. 23.

Piſces ex aquis producti. 77.

Plantarum germinatio. 72. etiam Paradiſi terreſtris. 73.

Plato duos Mundos aſſerebat. 32.

Platonici Mundum aſſerebant æternum. *pag.* 23.

Principium. Quid ſignificet Iy *In Principio* poſitum ini io Geneſis? 51. 52.

Priſcillianiſtarum error de creatione Mundi. 2.

Quin-

Q

Q*Uintinus* Gallus mortales Angelos, & animas exiſtimavit. 127.

R

R*Atio* proximè fundans præſentiam Angeli in loco naturali eſt applicatio virtutis per operationem, non ejus ſubſtantia. 140. &c. Corpus verò eſt in loco ratione quantitatis. *pag.* 148. 149.

Res aliæ inſtitutæ, ut ſint; aliæ, ut repræſentent. 185.

S

S*Adducai* Angelos eſſe negarunt. 81. 83. 84.

Scientia acquiſita perfectio fuit in Chriſto. 103. Non tamen eſſet in Angelis. *ibid.* In Angelis non eſt diſcurſiva. 219.

Scotiſtarum Apologiſta in D. Thomam rejicitur. 126. 127. 146. 147.

Secreta cordium ab Angelo non cognoſcuntur. 235. 236. &c. quia actus liberi. 236. nec ad ordinem Univerſi ſpectant. *ibid.* & 237. Nec animæ reſurgentium. 239. 240.

Simon Magus negavit Mundum à Deo eſſe factum. 1.

Sol productus primo die quantùm ad lucem, & motum diurnum. 50. 54. 62. 66. 74. 75.

Sophronius Angelos nunquam interituros in Synodo VI. aſſeruit. 128.

Species, quâ Angelus ſeipſum, ſuaſque proprietates etiam abſtractivè cognoſcit, eſt ſua ſubſtantia. 180. 181. Vide *Subſtantia*.

Species, quibus alia à ſe intelligit, ſunt ei ſuperadditæ. 182. 183. Ad rationem ſpeciei non ſufficit præſentia phyſica, ſed requiritur intentionalis cognoſcenti. 180.

Species Angeli non ſunt acquiſitæ, ſed infuſæ. 190. 191. etiam rerum immaterialium. 195.

Species angelicæ non repræſentant æqualiter præſentia, & futura, ac ſecreta. 198. Non mutantur novarum rerum adventu. 199. Connaturales eis ſunt. 201. Non tanquam proprietates. 202. Dantur ſpecies univerſales in repræſentando. His intelligunt Angeli. 203. 204. Et quò Superiores ſunt, eò univerſalioribus utuntur ſpeciebus. 205. Nec tamen illæ ſpecies ſunt infinitæ. 207. 208. Clarè repræſentant, quia ab Ideis divinis derivatæ. 209. 210. Nec repreſentant futura. 231. &c. nec ſecreta cordium. 237.

Spiritus, qui ferebatur ſuper aquas, non fuit, aer, aut ventus, ſed Spiritus Sanctus. 58. 59.

Spiritus multipliciter dicitur. 95. 96.

Stephanus Epiſcopus Pariſienſis D. Thomam non damnavit, imò ejus Doctrinam laudans damnationem revocavit. 126. 127.

Subſtantia Angeli eſt in loco ut *quod*. 134. 140. Non eſt tamen id *quo* proximè eſt in loco. 141. &c. Non eſt ſuum intelligere. 174. Eſt quidem ſpecies ad cognoſcendum ſe, ſuaſque proprietates. 178. 179. 180. quin ſit infinita, *ibid.* Non tamen per eam poteſt cognoſcere alios. 182. benè quidem Deum. *ibid.* & 183. Non tamen poteſt ei eſſe loco Verbi. *ibid.* & 184. Nec poteſt illabi in intellectum alterius. 185. 187.

Superbia primum peccatum Angeli. *pag.* 272. &c.

T

T*Araſius* Synodo Nicænæ II. non propoſuit Angelos eſſe corporeos. *pag.* 108.

Tenebræ diviſæ à luce. 62. Quanto tempore lucis productionem præceſſerint? 63.

Terra primò die creata fuit elementaris, ſeu quatuor elementa. 54. 55. *Inanis, & vacua* quomodo fuerit. 57. Cur vocata arida? 72.

Tertullianus impugnat Hermogenem. 7. 8.

Digitized by Google

7. 8. &c. Angelos corporeos judicavit. 102.
D. *Thomas* probat creationem ex nihilo. 9. 10. Deum alium rerum ordinem condere potuiſſe non negat. 33. 34. Quid de immultiplicabilitate numerica Angelorum ſentiat? 123. 124. Ejus Doctrina à Facultate Pariſienſi non damnata, aut ſi damnata, damnatio fuit revocata. 126. 127. 145. 147.

V

VErno tempore Mundum conditum fuiſſe probabilius. 39. 40. 41. Nec obſunt contraria. *ibid.* 42. 43.
Veſpere, & mane primæ diei exponitur. 62. 63.
Via bonorum Angelorum duobus inſtantibus completa fuit, malorum verò tribus. 262. 263.
Voluntas datur in Angelis. 243. 244. Non eſt ipſa Angeli natura. *ibid.* Neceſſitata ad ſui, ac Dei amorem. 247. 248. &c. In ea defectus eſſe non poteſt, quin in intellectu deffectus præceſſerit. 284. non ignorantiæ, aut erroris, ſed inconſiderationis. *pag.* 285. &c.
Voluntas bonorum Angelorum confirmata eſt in bono, & voluntas Dæmonum obſtinata eſt in malo. 303.
Unionis Hypoſtaticæ appetitus non fuit primum Angeli peccatum. 279. 280.
Univerſalis ſpecies quot modis dici poſſit? 203.
Univerſaliores ſunt in Angelis ſuperioribus. 204. &c.

LAUS DEO.

Digitized by Google

Digitized by Google